Est. 12
No. 136

De sancta Maria. Oratio.

[D]Eus, qui salûtis ætérnæ, [b]eátæ Maríæ virginitáte [fecunda] humâno géneri prœmia [prestitisti]: tríbue quǽsumus, vt [eam] pro nobis intercédere sentiamus, per quam merúimus auctôrem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Iesum Christum fílium tuum.

Cõtra persecutores Eccl. Oratio.

ECclésiæ tuæ, quǽsumus Dómine, preces placâtus admítte: vt destrûctis aduersitátibus, & erróribus vniuérsis, secûra tibi sérviat libertâte. Per Dñm.

tuũ sic[...]sum. Dilect[...] ximi, malum non [...]tur. [...] nitûdo [...]ctio.

Gradua[...] [...]tes mẽ tuum [...]nes ges terra[...] [...]Q[uo-] niam ædificauit Dóminus Si[on], & vidébitur in maiestâte sua.

Alleluia, alleluia. ℣. Dóminu[s re]gnâuit, exúltet terra: lætêntur [in-]sulæ multæ. Alleluia.

Sequéntia sancti Euangélij [se-]cûndum Matthæum.

IN illo témpore: Ascendê[nte] Iesu in nauículam, secûti s[unt] eũ discípuli eius. Et ecce mo[tus]

ma[...]

4

CONCILIATIO LOCORVM COMMVNIVM TOTIVS SCRIPTVRAE SACRAE, QVI INTER SE PVGNARE videntur.

A SERAPHINO CVMIRANO FELtrẽse Minoritanæ familię nuper ædita.

PARISIIS,

Apud Audoënum Paruum, via ad Diuum Iacobum, ſub Lilio aureo.

1558.

REVERENDISS. PATRI

P. Fratri Clementi de Monelia, totius ordinis Minorum generali miniſtro, frater Seraphinus Cumiranus Feltrenſis, eiuſdem ordinis, perpetuam fœlicitatem dicit.

ANaxagoras, reuerẽdiſsime Pater, cùm ab eo quęreretur, cuius rei cauſa natus eſſet, reſpõdit, Solis ac cœli videndi. Cęterũ nobis qui Chriſtiana religione imbuimur, lõgè aliter reſpondendum eſt: non enim, vt ille cenſebat, ſolis cœlíque vidẽdi gratia nati ſumus, at (quod lõgè maius eſt) vt Deum totius cœli terræque conditorẽ cognoſcamus, cognitũ amemus, amato denique perfruamur. Deus autẽ nulla alia ratione à nobis, quàm per ſacræ Scripturæ lectionem agnoſci poteſt. In ea nãque ſe nobis tãtũmodo patefecit. Proinde cùm mecum ſæpe animo reuoluerẽ, nihil homini hic eſſe melius nihílque præclarius, quàm ſi (iuxta Dauidicum conſiliũ) in lege Dei noctu ac die meditaretur, in eáque to-

tius vitæ ſuæ curriculũ tranſigere (quoad eius fieri poſſet) elaboraret, ſtatui, omnibus aliis rebus poſthabitis, me totum dedere ſtudio ſacrarum rerum, in quibus eo quotidie maiorem fructum & voluptatem capio, quo diligẽtius in earũ meditatione verſor. Cùm autem inter legendum ſæpe nonnulla inuenirẽ, quæ niſi penitius introſpiciãtur, locorúmque inter ſe faciat collatio, non exiguam dubitationẽ afferẽt, illa inter ſe nõ parũ diſsidere, ídque tamen à Dei maieſtate, piorúmque ſcriptorum natura lõgè abeſſe debere, conatus ſum pro mea virili ea inuicẽ conciliare. Verùm cùm liber ipſe iam longius excreuiſſet, eúmque quibuſdam meis amicis legẽdum exhiberem, illi perlecto opere, me hortati ſunt ſæpiúſque rogarunt, vt impreſsioni darem, quò & cæteri horum meorum laborum forẽt participes. Ego verò cùm mearum virium mihi probè conſcius eſſem, id ſępius recuſaui: cúm-

que illi ſubinde inſtarent vrgeréntque, nec vllum finem rogãdi facerẽt, acquieui tandem, eorúmque voluntati mihi morem gerẽdum duxi. Cogitãti autem mihi, cuínã potiſsimùm id operis dedicarem, tu in primis occurriſti, ampliſsime Pater, cui hoc facere deberem. Cùm enim ipſe vnus ex eorũ numero ſim, qui ab eodem paſtore gubernãtur, quíque trãquilliſsima optimæ tuæ adminiſtrationis quiete fruantur, nónne parui iudicij æſtimarer ab omnibus, ſi quẽ tibi in amore obſeruantiáque pręponerem? Ecquem enim (quod quidem aliorum pace dictum ſit) ſapientiorem prudentiorémque in vniuerſa noſtra religione quiſpiam inueniret? Quem obſecro maiori vitę integritate, iuſtitia, continentia, humilitate, reliquíſque animi dotibus, quæ illos maximè decent, qui aliis bene imperare volunt, ornatiorem conſpiceret? Hoc autem veriſsimum eſſe, res ipſa decla-

rauit, cùm tu ex tot patribus, iísque primariis, qui aderant in Generali capitulo, quod ferè biennium ab hinc in vrbe Salmaticensi celebrabatur, vnanimi omnium consensu totius religionis nostræ regimini præficiebare. Accedit præterea singularis tuus in me amor atque beneuolentia, qua vel sola iure impelli deberem, vt postquam in nulla re alia possum, in hac saltem me tibi memorem & gratum quoquomodo exhiberem. Te itaque oro, amplissime Pater, vt hoc quicquid est muneris, læta fronte suscipias, tibíque persuadeas nihil mihi gratius fore, quàm si videro hunc meum laborem tibi tuísque similibus approbatum iri. Vale.

LECTORI NOTATV NECESSARIA.

Diuinarum literarum aſsidua lectio, candide lector, mundanæ, vt ait Ambroſius, ſapientiæ diſciplinã euacuat. Ea enim verborũ potius elegantia valet, quàm rerum ratione, & veritate. Nam ſi quis ad philoſophicam diſciplinam, vt cæteras omittam, ſe conferat, nonnullos in ea errores cõtrariáſque opiniones perſpiciet. At in ſacris literis, ita omnia ſibi reſpõdent, vt nihil ſit quod nõ optimè inter ſe cohęreat. Hinc in apparitione ſua mirabili Propheta magnus Ezechiel ſe vidiſſe teſtatur ſimilitudinem quatuor animalium, dicens: Quatuor facies vni, & quatuor pẽnę vni: quia teſte Gregorio, quidquid in vno inueneris, hoc in omnib⁹ ſimul quatuor recognoſces. Quod idẽ Matthæus & reliqui Euangeliſtæ affirmãt. Nec mirum id alicui eſſe debet. Nam illi ab vno eodémque ſpiritu edocti nihil niſi conſonum, & veritatis plenũ deſcribere potuerunt. Ipſis enim dictũ eſt, Cùm venerit ſpiritus veritatis, docebit vos veritatẽ, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Quod ſi ita eſt, quid aliud Prophetarum oracula, & euangelizantium voces enũciare, niſi veritatem potue-

rũt? Quam rem etiam Apoſtolorum princeps comprobauit, cùm dixit, Non enim voluntate humana allata eſt aliquãdo prophetia, ſed ſpiritu ſancto efflati locuti ſunt ſancti Dei homines: & paulo ſuperius, Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ in caliginoſo loco, & alibi, de qua ſalute ſcrutati ſunt Prophetæ quibus reuelatum eſt, quod nõ ſibimetipſis, nobis autem miniſtrabant ea, quæ relata ſunt nobis per eos, qui euangelizauerunt vobis, ſpiritu ſancto de cœlo miſſo. Ipſe verò Chriſtus ſanctorũ omnium ſanctiſsimus, & verus Propheta, de cœlo miſſus, ore proprio dicit, Scrutamini ſcripturas, quia ipſę ſunt quæ teſtimonium perhibẽt de me. Si igitur ſcripturæ ſacræ teſtimoniũ perhibent de Chriſto, qui, vt idem ait, eſt via, veritas & vita, quid aliud in ipſis niſi veriſsimũ, & ſanctiſsimum inuenitur? At econtra quodcunque mundani ſapientes dicunt, aliud nihil eſt niſi mendacium. Quod quidem Propheta regius in ectaſi ſua cõprobauit, dum dixit: Omnis homo mendax. Idcirco niſi ſpiritu Dei afflati loquamur, quidquid loquimur mendaciũ omne illud eſt. Ex hac igitur mundana ſapientia, quæ nihil ſtabile ac firmum in ſe continet, ortæ ſunt tot philoſophorum ſectæ, cùm rectę tum etiam prauæ fœlicitatem ſuam diuerſimo de ſtatuẽtes. Hinc etiam tot hęreticorum dogmata, variíque ſcripturæ ſenſus initiũ habuerũt. Nam huiuſmodi homines ſpiritu proprio,

humanáque ſapientia tumeſcẽtes, quaſi vento diſtenti buccis concrepantibus inania, & falſa locuti ſunt. Vnde tot paraphraſtes, coniectoréſque ſacræ paginæ prodierunt, qui hac vaniſsima ſcientia ſua euangelium interpretãtes, ſenſum rectum legis diuinæ euertere conati ſunt, euaneſcentes in cogitationibus ſuis, & obſcuratum habentes, vt ait Apoſtolus, inſipiens cor ſuum, ſéque ſapientes eſſe cùm dicant, ſtulti facti ſunt. Sed ſpiritus Chriſti Ieſu, qui totam ſuã regit tuetúrque eccleſiam, cum qua pollicitus eſt ſe fore vſque ad conſummationẽ ſeculi omnem hanc per ſeruos ſuos fideles depellit errorum nebulam, claritatis, ac veritatis ſuæ lumine eorum mẽtes illuſtrans in ipſiſque ſpiritũ ſuũ ſufflans, & eis ſenſum aperiẽs, vt ſcripturarum occulta myſteria intelligant. Non enim niſi ſpiritu Dei percipi poteſt quod ſpiritu Dei dictũ eſt, Quia animalis homo non percipit, quæ ſpiritus Dei ſunt: qui verò conantur ſeſu ſuo ſacram paginam ediſcere, euaneſcentes in cogitationibus ſuis, hæreſes condiderunt, qui niſi induant ſpiritum Chriſti, non intelligent verbum eius. Ideo Pſalmographus clamat, dicens: Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: & alibi, Reuela oc.m. & con. mir. de lege tua. Euenit enim ſæpenumero, quòd varius ſit ſermo, obſcuráque lectio ſcripturæ, multotiéſque oppugnare iter ſe videatur, & lectorem in dubium, vel etiam interdũ niſi ſpiritus Dei in ipſo ſit, in errorem trahat. Nam per lectionis varie-

taté à veritate lector alienatur, vbi Christi spiritus doctor non adest, qui verum docet intellectum. Nam licet variæ diuersæq; scripturæ lectiones se offerát, quæ inter se dissidere & ex tota diametro oppugnare videantur, adeò vt quandoq; animũ lectoris retardent, & suspensum teneant, nullam tamen in eis credas candidissime lector esse contradictionem nullámq; oppugnantiam, nihil denique dissonum, imò omnia sibi consentire, inter se conuenire & cõsona esse reperies, si ea leges, spiritu Christi doctore præuio, & intellectum tuum illuminate. Quod vt facilius cognosceres vera scilicet & consona ea esse quæ euangelistæ sanctíq; Prophetæ posteris scripta reliquerunt, multorum doctorum vestigia secutus, volui hac mea lucubratione contrapositiones, quę in antiquo nouóque testamẽto esse videntur, pro viribus discutere & enucleare, vt & ipse quantum in me esset, veritaté adiuuaré, ipsámq; in aperto constitueré, vt discussis vndiq; tenebris, tanquã lucis filij ambulemus in luce, lucis quoq; fructũ maximũ percepturi, qui est in omni bonitate, iustitia, & veritate. Has autem lucubrationes in tres partes diuisi, in quarum prima, quæ veteris legis dissona vidẽtur, cõsona esse demõstrãtur: in secũda auté, quę in Euangeliis contraria apparét, eadé esse & conuenire declarãtur: Sed in tertia, quæ in Paulo inter se oppugnare credũtur, perspicuè cõciliãtur. Ad hæc etiã quædam pertractauimus, quæ licet nullã apertã cõtradi

ctionē cōtinere videātur, quia tamē eruditionē maximā & fructuosam legētibus prestare possunt, placuit huic operi inserere. Hęc autē omnia nō ordinatè, sed vt potuimus passim, descripsimus, quæ vt facili⁹ inuenias, alphabetaria tabula tibi demonstrabit. Extat vero alia tabula, omnibus, quę insigniter citātur in hoc volumine deseruiens, quā pariter alphabetico ordine ponendam curauimus. Cōtrapositiones igitur tribus (vt præmisimus) diuisas tomis sexcentesimo numero in aciem direxi, quò reiectis dubietatis iaculis, infidelium cordibus gladius infligatur anceps, charitatis videlicet & veritatis, quò in fidem firmiores inueniātur, & in opere efficaciores. Eas etiā idcirco sexcentesimo annotaui numero, ob excellentiam in ipso centenario repertam. Ipse enim numerus plenus in omnibus & perfectus ostenditur: &, vt Origenis verbis vtar, totius rationalis creaturæ sacramentū continens, sicuti in Euāgelio legimus, vbi dicitur: Quia habens quis cētum oues, ex quibus cū vna periisset, relictis nonagintanouem in montibus, descendit quærens eam quæ perierat. Sed quia sexcenti, sex centeni sunt, idcirco non prætereūdum esse silentio iudicauimus, & huius senarij etiam proprietatem retexere, quia & ipse perfectissimus natura dicitur, in toto numerorum cōtextu ab vnitate vsque ad denariū. Solus enim senarius numerus adeò perfectus est, vt collectionem suarum partium idem resultet, nulla inopia deficiens, nec vlla

abundantia ſuperfluus. Nam ſi partes eius, mediam ſcilicet, tertiam & ſextam, quæ ſunt, tria, duo, & vnũ cõgregẽtur, totum ſenarij corpus perfectè implent, qua quidem perfectione cæteri numeri carent. Hinc à Pythagoricis geneſi nuptiíſq; prorſus accõmodatus aſſeritur, mundíq; ſignaculũ appellatur. Senario enim numero conſtitutus mundus, neq; immoderata abũdãtia ſuperfluus, neque fruſtratus egénſq; neceſſariis. Hinc eſt quoniam die ſexto perfectus eſt & conſummatus à Deo mũdus. Sexto enim die vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erãt valde bona. Dicitur etiam numerus hominis, quia ſexto die homo creatus eſt: & dicitur etiam numerus redẽptionis, nam ſexta die Chriſtus pro redemptione noſtra paſſus eſt. Vnde illi etiam cum cruce magna cognatio eſt, vt norunt ſapiẽtes: dicitur etiam numerus laboris & ſeruitutis. Hinc in lege præceptum erat, ſex diebus faciẽdum opus, ſex diebus colligendum manna, ſex annis ſeminãda terra, Sex diebus gloria domini inclinauit ſe ſuper montem Sinai, cooperiẽs eũ nube: Sex alę ſunt Cherubinis: Sex circuli in firmamento, Arcticus videlicet, Antarcticus, Duo tropici, Equinoctialis, & ecliptica: Sex ſunt errones planetæ, Saturnus, Iuppiter, Mars Venus, Mercurius, Luna, per ſigniferi latitudinem vltra citráque eclipticam diſcurrẽtes: Sex ſunt in Elementis ſubſtãtificæ qualitates, videlicet, Acuitas, Raritas, Motus, & horum oppoſita, Obtuſitas, Dẽſitas, & Quies: Sex ſunt diſ-

ferétiæ poſitionis, videlicet, Surſum, Deorſũ, Ante, Retro, Dextrorſum, & Siniſtrorſũ: Sex ſunt naturalia officia, ſine quibus nihil eſſe poteſt, videlicet, Magnitudo, Color, Figura, Interuallum, Status, Motus. Totius armoniæ toni ſunt ſex, videlicet, quinque toni & duo ſemitonia, quæ faciunt tonũ vnum, qui eſt ſextus. Scire autem te velim candidiſsime lector, multa Cabaleorum dogmata, non abs re, nos eſſe ſecutos in hoc opuſculo, quæ tametſi ex iuniorũ Iudęorum inſcitia & mẽtis hebetudine incompoſita & quaſi vetuſta quadã rubigine iaceant, id tamen in ſe multorum allegorizantium traditionem, cum auctoritate ac eruditione, tum etiam facilitate aptandi, mortalium animos ad cœlorum regna ſuperat & longè antecellit. Cabala autem, ea facultas dicitur, quæ diuinarum & humanarum rerum arcana per Moſaicæ legis typum inſinuat, quem quidem inſinuandi modum, quia nullo rationis diſcurſu, ſed auditu & fide tantùm recipitur, Cabalam, id eſt receptionem appellare libuit. Hanc igitur lucubrationem amantiſsime lector, non curioſè ſuperficie tenus te guſtare, ſed tota animi intẽtione perluſtrare velis, rogo. Nã vt ait Poëta ille,

Non opus eſt nobis nimium lectore guloſo,
Sed magis vt fiat non ſine pane ſatur.

PRESB. FRANCISCVS ZVcharenus Feltrensis art. Doct. Eulogium in Opus.

Igneus ecce Seraph claro demissus Olympo,
Qui pulsis tenebris pandat utrunque polum.
Flammea conde Cherub Paradisi ianitor arma,
Non vetus huc properat, sed renouatus Adam,
Iam liceat vetitum vitæ decerpere pomum
Quid prohibet? comes hic nam Seraphinus adest.
Arcet difficilis Sbynger à limine sacro,
Quo nihil ambiguum Biblia contineat.
Cernere si libeat celsi penetralia regni,
Hoc lege diuinum candide lector opus.
Nanque aperit velũ sanctorum vt sancta patescant,
Et videas Christi mystica sacra tui.

Tetrasticon ad lectorem.

Scripturæ obscuros optas qui soluere nodos,
Hoc tam diuinum perlege lector opus.
Omne aufert dubium, errores ostendit & ipsos,
Quæ se inter pugnant, conciliátque loca.

BERNARDINI FELICIANI.

Sol exoriens vt aureum caput, fugat
Noctis tenebras, afferens
Rebus colores omnibus: Sic tu Seraph
Arcana cuncta paginæ
Sacræ recludens, esse nil edisseris
Aptè quod haud cohæreat,

Vel quod repugnet, vt piis lectoribus
Anceps nihil sit amplius.
Quare te ab impiis legant tuti vndique
Quærentibus quos enecent,
Secúmque perdant funditus, nomine sacræ
Legis tegentibus grauem
Culpam velut virenti in horto viperæ
Sub flore niueo lilij
Vel sub rosa, venena circunstantibus
Abscenditæ spargunt mala.
Eheu genus mortalium miserrimum,
Tibi magis conduceret
Mergi fretum, quàm flantibus scæuum notis
Insurgit æstuosius.

PETRVS BIZZARVS ad lectorem.

Fallere vel falli velle hoc idémque negare,
Sæpe hominum est, quorum mens latet insidiis.
Sed Deus haudquaquam fallit, nec fallitur vnquam,
Quódque semel dixit, perpetuò exequitur.
Ergo Deus qualis, talis quoque cælica vox est
Diuini Verbi, quod docuere Patres.
At quia nonnunquam diuersa videtur, eundem
In multis sensum nec sibi posse dari,
Propterea insignem palmam laudémque merentur
Quicunque ista simul conciliare student.
Hos inter, minimè postrema hic laude meretur
Ornari, qui tam nobile scripsit opus.
Quare diuinarum quisquis amore teneris
Rerum & scripturæ qui loca scire cupis,

Hunc librum inspicias, multum (mihi crede) iuuabit,
Vt melius noscas quid sibi sacra velint.

IDEM AD EVNDEM.

Qui libros veteris nóuæque legis,
Propter plurima quæ sibi videntur
Secum dißidere, & tamen nequaquam
Pugnant, non bene percipis legendo,
Hunc librum inspice, sæpiúsque volue,
Quem doctus tibi SERAPHINVS offert
Feltrensis, patriæ suæ diuique
FRANCISCI decus ac perenne lumen.
Hic certè omnia quæ tuum morantur
Progressum in studio sacræ ac verendæ
Scripturæ, inuenies tibi patere,
Et quicquid dubium fuit, remotum.

INDEX CONTRAPOSITORVM TOTIVS SCRIPTVRAE SACRAE ALPHABETICO ordine digestus.

FINIS.

INDEX ALPHABETICVS OMNIVM QVAE INSIGNITER CITANTVR IN HOC LIBRO.

Medicus

FINIS.

CONCILIATIO LOCORVM COMMVnium totius Scripturæ ſacræ.

TOMVS PRIMVS.

Ex veteri Teſtamento.

CONTRAPOSITIO PRIMA.

Homo ad ſimilitudinem Dei factus. Geneſ.1.
Deus, Quis ſimilis tibi? dicitur alibi. Pſal.70.

Si ad cõditoris ſimilitudinẽ factus eſt homo: vel potius dicas, vt Hebraica continet veritas, ſecundũ ſimilitudinem Dei, vt Moſes deſcripſerat: cur Vates regius, quaſi homo non fuiſſet ad ſimilitudinẽ Dei factus quęſiuit in Pſal. dicẽs: Ibidem. Deus quis ſimilis tibi? Huic quæ nullã prorſus in ſe cõtinet cõtradictionẽ arbitramur dicendũ, Moſi forſan fuiſſe intentionem ſtatum naturæ conditæ deſcribere in altera, quàm imagine ac Dei ſimilitudine fuiſſe inſignitã Geneſ.1. ipſe non dubitauit: vates verò hanc poſtmodum fœdatam, ac deturpatam per lapſum primi hominis contemplatus, non tanquam de oraculo hæſitans, quinpotius Dei bonitatem admirans ad Deum conuerſus ait, Deus quis ſimilis tibi? quaſi diceret, Quis enim mortalium ad Pſal.70. id muneris valebit aſcendere, vt tuæ gratiæ dono percepto, tibi ſimilis rurſus efficiatur? Quod per exercitationem bonorum operũ poſſe fieri nullatenus hæſitamus. Habet enim homo in creatione id quod ſecundũ imaginem Dei eſt: fit autem propoſito, & voluntate etiam ſecundum ſimilitudinem, ſed non abſque præſidio eius, qui ait: Sine me nihil poteſtis facere. Qui idcirco noſtrã Ioan.15. mortalem aſſumpſit naturam, vt homines Deos faceret, nóſque ſic vniuit ac compaginauit cœleſtibus, vt fi- Ioan.1.

lios Dei fieri posse concesserit his, qui credunt in eum. Hanc quippe dignitatem, qua nulla maior esse cernitur, collatã homini contemplatus Lucilius ait: O summam Dẽi patris liberalitatem, & admirabilem hominis fœlicitatem, cui datum est habere quod optat, id esse quod vult. Bruta simul è vulna matris, quæ possessura sunt secum afferunt: Supremi spiritus, aut ab initio, aut paulo post id fuerunt, quod sunt futuri in perpetuas æternitates. Nascẽti homini omnifaria semina, & omnigenæ vitæ germina indidit pater, quæ quisque excoluerit illa adolescent, & fructus suos ferent in illo: si vegetalia planta fiet, si sensualia obbrutescet, si rationalia cœleste euadet animal, si intellectualia angelus erit, & Dei filius. Et si nulla creaturarum sorte contenta, in vnitatis suę centrum se receperit, vnus cum Deo spiritus factus in solitaria patris caligine, qui est super omnia, antestabit. Hęc Lucilius. Quanquam vt ex Sacris literis elicimus, perfectam ac completam Dei similitudinem, quam præfati sumus, minimè potest homo consequi, dum viator est, sed illi debetur in patria, si bene se in corpore gesserit, quando videlicet absque velamine Deum videbit sicuti est, propter id quod scriptum est: Nondũ apparuit quid erimus. Scimus enim quando apparuerit similes ei erimus. Sit igitur præmissarum concordia, vt Moses statũ tetigerit innocentiæ in descriptione machinæ. Sed statum naturæ lapsæ designauerit alter.

Lucilius. *Hominis dignitas.* *2. Cor. 5.* *1. Ioan. 3.*

CONTRAPO. II.

Genes. 1. *Esa. 45.*

D*Eum authorem boni fuisse legimus.*
Deum authorem mali alibi nouimus.

Qui bonus semper vbique dicitur, & qui cuncta quæ fecerat, bona fecisse dicitur, quomodo è contrario creator mali poterit dici? Nonne Seuerinus ille Boëtius in libro cui titulus inscribitur de Philosophica cõsolatione dixit, quòd Deus non potest facere malum? Et Sixtus ille Pithagoricus ait: Mali nullius author est Deus? Quibus dicendum placuit, quòd non obstat, quòd ille, qui natura bonus dicitur, & qui in primæua om-

nium creatione bona cuncta creauerit,interdum è contrario mala creet, quod, & nullatenus fieri dubitamus, dum nostris sic merentibus factis,res,quas bonas in natura condiderat,in flagellum seu punitionem format ac vertit,vt ea ipsa,& per dolorem,quo ferimur, mala sint nobis delinquentibus,& per naturam, qua existunt,bona dicantur. Vtique & venenum mors quidem est homini, sed vita serpenti. Nam & bona sibi flagella fuisse nouerat ille,qui in psal.cecinerat, dicens: Bonum mihi, quia humiliasti me. Pariter & illi,qui gaudentes humiliati dixerunt: Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti,quibus vidimus mala. Profectò de huiusmodi malis,quibus expurgatis bona esse noscuntur, locutus Gregorius sanctus dixerat:Mala,quæ nos hîc premunt, ad Deum nos ire compellunt.Quanquã ad hanc secundam possemus dicere, Deum fuisse creatorem mali terminatiuè,habentes;videlicet,recursum ad terminum ad quem ipsius creationis,quem & primam materiam fuisse nullaten⁹ ambigimus.Quę idcirco dicitur mala,quia contemplatur informis, licet nunquam careat actuali forma,vt Physici sentiunt.Vel adhuc si placet dicamus, quòd Deus creator mali dicitur,non cuiuslibet,sed mali pœnæ duntaxat,vt præmisimus:licet & istud pariter bonum dicendum sit respectiuè,quatenus videlicet diuinæ iustitiæ effectus in illo relucet,sic iubentis, & punientis malum,vt impunitum non remaneat.

Deus quã do mala creet. *Psal. 118.* *Psal. 89.* *Greg.* *Deus quomodo mali creator dicatur.*

CONTRAPO. III.

Bona quippe omnia creata leguntur. *Genes. 1.*
Immunda multa fuisse nouimus. *Leui. 11.*

Quomodo immundum poterit dici illud, quod in se bonam naturam sortitum fuit à conditore omniũ? Et huic, quæ nullam in se contradictionem videtur includere, dicendum placuit, quòd si habeatur recursus ad bonitatem entis cuiuslibet, quo in proprio genere omnia fuere creata, nihil non bonum dicendum venit. Profectò quicquid creatum fuit primo tempore, talem in se bonam naturam sumpserat, vt nil addendũ sit suæ

Omnia fuere creata bona in proprio genere.

perfectioni, cùm omnia valde bona fuisse creata legamus. Nam si quid minimum adderetur, seu auferretur
Arist. à re creata, suam illico mutaret essentiam: de gradibus essentialibus loquor. Nam iuxta Peripatetici doctrinam rerum species sic ad inuicem distare noscuntur, sicut numeri. Vtique sicuti numero amota seu addita vnitate, taliter surgit alius numerus, vt amplius non sit primus, sic pariter, & de huiusmodi gradibus crea-
Leui.11. turarum arbitramur dicendum. Ex quibus tamen sic absolutè bonis aliqua selecta fuerunt à Mose Dei mandato, quæ humano vsui, ac sacrificiorum ritibus immunda reperta fuere. Et ne huiusmodi immunditia inficerentur homines, tanquam immunda, & non idonea vsui, & sacrificiis, repudiata fuere, sicque permanserant, quousque veniret illa, in cuius sanguine omnia mundari debebant, & taliter vt non amplius immunda haberentur. Quod mysterium aperuit Paulus, dum de hu-

Omnia mundata in Christi sanguine.

ad Tit.1. iusmodi licito vsu locutus ait, Omnia munda mundis. Quanquam ad primam aliter respondere possemus dicentes: quòd nullibi legitur, quòd omnia fuerint crea-
Genes.1. ta bona, licet dicatur: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erãt valde bona, dicit quæ fecerat, non quæ creauerat: vt illud Esaiæ vaticinium intactum permaneat, quo
Esa.45. dicitur: Ego sum Deus creans malum. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. IIII.

Genes.1. *Dies fabricæ mundi sex fuisse legimus.*
Genes.3. *Diem vnam tantùm fuisse fabricæ, infrà dicitur.*

Nã si sex dies fuisse nouimus, vt Moses nouerat, quomodo vna tantùm fuit? & si vna, quomodo sex? Idcirco, & huic sic nouimus dicendum, quòd illud, quod Moses prius distinctè narrauerat, illud idem postea epilogando commemorat, dicens: Hæc sunt generatio-
Genes.3. nes cœli & terræ in die, qua creauit Deus, & cæte. Nec sunt ibi accipiendi dies, prout temporis distinctionem denotant, cùm non egeret Deus temporum mora in operando, quasi non potuerit simul creare omnia, sed ibi

accipiendi ſunt dies, vt operis completionem figurant, quæ ob perfectionem ſenarij numeri in illo terminata eſt. Nam & ſenarius numerus primus perfectus dicitur, qui ſolus inter alios hoc priuilegio gaudet, vt ſuis aliquotis partibus connumeratis, ac in ſummam deductis in ſe compleatur, à quibus non exceditur, nec illas excedit: quod non faciunt alij numeri, quorum partes ſimul ductæ, aut minorem ſummam faciunt, aut ampliorem reddunt. Partes verò ſenarij tres eſſe nouimus, videlicet, ſextam, tertiam, & dimidiam: aut dicas clarius, vnum, duo, & tria, quæ ſimul ductæ præfatum ſenarium conficiunt. Iam ſeptenarius talem partem non habet, niſi ſeptimum, quod eſt vnum: Octonarius verò tres, videlicet, octauam, quartam, & dimidiam, id eſt, vnũ, duo, & quatuor, quæ ſimul ductæ ſeptenariũ faciunt infrà exiſtentem, non ergo complent eundem octonarium. Sic pariter de nouenario, & denario dicendum nouimus. Hinc elicitur, qualis, & quanta ſit ſenarij dignitas, & qualiter ęſtimanda ſit in Sacris literis contempletur. Nec fruſtra in operibus Dei dictum eſt: Omnia feciſti in numero, pondere, & menſura. Et ſic patet quid. d.

Senarius. *Septenarius.* *Octonarius.* *Sapiẽ. 11.*

CONTRAPO. V.

DIem vnam fuiſſe, veſpere, & mane.
Die quarta creata luminaria.

Geneſ. 1.

Profectò ſi die quarta fuere creata luminaria, quo lumine illuminati fuerũt illi tres primi dies, cùm ꝑ luminaria dies diſtinguantur à noctibus, vt liquidò patet. Idcirco, & huic pariter nouimus dicendum, quòd per illos tres dies, qui ſine luminaribus leguntur extitiſſe, moram diſtinctam temporis non intelligimus, ſed operum duntaxat diſtinctionem, vt præfati ſumus in pręcedenti. Sic, videlicet, appellatam veſpere per tranſitionem conſummati operis, & mane per inchoationem futuri operis ad ſimilitudinem humanarum operationũ, quæ pleraque à mane incipiunt, & ad veſperam deſinũt. Vel dicamus ſi placet, quòd licet in illis primis diebus non adhuc facta fuiſſet diſtinctio inter ſydera, fuit

Dies creationis quomodo accipiẽdi.

tamen facta inter diem, & noctem. Vtique illustrati fuere, vt credimus, illi primi dies luce illa, quam Deus à tenebris prius diuiserat. Quæ quidem lux minimè fuisse creata creditur à Cabalistis. Vel adhuc dicamus, quòd luminaria cœli prima die creata fuerunt in substantia, sed forsan die quarta duntaxat posita in firmamento, vt super terram lucerent. Profectò secundum istos, quod die quarta in specie processerat, illud idem in prima die in cœli substantia per conditionem prius extiterat. Et sic de quibuscunque rebus, secundum istos, dicendum est.

Luminaria cœli quando creata.

CONTRAPO. VI.

Genes. 1. *Iob 7.*

Dies fuisse formatos legimus.
Dies quibus Iob vixerat nihil.

Mirũ quippe videtur, vt nihil esse dicantur dies: qui vt aliquid essent, fuere formati in creatione primæua. Idcirco, & huic sic nouimus respondendum, dicentes, quòd si dies isti accipiantur iuxta cursum primi mobilis, quòd diebus singulis pertransit ab Oriente in Occidentem, meritò nihil dicendi veniunt, cùm transeant absque vlla remanentia, quod & illum non latuit, qui de tempore locutus ait: Et nihil habemus de tempore nisi præsens instans, quod est quoddam indiuisibile, secans præteritũ à futuro, quorum nihil habetur, non quidem præteriti, quia iam trãsiit, nec minus futuri, quia nondũ aduenit. Ad aliam verò dicimus, quòd eo in loco Iob repręsentat typũ cuiuslibet peccatoris, cuius dierum spacium, quo ad meritũ, nihil est apud Deũ: de quibus diebus sic consumptis absque merito subiungitur in pręnotato loco vice peccatoris hominis: Cõsumpti enim sunt dies mei absque vlla spe, sed de diebus formatis bonis operibus dicitur è contrario in Psal. Et dies pleni inuenientur in eis: qui idcirco pleni esse dicuntur, quia in præsenti merito, & gratia formati cernuntur, & in futurũ plenos fore expectamus pręmio, & æternitate. Qui dies, & simul erunt omnes. Qui dies, dies bonos appellauerat Petrus. Et sic patet quid dicendum fuit ad præmissa.

Arist. *Iob 7.* *Psal. 72.* *1. Pet. 3.*

CONTRAPO. VII.

D*Ie septima quieuit Deus à mundi fabrica.* *Genes. 2.*
Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. *Ioan. 5.*

Si ab omni opere, quod Deus patrarat, quieuerat die septima, quomodo verũ erit, quòd adhuc operetur? Arbitramur, & huic respondendum dicentes, sic esse sensum primæ, ꝙ cessauerit Deus ab omni opere, quod creauerat ad faciendum, vt Hebraica continet veritas, *Heb. ver.* cessauit inquam quo ad genera, vel species condendas creaturarum, quarum nullam deinceps denuò creat. Nam quæ tunc primordialiter condiderat, nunc potentialiter gubernat & regit. *Deus quomodo nullam creaturam de nouo creet* Nec obstat, quod in altero dicitur, quia bene stat, quòd ex iam creatis speciebus multa de nouo faciat indiuidua, sed non illa creat, vt multi sentiunt. Quia creatio ex nihilo, factio verò ex iam prȩiacenti materia procedere dicitur. Hinc condemnatur pernitiosus error quorundam Talmudistarum asserentium in libro Senedrin, quòd duo Rabini singulis sextis feriis creabant vnum vitulũ quem pariter comedebant. Quietem verò Dei idcirco appellauit Scriptura, vt nos admoneret post bona opera quieturos in patria. Nam cùm dicitur, quòd Deus quieuerit die septima, ostenditur, quòd tu homo cùm attendis ipsum post bona opera quieuisse, non tibi speres requiem nisi cum bona opera fueris operatus. *Homini quãdo speranda est requies.* Et quemadmodum Deus postquam fecerat hominem ad imaginem, & similitudinem suam sexta die, quieuit in septima: sic pariter tibi non speres requiem, nisi cùm redieris ad similitudinem Dei, in qua factus es, quam peccando perdidisti. Idcirco illa mystica sunt, & nobis denotant, vt requiem speremus post hanc vitam, si bona fecerimus opera. Et sic patet quid ad prȩmissa dicendum fuerat.

CONTRAPO. VIII.

A*Ngeli nullibi leguntur facti.* *Scriptu.*
Ecce Beemoth quem feci, tecum. *Iob 40.*

Quomodo Beemoth, quem & angelũ quendã esse nonnulli existimant, cum homine factus est, si hoc

nuſquam in Scripturis legatur? Quanquam indubitāter credimus angelos fuiſſe creatos, cùm & ipſi ſint creaturæ: nec obſtat, quòd horum creatio non legatur expreſſè, quia, & de dracone in Pſal. dicitur: Draco quem formaſti ad illudendum ei. Quanuis & Auguſtini opinio ſit, quòd angeli creati intelligantur cum cœlo empireo. Arbitratur enim præfatus quatuor ſimul fuiſſe creata, videlicet, materiam primam, tempus, cœlum empireũ, & angelos, quos ſtatim creatos locauit Conditor in cœlum. Inde contemnenda venit quorundam Talmudiſtarum ridiculoſa, & friuola opinio qua aſſerunt in libro Auoth, & dicunt, quòd in fine diei ſextæ hæc creata fuerunt, videlicet, os terræ, os putei, os aſinæ Balaam, Aries Abraham, & Moiſi ſepulchrum. Quanquam ad ſecundam poſſemus dicere, quòd angelus ſimul creatus fuerit cum homine cognitionis ſimultate, cùm in Deo reſpectu creandarũ rerũ non extiterit prius, neque poſterius. Nam ipſe dixit, & facta ſunt omnia. Vel potius dicas, ſi placet, quòd ſimultate perfectionis, homo & angelus fuere creati, cùm ab omni alia irrationali creatura dono intellectus proceſſerint ambo. Sunt enim angeli (teſte Porphirio) & ipſi rationales ſicuti & homines, licet excellentius diſcurrat angelus quàm homo. Vel ſi ad altiora velimus aſcēdere, dicemus, quòd per Beemoth hoc in loco non angelus ille, ſed idea omnium cicurũ, vel animalium intelligi placuit, vt nonnulli ſentiunt dicentes, illam cum idea hominis fuiſſe creatam.

Pſal. 103. Auguſt. Quatuor ſimul creata. Homo quomodo ſimul creatus cum angelo. Pſal. vlt. Porphi. Beemoth.

CONTRAPO. IX.

Hominem ex limo terræ formatum legimus. Hominem manibus Dei factum, alibi.

Vtiq; ſi Dei manibus formatus fuit homo, quomodo ex limo terræ? & econtra, ſi ex limo terræ, quomodo Dei manibus? Quibus ſic placuit reſpondendum, dicentes, quòd aliter per limum, & aliter Dei manibus homo fuit factus. Vtique per limum tanquam per materiam ex qua formatus eſt. Sic enim Hebraica veritas continet: Et formauit Dominus puluerē de terra. Profe-

Geneſ. 2. Pſal. 118. Heb. ver.

ctò prępoſitionem illam, D E, hoc in loco materiam cõpoſiti nullatenus ſignificari dubitamus, ex qua formatus fuit homo, qui idcirco ex limo terrę compoſitus, vt limo indutus prudenter curet corporea. Ad aliam verò dicimus, quòd per manum Dei poteſtas ipſius venit intelligenda, qua omnia fuere facta. Nec obſtat, quòd plurali numero hoc fuit expreſſum, quia per alteram manum virtutem, per alteram verò ſapientiam ipſius Dei intelligẽdam nouimus. Vel dicamus ſi placet, quòd forſan per manus iſtas perſona filij, & ſpiritus ſancti, nõ abs re poſſunt intelligi, quibus veluti quibuſdam manibus Deus operatus fuit omnia. Profectò de filio Paulus locutus ait: Per quem omnia, ex quo omnia, in quo omnia: ſed de ſpiritu cooperatore omniũ in Pſal. dicitur: Ex ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Sic ergo intellectis præmiſsis, in nullo prorſus contrariari cernuntur, quia aliter per limum, aliter verò per manum Domini homo formatus fuit à Deo omnium creatore.

Manus domini.

Roma. 2.

CONTRAPO. X.

HOminem ſexta die formatum legimus.
Homo non erat, qui operaretur terram.

Si poſt omnium creationem homo nõ erat, qui tam operaretur, cur præmittitur, quòd ſexta die fuerat formatus? Idcirco, & huic quæ nonnihil contradictionis videtur in ſe includere, placuit dicendum, quòd non obſtat, quin ſexta die formatus fuerit homo, vt virtute ſenarij plenus eſſet, & quòd adhuc terram non operaretur, cũ nõ fuerit factus homo, vt terrã operaretur, ſed vt potius cœlũ cõtẽplaretur. Vtique ante lapſum non opus erat ei operari terram, quæ irrigata aquis fontis aſcendentis de terra, abſque cultu aliquo fertilis producebat fructum. Labor enim in pœnam fuit indictus homini, dum illi lapſo dixerat Deus: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo quo forſan antequam fuiſſet tranſgreſſor, non indigebat, cùm potius alimento cœleſti quàm terreſtri nutriretur dum totus in Deum fixus cœleſtia meditaretur, locatus in illo paradiſo delitiarum ſuaui, &

Geneſ. 1.
Geneſ. 2.

Homo cur ſexta die creatus.

Geneſ. 3.

amœno, cui cætera creata tanquam principi, & domino, famulabantur ad nutum, sed hostili suggestioni consen-
Psal. 41. tiens, taliter à sua cecidit dignitate, vt iumentis insipientibus similis fuerit effectus. Idcirco vt terram suis operaretur manibus præceptum fuit, quod & meritò accidit illi. Nēpe deficienti à Deo conditore suo, terra spinis, &
Genes. 3. tribulis plena illico se obtulit. Et sic patet quid fuit. d.

CONTRAPO. XI.

Genes. 1. T*Erram prima die creatam legimus.*
Tit. Psal. 92. *Terram sexta die creatam, alibi.*

Profectò si prima die terra creata fuerat, vti Scriptura attestatur, cur titulus Psal. 92. aliter sentit? Vtiq; talis est: Laus cantici Dauid in die ante sabbatum quando fundata est terra. Nam dies ante sabbatum, diem sextā denotat. Quibus arbitramur dicendum, quòd forsan de terra illa sit locutio in titulo de qua dicitur: Et formauit
Genes. 1. Deus hominem de terra. Qui idcirco die sexta, hoc est, post omnium creationem formatus est, vt ostendatur omnia quæ primo creata fuerant in illo tanquā in excellentiori contineri: quod & illū non latuit, qui de digni-
Sapiē. 1. tate hominis locutus ait: Deus dedit homini virtutē con
Aristo. tinendi omnia: cui pariter & Arist. consonanter dixerat, dum de huiusmodi excellentia locutus ait: Nos sumus quodammodo omnia: idcirco & Microcosmon hominem appellauerat, id est minorem mūdum. Quanquam ad hanc secundam, aliter respondentes possemus dicere, hoc canticum non fecisse Dauid, sed Adam, vt aliqui
Cabalista Cabalistarum opinantur, & potissimum Rabbi Achi-
Rabbi. ua, qui in sua alphabetaria explanatione dicit, quòd pri-
Achiua. mus homo cernens se ad Dei imaginem formatū, gratias conditori agens cecinit hoc canticum. Sed diceret forsan quispiam: Qui sunt isti Cabalistæ, & quid signa-
Cabalista tur per Cabalam? edissere. Cabalistam illum esse dici-
qui. mus, qui ab hoc mundo sensibili ad mundum intelle-
Talmudi- ctualem suum cogitatum traducit & transfert, sicuti è
sta qui. conuerso Talmudistam illū esse iudicamus, qui in mundo sensibili permanens, animam huius mundi nullate-

nus tranſcendit. Cabala verò Simbolica receptio diuinę reuelationis dicitur: vel dicamus ſpiritualis Scripturarum intelligentia, quam primo Moſi fuiſſe traditam arbitramur, ore ad os, ipſe verò poſtmodum illam tradidit Ioſue, qui & ſenioribus Iſraël, ſeniores verò prophetis: Prophetæ autem viris præfectis ſinagogæ tradidere. Et ſic qui ad præmiſſa fuerat dicendum, ſatis luculenter patet ex prænotatis. *Cabala quid.*

CONTRAPO. XII.

TErram ſuper nihilum fundatam legimus.
Terra ſuper maria fundata dicitur alibi. *Iob 26.*

Si ſuper maria fuit terra fundata, vti Propheta atteſtatus fuit in pſalmo: cur alter dixit illã fuiſſe fundatã ſuper nihilum? Nempe ſi fundamẽtum terræ fuerat mare, non vtique fuit nihil. Sed ſi præmiſſa diligenter ſcrutari velimus, vtrunque eſſe verum non hæſitabimus. Idcirco, & huic dicendum placuit, quòd ſi ad originem ipſius terræ habeatur recurſus, cùm ibi pro fundamento eius non extiterit materia præiacens, ſed nuda priuatio, meritò ſuper nihilũ fuiſſe fundatam dicere poſſumus. Et tũc ſtante hoc ſenſu poſſumus dicere ad alterã, quòd idcirco ſuper maria fundata dicitur, quia vndique aquis ſupereminet circunfluentibus. Quanquam Philoſophi aliter ſentientes dicerent terram, videlicet, ſuſtentatam eſſe aëre denſo. Nos verò Chriſtiani, lumine illuſtrati fidei, huiuſmodi cæcutientes opiniones repudiantes audemus dicere terrã miraculoſè ſuper aquas ferri. Vtique cùm terra ſit denſior aquis, ac illis minor circuitu, ſub aquis eſſe deberet, prout ordo naturę requirit: ſed nõ fuit permiſſum ab illo, qui taliter ſuper ſtabilitatem ſuam fundauit terram, vt non amplius inclinetur in ſæculum ſæculi, qui pariter, & pręnotatis aquis talem poſuit limitem, vt illum tranſgredi non audeant, neque conuertantur amplius operire terram, vt prænotatus Propheta atteſtatus eſt. Vel ſi placet ad altiora aſcendentes dicamus, quòd ſuper aquam illam terram fundatã nouimus, quæ Chriſtus dicitur, qui & in ſcripturis Aqua ſapientiæ di-

Pſal.23.

Chriſtiana opinio de creatione terræ.

Pſal.103.

Eccle.15. ctus est:ipse enim non solùm aquæ fundamentum dicitur, sed & pariter omnium creaturarum. Quod & ille
1.Cor.3. nouerat, qui de huiusmodi stabili fundamento locutus,
Christus quomodo fundamẽtum. ait:Fundamentũ aliud nemo potest ponere,&c. Et ideo quia fundamentum dicitur,idcirco omnia portare dicitur, iuxta illud eiusdem Pauli dicentis: Portans omnia verbo virtutis suæ.Et sic soluuntur præmissa absque vl-
Heb.1. la contradictione.

CONTRAPO. XIII.

Genes.1. *Mare nullibi factum legimus.*
Psal.94. *Deum fecisse mare testatur Propheta.*

Hæc mentem nostrã maximè diuerberare noscuntur.Nam si maris creatio nullibi in Scripturis legitur,quid somniare videtur Propheta dicens, mare fuisse
Ibidem. factũ?ait enim:Quoniam ipsius est mare,& ipse fecit illud.Quibus pro responsione arbitramur dicendũ, quòd
Genes.1. quantum ad substantiam,mare fuit creatum, inclusum, videlicet in illud chaos magnum, quod erat quoddam confusum,& inane, ex quo demum sumpta materia, & distincta per formam Deus formauit aquam. Profectò dicente Deo:Congregentur aquæ,quæ sub cœlo sunt in locum vnum, aqua suam accepit formam, quam nunc videmus:ipsa enim aquarũ congregatio: ipsa fuit aquæ formatio, quam & fuisse acceptam nullatenus dubitamus ex illa aqua,super quam Domini spiritus prima die ferebatur.Quam aquarum congregationem Deus post-
Ibidem. modum vocauit maria,vti Scriptura refert,ita quòd hoc nomen mare non fuit per se nomen distinctum,sed nomen aquarum sic die tertia in vnum congregatarum, quæ aquæ nomen maris postea(vt præfati sumus)sortitæ sunt.Et sic patet quid fuit ad præmissa.d.

CONTRAPO. XIIII.

Psal.94. *Aridam fundauerunt manus Domini.*
Genes.11 *Aridam nusquam fundatam esse nouimus.*

Si aridã nullibi fundatã fuisse legitur, cur aliud dixerat Propheta regius? Idcirco huic pariter respondẽ-

dum nouimus dicentes, ſicuti de mari locuti ſumus, videlicet, quòd hoc nomen arida, non fuit nomen alicuius rei ſic per ſe diſtinctæ creatæ ab aliis rebus, ſed nomen terræ ſic vocatæ à Deo, poſt illam aquarum diuiſionem tertia die factam. Nam ſicuti illa aquarum congregatio forma fuit, vt talis eſſet ſpecies aquæ, qualem nos cernimus, ita & per illud dicere Dei: Et appareat arida, terra accepit viſibilem formam, quam nunc liquidò cernimus. Profectò prius dicebatur terra inuiſibilis, & incompoſita materiæ confuſio, ſed facta diuiſione viſibilis, & compoſita ſub hoc nomine arida. Sit ergo iſtius primæ ſenſus, manus Domini fecit aridam, id eſt, tribuit formam terræ, vt appareret. Nam antea (vt prætulimus) inuiſibilis erat, & incompoſita, ſed poſtea viſibilis, & perceptibilis. Sed ſi quæreres tanquam curioſus, & diceres: Cur Deus primò illam terram deformem, & monſtruoſam fecit, poſtea tradidit illi viſibilem formam, dum ait: Et appareat arida? Dicemus, quòd idcirco ſic illam deformem creauit, ne homines ob vſus neceſsitatem, pluſquam dignum eſt, illam venerarētur: vel dicamus, quòd ideo illam ſic deformem creauit, vt ne beneficia terræ telluris naturæ imputes, ſed illi tribuas, qui illam ex nihilo creauit, vt eſt, demum vt appareret, viſibilē tradidit formam. Et ſic patet quid dicendū fuerat ad præmiſſa.

Geneſ. 1. *Pſal. 94.* *Geneſ. 1.* *Cur terra ſic deformis primò creata.*

CONTRAPO. XV.

Adam primò creatus eſt, deinde Eua. *Geneſ. 1.*
Adam, & Eua ſimul creati leguntur. *Geneſ. 2.*

Si ſimul creati legūtur, quomodo Eua ex coſtis eius ſumpta fuit, vt Scriptura cōmemorat? Hæc enim vt cernimus, ſimul ſtare nequeūt. Nam ſi ſimul creati, quomodo non ſimul, ſed alter ex altero? Huic quoque nouimus dicendum, quòd non obſtat, quòd Eua ſimul fuerit creata in ſubſtantia cum Adam, & quòd poſtea ab illo fuit diſtincta per formam, dum coſtam, quam Deus tulerat ex Adam, ædificauit in mulierem, veluti ſi mulier maſſam primò conficeret ex farinula & aqua, demū illam per formam diuidens, panem conſtitueret, & pla-

Eua quomodo ſimul creata cum Adam. *Geneſ. 3.*

centas,ſed abſit à fideliũ mentibus, vt opus Domini tã vili exemplo velimus comparare. Dicamus ergo aliter, videlicet, quòd Moſi intentio fuerat repetere inferius, quę prius diſtinctè præmiſerat. Profectò quaſi recapitulando ſubiunxit, Maſculum & fœminam creauit eos. Quod non ſine grandi myſterio prętereundum eſt. Nẽpe Adam dormit vt ex coſta ab eo ſumpta fiat Eua, moritur Chriſtus, vt ex eius latere ſacramẽta fluant, & conſtituatur eccleſia. Dormienti quippe illo fit Eua de latere, mortuo Chriſto lancea percutitur latus, & Eccleſia formatur ex percuſſo latere. Quandoquidem dixit Apoſtolus ipſum Adam formam fuiſſe futuri. Hîc condemnatur error aliquorum Talmudiſtarum dicentium in libro Berachoth, quòd Deus creauit in primo homine caudam quandam, ex qua poſtmodum fuit formata Eua. Et ſic patet quid.d.

Geneſ.3.

Rom.5.

CONTRAPO. XVI.

Geneſ.6.
Pſal.103.

P*Oenitet me feciſſe hominem.*
Dominum non pœnitebit.

Si Deum pœnituiſſe legimus, vti Scriptura refert, quid eſt, quòd Propheta regius ſentit oppoſitum, quaſi ſi pœnitere non conueniret illi? Idcirco, & huic ſic nouimus reſpondendum, communem imitantes explanationem, & dicentes, quòd Deus, in quo nulla paſsio cadere poteſt, nõ propriè ſe pœnituiſſe dicitur lapſum primi hominis conſpiciens, ſed his verbis voluit oſtendere, quantum ægrè tulerit lapſum totius carnis. Idcirco fingens dolorem maximum ait: Pœnitet me feciſſe hominem. Sic enim quandoque euenire ſolet dum pro bene geſtis finis non expectatus accidit. Nempe Deus hominem fecerat, vt bonum operans Deo dignus eſſet, ſed ille tantæ dignitatis oblitus noluit intelligere, quin potius vitam brutalem ſecutus, ſimilis factus fuit iumentis inſipientibus. Nec primæ obſtat altera, quæ præuenitur ab illa dictione, Iurauit, vt oſtendatur, quòd illud quod Deus iureiurando ſe facturum decernit, omnino abſque vlla hæſitatione eueniet neceſſariò, cùm eius voluntas

Geneſ 6.
Homo cur fact⁹.
Pſal.103.

immutabilis permaneat in cœlo, & in terra. Nam quid aliud est dicere: Non pœnitebit Deum, quàm dicere nõ mutabit Deus? non enim dolorem pœnitentiæ patitur Deus, aut in aliquo fallitur, vt velit corrigere, in quo errauit, sed quomodo hominem cùm pœnitet mutare vult quod fecit, sic vbi audis, quia pœnitet Deum, mutationẽ ipsam spera, licet aliter pœnitere dicatur Deum, aliter hominem. Nã hominem idcirco pœnitet, quia errauerat: Deum verò ob hoc pœnitere dicitur, quia vendicat aut liberat quempiã. Et sic soluuntur præmissa sine contradictione.

Voluntas Dei immutabilis *Psal. 134.*

CONTRAPO. XVII.

DIes hominis 120. annos post Noe.
Dies hominis in ipsis septuaginta annis.

Genes. 6. *Psal. 89.*

Si 120. anni pro vita hominis designati fuerunt post diluuiũ, quid somniat Propheta regi[9], aliud sentiẽs? Et huic quę nullam prorsus continet in se contradictionem, sic respondendum placuit, dicentes: Primam non sic accipiendam esse, quasi per illam denuntiatũ sit homines centumuiginti annos viuendo non transgredi, cùm & post diluuium etiã quingentos excessisse inueniamus, sed intelligendum est, Deũ hoc dixisse de Noë, qui tunc cùm ad eum Dominus locutus fuit, quingentorum annorum erat, id est, quadringentos octuaginta annos vitę ageret, quos more suo quingẽtos Scriptura vocat, nomine totius maximam partem plerunque significans, ac si centumuiginti anni prædicti sunt futuri vitæ hominum periturorum, quibus transactis diluuio delerentur. Quanquam ad alterã possemus referre diem, ꝙ per illum annorum numerum breuitas vitæ, ac huius vitæ miseria videtur exprimi. Quia & longæui appellantur hoc tempore etiam qui septuaginta annos vixerint, vsque ad octuaginta autem videntur aliqui adhuc vitam habere, sed raro. Hi verò amplius si vixerint, multiplicatis laboribus, & doloribus viuunt. Sed & multi intra septuaginta annos infirmissimam, & erumnosissimã senectutem gerunt, licet aliquando vltra octuaginta an-

Longæui huius tẽporis.

nos senes mirabiliter vigere probati sint, hoc autem inquàm paucis. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. XVIII.

Genes. 1.
Ephe. 5.

Dies, & cætera omnia bona creata fuere.
Dies esse malos Apostolus nouerat.

Si omnia fuere creata bona in sua creatione primæua, vt Moses fuit attestatus: cur dies malos esse Paulus dixerat, cùm & ipsi pariter creati cernantur? Et huic sic arbitramur dicendum, quòd non eodem modo accipitur dies in præmissis. Nam in prima pro illius temporis spacio accipitur, quo sol stat super terram girátque totum orbem, ab ortu, videlicet vsque ad occasum, quod & ita acceptum definitur à Philosopho sic: Tempus est mensura motus: sed in altera tempus pro temperatis accipiendum nouimus. Nam quia Paulus nouerat suo tẽpore quosdam claudicantes in fide, ac suscipientes falsos Apostolos, idcirco ne simpliciores corrumperentur à talibus doctrinam suspectam disseminantibus, ac iudaizantibus, cautos fecit Ephesios dicens: Videte quomodo cautè ambuletis: & causam subiungẽs dicit: Quoniam dies mali sunt, his verbis prænotatos monens ne commiscerentur suspectis in fide. Vtique dies sic accepti, per accidens dicendi sunt, siue boni, siue mali: boni quidem si bonis formentur operibus: mali verò econtrariò, dum quis malè viuens malè vtitur illis. Quanquã dies in se accepti semper dicẽdi sint boni: ex quibus formantur menses & anni. Et sic soluuntur præmissa sine contradictione.

Ibidem.

Dies mali dicuntur per accidens.

Gene. 2.

CONTRAPO. XIX.

Gene. 1. & 9.
Esa. 56.

Semen humanum multiplicandum præceptum in lege.
Prole carentes commendantur alibi.

Si idem Deus qui præceptũ dederat de matrimonio in initio temporum, & demum pariter post diluuiũ commendat Eunuchos in Euangelio, ac per hoc illos videtur dissoluere à mandato, quomodo verum erit, quod ipse dixerat alibi voce prophetica: Ego sum Deus, & nõ mutor? Huic itidem sic nouimus respondendum dicen-

Mat. 19.
Mala. 3.

tes,quòd condecens fuerat, vt in exordio rationalis naturæ præceptũ daretur de ſemine multiplicando : pariter & poſt illam purgationẽ terræ per aquas diluuij, dũ paucæ remanſerunt animæ conſeruatæ in arca Noë, vt rurſus impleretur mundus. Sed poſtquam impleta fuit terra,hoc mandatũ carnale amplius locum non habuit, vt videlicet tranſgreſſor legis diuinæ haberetur,qui hoc carnale ſemen non augeret. Nam licet illi priori populo adhuc rudi & carnali,ac non valenti capere cœleſtia, huiuſmodi ſemen producere fuerit mandatum : potuit tamen moderari ab illo,cui omnis poteſtas conferenda erat in cœlo,& in terra. Hic enim definito tempore ad nos veniens nouam decreuit ſibi conſtituere plebẽ, cui & bonorum operum fructum producere mandatũ dari placuit. Idcirco homo per Chriſtum innouatus ſpiritualẽ fructum producere habet:quem fructũ ſemen ſanctum,quod eſt verbum Dei,prius produxit in terra illorum mentiũ,qui propter regnum cœlorum adipiſcendũ ſeipſos caſtrauerunt: de quorũ numero eſſe intelliguntur potiſsimè omnes clauſtrales, ſeu virgines in Dei Eccleſia militantes,ſiue in Cœnobiis incluſæ, ſiue in ſeculo degentes. Quanquam ad coniugatos(vti Auguſtini vtar ſententia)extendi pariter poſſet hoc Chriſti mandatũ, quibus in ſuo gradu hunc fructum facere indictũ nouimus,ſi vitã illam adipiſci cupiunt, quæ finem non habet:ſecus autẽ facientes, indubitanter ſub maledicto remanentes iudicabũtur ab illo, qui ſuis cultoribus hũc fructum facere præceperat,vti Ioannes atteſtatur.

Geneſ.1. *Geneſ.9.* *Mandatum carnale quãdo finem accepit.* *Mat.28.* *Spirituale ſemen producere.* *Luc.3.* *Mat.19.* *Auguſt.* *Gala.3.*

CONTRAPO. XX.

Animalia quædam immunda in arca Noe.
Animalia immunda ſelecta per Moſen.

Geneſ.7. *Leuit.11.*

Si per Moſen ſelectio facta fuit,qua immũditia immunda fuerant animalia quædã in arca Noë ante diluuium?Et huic,quę omni caret controuerſia dicendum nouimus,quòd illa eadem animalia,quæ priori tempore, Dei mandato ſelecta fuerant, ac locata in arca tanquam immunda, illa eadem Moſi tempore ſelecta fue-

Geneſ.7. *Leuit.11.*

runt tanquam immunda non solũ esui, sed & ritibus sacrificiorũ, cùm non liceret talia admitti in sacrificio ne inficeretur oblatio: quanquam alia causa fuere selecta per Noë, & alia per Mosen? sed postmodum aduentante tempore plenitudinis gratiæ, quæ prius tanquã immunda repudiabantur, taliter humano vsui idonea fuere reddita ꝑ Christi sanguinẽ, vt nullatenus immũdus sit iudicandus, qui ex illis gustauerit, dũmodo rationabilia sint. Quod & illa vox allata è cœlis ad Petrum designauit,
Act.10. cui admiranti ait: Surge Petre, occide, & manduca: & ne animalia in linteo sibi ostensa tanquã immũda esui repudiaret, subiunxit vox dicens: Quod Deus purificauit tu ne immundum dixeris. Et sic patet quid.d.

CONTRAPO. XXI.

Genes.6. *SPiritus domini non erat permansurus in homine.*
Ioan.1. *Spiritũ Domini super Christũ hominẽ permansisse legimus.*

Si diuino decreto iam definitũ fuerat, vt Spiritus domini non permaneret in homine, quomodo verũ erit quod Euangelista attestatus est, dicens: Spiritum Domini, videlicet descendisse, ac permansisse super Christum baptizatum? Quibus sic nouimus dicendum, quòd
Genes.6. idcirco Domini spiritus priori tẽpore in homine permanere nequiuerat, quia (vti Scriptura cõmemorat) totus carnalis effectus fuerat. Vtique sic continet prænotata litera: Omnis quippe caro corruperat viam suam super
Gala.5. terrã, cui sic corruptę spiritus Domini nullatenus habitare permittitur, sed illi aduersatur: Permanserat tamen super Christum, qui non sicut cæteri hominũ ex corrupta congerie Adæ fuerat formatus, sed ex purissimis sanguinibus illibatæ virginis viri consortium penitus nescientis. Nec obstat quòd iste spiritus aliquando descen-
2.Pet.1. derit, ac locutus fuerit in prophetis, quia non sic in illis permansit, sicut in Christo. Vtique in prophetis & veniebat, & recedebat ad placitum, sed in Christo postquã primò descẽderat, nusquam amplius recessit ab illo, sed
Ioan.1. semper permansit. Idcirco Euangelista non ab re addidit: Et manentem super eum. Quod non casu actum

fuisse credimus, sed diuina sic ordinante prouidentia, vt videlicet ex sua abundanti impletione omnibus in se credentibus postmodum impartiret, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Qui spiritus idcirco in columbę specie visus fuit, quia omnes quos implet, & columbæ simplicitate mãsuetos, & igne zeli ardentes exhibet. Et sic patet quid dicendum. *Ioan. 1.*

CONTRAPO. XXII.

ANni peregrinationis in Aegypto 400. *Gene. 15.*
Anni peregrinationis præfatæ 430. *Exod. 12.*

Si anni quibus filij Israël morati fuerunt in Aegypto sub illa pharaonica seruitute, 400. sunt, quomodo idẽ Moses dixerat infrà, eos 430. fuisse? Idcirco & huic, quæ nullã penitus sentit in se contradictionẽ, placuit dicendum, quòd alterum forsan inchoandum est à promissione facta Abrahæ, quando videlicet Deus apparẽs illi dixerat: Sciendo scies, quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligẽt quadringentis annis. Sed aliud forsan inchoandũ est ab ingressu duntaxat Iacob in Aegyptum, quem sensum fortasse imitatus Apostolus pariter dixerat scribens Galatis. Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post 400. & 30. annos facta est, lex non irritum facit ad euacuandam promissionem. Et sic præmissis intellectis concordare videntur quàm maximé. *Gene. 15.* *Exod. 12.* *Gala. 3.*

CONTRAPO. XXIII.

ANimæ ingressæ cum Iacob Aegyptum septuaginta. *Gene. 40*
Animæ eædem Aegyptum ingressæ 75. alibi. *Act. 7.*

Profectò si 70. duntaxat animæ ingressæ sunt Aegyptum, cur Lucas Euangelista à Propheta dissentiens, dixerat illas fuisse. 75? Ob quod & huic sic respondendum iudicauimus dicentes ad primam, ꝙ forsan Mosi intentio fuerat denarium numerum duntaxat ponere, qui septies repetitum septuagenarium conficit numerum, imitatus Abrahã, qui dum Sodomeis indulgẽtiam rogaret, fixit in denario numero tentorium suę depreca- *Gene. 18.*

Denarij perfectio. tionis citra quem non descendit, numero quidem perfectisſimo ac omnium maiore, vltra quē (vti Platonis vtar sententia) nullus vnquam auſus fuit inuenire numerū. Euangeliſta verò quinarij numeri pariter contemplatus myſterium, illum non ab re hoc in loco coniunxit denario. *Miſteriū quinarij.* Conſtat enim quinarius ex primo pari, & ex primo impari, tanquā ex maſculo & fœmina: impar enim numerus (vt norunt ſapientes) Mas eſt: Par verò, fœmina. Idcirco Arithmetici illum patrem: hunc verò matrē vocant. Eſt etiam quinarius, vniuerſi numeri, videlicet denarij, iuſtiſsima medietas: ob quod numerus connubij à Pithagoricis appellatus eſt. *Numerus connubij.* In huiuſmodi enim numeri virtute Abraham centenarius ex Sara nongentaria ſterilíque fœmina filium genuit, vti Cabaliſtæ atteſtantur. *Numerus circularis.* Qui numerus inter cæteros circularis dictus eſt, cuius proprietas eſt in ſeipſum reuerti multiplicatus, circulari pariter numero quaſi quodam myſterio omnia debent reuerti ad illum, à quo & principium ſumpſiſſe creduntur. *Sap.* Nam ſicuti à Deo proceſſere omnia, ita ad illum tanquam illorum finem terminari decet. Vel forſan dicamus ſi placet, ꝙ Moſi intentio fuit filios duntaxat Iacob ponere, qui cū illo Aegyptum intrarunt. *Gene. 40* Sed Lucas nepotes annumerauit pariter, quia & ipſi filij Iacob alia relatione ſunt dicendi: quos & Moſes forſan ſilentio pertranſiit. *Act. 7.* Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque contradictione illæſa.

CONTRAPO. XXIIII.

Gene. 13. *Maior ſeruiet minori.*
Gene. 33. *Minor adorauit maiorem.*

Non minori ſeruiuit, qui à minori fuerat adoratus, vti Scriptura cōmemorat. Sed ſi præmiſſa placuerit contemplari, proculdubio videbimus præmiſſa duntaxat allegoricè eſſe intelligenda. Profectò hoc in loco per maiorem, Iudæorum populum intelligi placuit, qui idcirco maior dictus fuit illo tempore, quia populus dilectus Dei ac peculiaris extiterat, tum quia primò illi credita ſunt eloquia Dei. *Pſal. 32.* *Rom. 3.* Sed ruētibus illis ab huiuſmo-

di credulitate,meritò minor effectus est,cui & Christianus populus postmodum perfectus fuit, locóque eius subuectus per fidem.Idcirco translato regno,constituta est per Christum noua Ecclesia,cui in fide desponsata fuit:remanentibus vacuis Iudæis, ac omni priuilegio priuatis,quibus iampridem Saluator comminatus dixerat: Auferetur à vobis regnum Dei, &c.vsque eius. Quanquam aliter respondentes ad præmissa possemus dicere, quòd per hos geminos fratres spiritus & caro intelligẽda sunt:quorum prior maior natu dicitur, iuxta illud Pauli dicentis,primò quod animale, quod & posteriori, id est spiritui seruire debebat in lege perfectę libertatis. Vtique in hac lege taliter caro subiicienda erat spiritui, vt non amplius illi tantùm aduersaretur,sicuti extiterat in prima lege, quæ versabatur circa mandatum carnale sed liberati à Christo principe,legi spiritus dũtaxat, seruire debemus, & secundũ illam ambulare: ad quod nos hortatus fuerat ille,qui ait,Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.

Act. 13. *Mat. 21.* *Gene. 27.* *1. Cor. 15.* *Iacobi 1.* *Hebr. 7.* *Rom. 6.* *Ibidem.*

CONTRA PO. XXV.

Abraham dum viueret iustificatum legimus. *Gene. 15.*
Omnis viuens non iustificabitur coram Deo. *Psal. 142.*

Si coram Deo nemo venit iustificandus, vt Vates nouerat,qua lege,seu quo fauore Abraham,dũ viueret,fuit iustificatus,vti Scriptura attestatur?Et huic quæ nullam in se contradictionem videtur includere placuit dicendum, quòd altera sic intelligenda est, vt eius talis sit sensus:ꝙ homo nihil in se cõtineat,nisi quod emẽdet, mundet,& purget: idcirco ex meritis propriis, quorum nullum habet, iustificari nequit: quem pariter sensum Apostolus secutus dixerat scribens Romanis:Non iustificabitur omnis caro coram illo. Nam quis viuens in mortali carne dicere audebit,quòd sit iustus, cũ sit scriptum:Iustus perit in sua iustitia?Idcirco sancti homines magis de misericordia Dei, quàm de propriis meritis præsumebant.Nã Abraham vocatus à Deo, respondens ait:Cùm sim puluis & cinis.Iob pariter suã contempla-

Roma. 3. *Gene. 15.* *Iob 8.*

tus miſeriam dixit: Si iuſtificare me voluero,os meum condemnabit me, & ſi innocentem me oſtendere curabo,prauum me cõprobabit Dominus,ſed ad alteram di-
Gene. 18. cimus,quòd Abraham ex ſola Dei benignitate, hoc munus fuit cõſecutus,cui & fides pariter collata eſt dum in præputio eſſet,& Deo crederet,vt ſic iuſtificari mereretur ab illo,qui ſolus iuſtificat hominem.Et ſic patet quid ad præmiſſa fuit dicendum.

CONTRAPO. XXVI.

Gene. 17. *Abraham contra ſpem credidiſſe legimus.*
Rom. 4. *Abraham è conuerſo in ſpem credidit.*

Si cõtra ſpem magnus ille Patriarcha credidit, vti Scriptura refert,vnde hauſit Apoſtolus, quòd prænotatus in ſpem crediderit? Hæc enim vt cernimus ſimul ſtare nequeunt. Idcirco & huic pariter nouimus reſpondẽdum dicentes ad primam,quia ob hoc Abraham contra
Gene. 17. ſpem credidiſſe refertur, quia naturæ ope ex ſeipſo centenario, & coniuge nongentaria prolem generari poſſe minimè iudicauit, ſicuti & phyſicorum eſt communis opinio:idcirco illud contra ſpem ad naturæ præſidiũ referendum nouimus, quæ vltra ſuos limites nullatenus ſe poteſt extendere, licet hoc contemplatus nõ fuerit infirmatus in fide,quinpotius firmiter credidit, ꝙ promiſ-
Rom. 4. ſio ſibi à Deo facta de prole habenda, perficienda foret aliquando,pleniſsimè ſciens,vt ait Apoſtolus,quòd quęcũque promiſit Deus potens eſt & facere.Idcirco,& hæc credulitas reputata illi fuit ad iuſtitiam. Dum verò ecõtrariò Paulus videtur aliud ſentire,ꝙ videlicet Abraham in ſpem crediderit,hoc ad Deum venit referendum,cui (vt iampridem prętulimus)firmam ac indubitatam habuerat ſpem,expectans omnino promiſſum implẽdum, qua ſpe & credulitate habita prolem ſuſcipere meruit, & Dei amicus appellari.Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. XXVII.

Gene. 17. *Circunciſio data Abrahæ fœdere ſempiterno.*
Gala. 3. *Circunciſio modò abolita,& nihil prodeſt.*

Si tanta celebritate data fuerat circuncisio Abrahæ: quomodo nihil erat? si fœdere sempiterno, cur modò abolita? si data vt proficeret, cur modò nihil prodesse dicitur? Idcirco ne in huiusmodi errore mens nostra labatur, placuit dicendum, quòd non absolutè Apostolus dixit circuncisionem nihil esse, cùm nec illic suam terminauerit sententiam, sed protinus addidit, in Christo Iesu, in quo tam circuncisionem quàm præputium nihil valere iudicauit. Sed ad illud, de sempiterno fœdere, arbitramur dicendum, quòd illa dictio Holam eo in loco posita, quam & Hebraïcam esse nouimus, non accipitur pro sempiterno, sicuti & aliquando accipi consueuit, vt videlicet sit sensus, quòd illa carnalis circuncisio Abrahæ data, sempiterna esset, videlicet quousque finiatur mundus, sed accipitur ibi Holam pro illo temporis spatio ab Abraham vsque ad Christum, in quem tam illa circuncisio carnalis, quàm cætera cerimonialia finem debebant accipere. Profectò (vti Paulus docuit) finis legis Christus dicitur, & salus omni in se credenti. Diximus de circuncisione carnali, quia & illa spiritualis pariter Mosi data, adhuc in suo permanet robore. De hac enim prænotatus vaticinio præuentus dixerat crediturum populum alloquens: Circuncidet dominus Deus tuus cor tuum, vt diligas ipsum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua: pariter & propheta qui voce Domini locutus ait: Circuncidimini in Domino, & auferte præputia cordium vestrorum. Quod ad vnguem adimpletum fuit per Christum, vt infrà clarius dicturi sumus. Et sic patet quid dicendum.

Galat. 5. *Circuncisio & præputiũ nihil valent in Christo.* *Holam quid.* *Christus finis legis.* *Deut. 10.*

CONTRAPO. XXVIII.

DEscendam, & videbo an opere compleuerint. *Gene. 18.*
Omnia nuda & aperta sunt oculis Domini. *Hebr. 4.*

Si nuda & aperta sunt omnia oculis Domini, cur præmittitur illum descendisse, vt videret, si Sodomitæ opere compleuerint, prout clamor illorum ascendebat? Et huic sic nouimus respondendũ dicẽtes, quòd non idcirco Deus descenderat, vt videret, quasi nesciret, cũ hoc

non veniret ex ignorantia Dei: sed descendisse dicitur, vt hoc indicio in documentum iudicibus relinqueret, ne essent præcipites in dandis sententiis, sed considerantes prius, & ponderantes omnia, iuxta illud: Oportet iudicem cuncta rimari, vt demum suam seueritatē clementia lenirent. Nempe plerunque accidit, vt ignorantia iudicis calamitas sit innocentiæ: idcirco ne innocentem quempiam damnent, videant ne facilè puniant. Et hoc non solùm iudicamus habere locū in magistratibus sæcularibus, ac ecclesiasticis, sed etiam in personali iudicio proximorum, ne videlicet quispiam nimis sit velox ad malum credendū de fratre suo, quod videt seu audit ab altero, propter id quod scriptum est: Qui credit citò, leuis est corde. Solet enim aliquando (vt Augustini vtar verbis) sub nigro habitu anima satis pura latitare: necnon & plerunque ob inuidorum nequitiam falsum referri: idcirco prius seipsum conspiciat, qui aliorum iudicem esse delectatur: demum fraterna charitate ad proximorum defectus clementer descendat. Ne secus faciens arguatur ab Apostolo, qui huiusmodi temerè iudicanti ait: Quis es tu, qui alienum seruū iudicas? Quanquam ad prælatos spectet mala aperta & publica increpare, ne deterius contingat in grege. Et sic soluuntur præmissa absque vlla contradictione illæsa.

Iudicum cautio. *Canonica* *Eccle. 19.* *August.* *Rom. 14.*

CONTRAPO. XXIX.

Gene. 21. *Ephe. 5.*

VXorem à viro audiendam præceptum.
Vxorem omnino viro subiiciendam alibi.

Si à viro (teste Scriptura) audiēda est vxor, non illi subiicienda erit, vt Apostolus senserat. Huic quoque sic nouimus dicendum, quòd non obstat, quòd viro suo sit vxor subiicienda, & quòd aliquando prout expedit, vir audiat illam. Subiicienda enim est illi tanquam capiti & maiori, iuxta illud: Vir est caput mulieris, sed in his quæ ad illam coniugij honestatem pertinere noscuntur, ne duo esse capita in eadem carne videantur: esset enim hoc valde monstruosum & deforme. Inde tanquam pessimus contemnitur error quorundam Talmudista-

Ephe. 4.

rum dicentium in libro Nedarin esse licitum homini
coniugato quouis modo coire cum propria vxore:falso
suo errori addentium, quòd hoc permissum fuit à Mo- *Vxor acci*
se in lege. Quanquam præmissa ad moralem sensum, *pitur ali-*
& non ab re, possemus reducere, dicentes vxorem hoc *quando p*
in loco animalem portionem significare,quæ veluti fœ- *carne.*
mella spiritui masculo subiicienda est, cui & tanquam *Psal.119.*
ancilla dominæ suæ obsequi debet in his quæ Dei sunt.
Dum verò econuersò dicitur, quòd vxor sit audienda à
viro pro virtute animi,forsan vxor intelligenda est,quæ
semper audienda est à viro, dum illi suggerit quod legi *Roma.7.*
Dei conforme cernitur. Et hanc fortasse pro lege men-
tis acceperat Paulus.Ipsa enim tanquam sessor super car
nem in homine debet habere dominium, vt sic per illã
omnia à nobis,quasi à viris fortibus impleantur.

CONTRAPO. XXX. *1.Esdr.1.* *Mat.19.*

V*Xorem dimittere præceptum fuit Esdræ.*
Quos Deus coniunxit,homo non separet.
Si tali ac tãta celebritate sacramentũ matrimo-
nij fuerat institutum & ordinatum, vt legis diuinæ ha-
beretur transgressor, qui post contractum illud aude-
ret soluere,vt veritatis voce præmittitur in altero,cur ex
aduerso per Esdram præceptum fuit Israëlitis de Per-
side exeuntibus,vt vxores,quas acceperant, omnino di- *1.Esdr.1.*
mitterent? Nec obstat, quia præfatæ essent alienige-
næ,vt sonat litera, quia & per Paulum diuinorum se-
cretorum conscium,econuersò mandatum fuisse noui-
mus vxorem etiam infidelem nullatenus à viro fideli
dimittendam esse: nec econuersò mulierem fidelem à *1.Cor.7.*
viro infideli permisit discedere,hac tamen apposita con-
ditione, si infidelis habitare consenserit cum fideli: se-
cus autem si infidelis discederet à fideli. Idcirco ad præ-
missa dicendum placuit, quòd id, quod Esdras fecerat,
non absque Dei nutu fecit:nouerat enim,vt piè creden-
dum est, cùm esset diuino flamine plenus, fore diffici- *1.Esdr.1.*
lè, ne viri fideles vxoribus infidelibus cohabitantes,
recederent à cultu veri Dei, & quas illi lucrari debe-

bant, econuersò lucratæ fuissent mulieres Diis alienis seducentes, videlicet maritos suos, & inducētes ad idolatriæ cultum. Quanquam aliter contemplantes possemus dicere, quòd Esdræ tempore nondum tanta gratia illuxerat Saluatoris, quanta Pauli tempore, qui eodem perunctus flamine, præceperat virum fidelem nullatenus ab vxore infideli discedere, vt prætulimus. Vel dicamus si placet, quòd meritò iussi fuerūt Israëlitæ vxores dimittere alienigenas, quas prohibente Domino, sibi copulauerant in vxores. Nec huic obstat Saluatoris sententia, qua dicitur: Quos Deus coniunxit, homo non separet, quia nō ab homine, sed à Domino sic mādante id actum nouimus per Esdram. Quanquā & huic aliter respondentes, possemus dicere stantes in circunstanti litera Euangelica, quòd Christus prohibens vxorem dimittere, non fuit Esdræ contrarius mandanti illas alienigenas dimitti, quia & ipse Christus eo in loco pariter illas dimitti permiserat, causa fornicationis interueniente. Quod & si sic, si pro quia. Quanto magis iudicare debemus fuisse licitum vt ab huiusmodi Israëlitis vxores fornicariæ dimitterentur, quę non viris suis, sed domino fuerant fornicatæ, adorantes idola, & fornicationem spiritualem committentes, quæ fornicatio cùm sit mentis, maior esse agnoscitur illa ventris: idcirco magis detestanda est, quàm altera, qua mulier viuente viro suo commixta fuit alteri viro. Ratio autem, quia per mentis fornicationem anima efficitur adultera creatori suo, quam idcirco ad suam imaginem decorauerat, vt postmodum illam sibi desponsaret in fide, sicui vaticinio promiserat prophetali, dicens: Ecce sponsabo te mihi in fide. Et sic seruantur præmissa.

Num. 18. *Mat.* 18. *Mat.* 19. *Fornicatio spiritualis quæ sit.* 1. *Cor.* 7. *Osea* 2.

CONTRAPO. XXXI.

Gene. 22. *Iac.* 1.

D*Eus tentauit Abraham.*
Deus neminem tentat.

Si neminē tentare dicitur Deus, cur dicitur quòd Abraham tentauerit? Et huic sic placuit dicendum agnoscentes duplicem esse tentationem, vnam videlicet,

Tentatio duplex.

qua probamur, & alteram, qua seducimur: prima nos tẽtat aliquando Deus, vt humiliores nos efficiat ad petendum suum adiutorium, agnoscentes nostram fragilitatem: nec idcirco tentat nos Deus, vt per illam noti simus illi, quales sum⁹, sed vt apud alios innotescamus, sciamúsque & nos si illum diligimus. Huius tentationis proficuæ virtutem ille nouerat, qui tentatus adhuc tentari petierat, dicens ad Deum conuersus, Tenta me Domine, & proba me. *Psal. 25.* Has pariter sufferre pro magno lucro existimabat ille, qui ait: Omne gaudium existimate fratres cùm in tentationes varias incideritis: *Iac. 1.* & probationem inde secuturam subiungens, ait: Scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur, quæ *Iac. 1.* sola inter virtutes perfectum opus habet. Sed de altera tentatione, quæ seductionis dicitur, tentat nos frequenter sathanas, vt per illam nos mactet & perdat: sed *1. Cor. 10.* ne in illam succumbamus, præuenimur præsidio illius, de quo Paulus locutus ait, Fidelis est Deus, qui non permittet vos tentari vltra id, quod potestis portare, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. XXXII.

Deum se vidisse testatus est Iacob. *Genes. 32*
Deum nemo vidit vnquam ait Ioannes. *Ioan. 4.*

Si Deum nemo vnquam vidit (vti Ioannes dixerat) quomodo Iacob se illum vidisse perhibetur in altera? An fortè quem viderat non erat Deus? Quibus respondendum nouimus dicentes, quòd Iacob Deum viderat, sed non in propria forma qua minimè à mortalibus videri potest, sed sub specie angelica, vt aliâs prætulimus, illum vidit. *Genes. 32* Nam sicuti solem non valeamus aspicere, nisi sol respiciat nos, sic pariter Deũ videre nequimus, nisi ille videat nos. *Deũ quãdo videre possumus.* Est enim totus oculus ipso quoque sole clarior: & sicuti solem per lumen solare comprehendimus, ita & diuina per lumen diuinũ duntaxat comprehendimus. Quod & liquidò ostenderat ille qui huiusmodi expert⁹ ait in spal. In lumine tuo videbimus *Psal. 35.*

lumen: licet Deus in se nudus,ac ab omni relatione separatus minimè videri posit,etiam à beatis, cùm sic sit obiectum duntaxat diuini intellectus. Nec obstat,quòd beati in patria videāt diuinam essentiam (vt aiunt) quia licet eam videant, non tamen quidditatem illius agnoscunt, sicut & de homine alio vidente hominem dicere possumus,qui licet videatur, non tamen eius quidditas patet videnti. Quanquam aliqui Theologorum dicant, quòd in ista beatorum visione sit proportio attingentię. Cabalistę verò hanc secundam aliter exponentes dicerent, quòd Deum nemo vnquam vidit, vt sibi viuat, iuxta illud: Non videbit me homo, & viuet: licet per mortem osculi Deus videri posit: & hoc fit dum anima per internam contemplationem taliter extra seipsam tollitur, vt in extasi posita sponso suo adhæreat, & taliter sic formatur,vt super omnem intellectum effecta cognoscat omnia.

Beati quo modo vidēt Deū. *Cabalistæ* *Osculi mors.*

CONTRAPO. XXXIII.

Gene. 37. FRatres Ioseph se peccauisse in illum agnouerunt.
Roma. 3. *Cognitio peccati per legem habita, alibi.*

Si reos se cognouerunt fratres Ioseph, & hoc per multum temporis spacium ante legis collationem, cur Paulus attestatus est peccati cognitionem duntaxat haberi per legem? Et huic, quanquam infrà clarius ipsam simus explanaturi, nihilominus tamen & illud in proposito arbitramur esse dicendum, quòd licet post Adæ lapsum semper fuerit peccati cognitio, non tamen ita clara fuit,sicut per legis dationem habita est, per quam Dei voluntas habetur expressius,à qua homo declinans peccator efficitur. Profectò licet ante Mosis tempora peccatum fuerit agnitum, non tamen ita imputandum fuisse delinquentibus cognitum fuit, sicuti per legem, quæ non solùm illud minatur prohibendo, sed pariter illud punit & damnat. Quanquam & hanc Pauli sententiam aliter interpretari,possemus dicentes,illam esse intelligendam non tam de lege Mosaica quàm naturali, qua & illico constringitur homo,dum mali & boni exti-

Rom. 4. *Lex punit & dānat peccatum.* *Roma. 3.*

terit cognitor, potens discernere inter preciosum & vile, vti prætulimus aliàs. Idcirco his habitis stante hoc sensu, possemus ad primam dicere, quòd fratres Ioseph licet per legem Mosi iudicandi non sint de crimine illato in fratrem, sunt tamẽ puniendi per legem naturalem, quæ sedem tenet in corde, & manet in suo robore ab exordio mundi: ob quod sentientes se accusari ab illa de crimine, dixerunt ad inuicem: Peccauimus in fratrem nostrum. Vtique lex ista naturalis in alterum fieri prohibet, quod in se faciendum displicet. Dicit enim cor alloquens, Quod tibi non vis fieri, ne alteri feceris. *Hie.25.* *Lex naturalis adhuc viget ĩ homine.* *Gene.37.* *Legis naturæ officium.*

CONTRAPO. XXXIIII.

Nomen Dei esse, qui est, testatus est Moses. *Exod.3.*
Nomen Dei esse Deum Abraham, Deum Isaac. *Ibidem.*

Si nomẽ Dei est illud, est, cur aliter subiungitur in altero? Et huic pariter dicendum nouimus, quòd nomen Dei æquiuocè in præmissis sumitur. Vtique in primo ad eiusdem essentiam est referendum, quæ non rectius, nec verius poterat exprimi quàm dicere: Ego sum qui sum, cùm eius esse sit eius essentia, quod & taliter sibi propriè conuenit, vt nulli alij conuenire possit. Quod & liquidò aperuit ille, qui ad Deum conuersus ait: Nonne tu, qui solus es? quasi dicat, nonne tu es ille, cuius esse non est accidens, sed substantia, & quoddam totum simul, quod est optimum? Quod nullatenus dicendum est de creaturis quarum illarum esse cùm sit accidens, transit cum illis: sed quia forsan Mosi clarus non fuerat intellectus, idcirco vt clarior esset illi sensus, subiunxit Deus, dicens: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob. Horum verò potissimum dicitur Deus ratione electę familiæ ab ipso fideli Abraham descendentis, qui primò credidit Deo adhærens illi vita, conuersatione & fide. Idcirco priuilegialiter pater omnium Deo credentium meritò appellatus est. Vel dicamus si placet, quòd idcirco Deus istorum dictus est, ad distinctionem Deorum gentium, quæ dæmonia colebant in idolis, dicente Propheta: Quoniam omnes *Exod.3.* *Iob 14.* *Esse creaturarum accidẽs est.* *Genes.3.* *Deus, cur Deus dicitur patriarcharũ.* *Genes.15.* *Psal.95.*

Dij gentium dæmonia. Et ſic patet quid dicendum fuerat ad præmiſſa.

CONTRAPO. XXXV.

Exod.3. *Exod.12.*

CAlceamentum deponere iuſſus eſt Moſes.
Calceamentum in pedibus habere iuſsi ſunt Iſraelitæ.

Non enim in huiuſmodi aliqua contradictio eſſe cernitur: ſtat enim quòd alia cauſa iuſſus ſit Moſes calceamentũ deponere, & alia cauſa vt illa in pedibus retineant Iſraëlitæ. Nempe hæc calceamentorum depoſitio facta per Moſen innuit nobis, quòd ille, qui pergit ad Deum, vt illi ſpirituali vnione iungatur, nudis pedibus incedere debeat, per quos affectus carnales nobis figurari nouimus, quibus depoſitis & abiectis dignus Deo efficitur, qui illi per amorẽ coniungitur. His verò qui nondũ id perfectionis attigerunt, vt Deũ videre mereantur, pedes calceatos habere permittitur, de quorum numero fuerãt illi Iſraëlitę accedentes ad eſum agni paſcalis ſignificaturi Chriſtũ immolandum pro omnibus, vt hoc indicio memoriter teneamus prænotatũ pro noſtra ſalute fuiſſe paſſum. Vtique calceamenta ex pellib⁹ mortuorum animalium conſtrui nouimus. Idcirco nos cautos faciunt aliquando eſſe morituros. Quanquam poſſemus dicere, & nõ abs re, quòd per pedes huiuſmodi mortuorum pellibus munitos, antiquos patres hoc in loco ſignificari nouimus. Quorum dum exempla proſpicimus, noſtri operis pedes muniri dicimur.

Exod.3. *Pes quid ſignet.* *Exod.12.* *Calceamẽta ex pellibus quid figurent.*

CONTRAPO. XXXVI.

Mat.10. *Marc.1.*

CAlceati diſcipuli iubentur incedere.
Calceati incedere prohibentur alibi.

Non putãdum eſt alterum Euangeliſtarũ alteri fuiſſe contrariũ, & quod alter conceſſerit, alter prohibere videatur, cùm vtrique quod dixerunt, ab vnico hauſerint fonte. Idcirco & huic ſic eſſe dicẽdum placuit, quòd Chriſtus ob hoc apud Matth. calceamenta prohibuiſſe nouimus verbum Dei diſſeminantibus, vt tali indicio edocti cauti eſſent, quòd ille qui per obedientiam ad hu-

Calceamẽta cur à Chriſto prohibita.

iuſmodi officium exequendum pergit, nulius rei curam habere debet, ne in executione officij retardari videatur, quinpotius totam ſui curam Domino debet committere, iuxta illud: Iacta curam tuã in Domino, & ipſe te enutriet. Idcirco vt gentibus, quibus verbum Dei diſſeminabant exemplo relinqueret, nil ſe commune habuiſſe cum mundo, præcepit illos nudis incedere pedibus. Marcus verò non fuit his contrarius dum ſandalia ſeu ſoleas præfatos portare admiſerat. Nempe talia inter calciamenta minimè connumerantur, cũ non operiant ſuperiorem partem pedum, ſed duntaxat plantam defendant. Quòd & myſticę ſignificationis figuram habere agnoſcitur, vt videlicet pes neque tectus ſit, neque nudus dimittatur ad terram: ſignat enim vt nec occultetur Euangelium, nec terrenis commodis innitatur: vel dicamus, ſenſum Cabaliſticum imitantes, quòd ea pars pedis quę cœlum reſpicit, idcirco nullatenus operiri debet verbum Dei diſſeminanti, ne diuino influxui fiat obſtaculum, licet ea pars quæ è contrariò terræ proximior eſt, nullo pacto nuda eſt admittenda, ſignans ob timorem humanum, ſeu aliam cauſam, non eſſe ceſſandũ à denuntiatione verbi Dei, dum neceſsitas cogit. Et ſic patet quid dicendum fuerit.

Pſal. 54.

Sandalia quid ſint.

Pedis pars quæ operienda, & quæ non, & quare

CONTRAPO. XXXVII.

Lex in Sinai monte collata.
Lex de Sion monte exitura erat.

Si per tot annorum ſpacia longè antea lex collata fuerat Moſi in monte Sina, quam legẽ expectabat Propheta futuris temporibus aliquando exeundam de mõte Sion? Profectò vnicam eſſe legem, & mente credimus, & corde confitemur ſyncero, cùm hoc omnis Scriptura commemoret. Nec obſtat nouum teſtamentum aliam eſſe legem ab illa Moſi, cùm aliud non ſit nouum teſtamentum quàm veteris repetitio, idem omnino cum illo præcipiẽs. Vtiq; lex vetus, & noua duo ſunt nomina vnius rei. Idcirco ad præmiſſa placuit dicendũ, quòd ſicuti (teſte Paulo) Sinaï coniunctũ eſſe nouimus

Exo. 20.
Eſa. 2.

Lex vnica ſcriptura.

Idem præcipit lex noua cum vetere.

Galat. 4. Hierusalem in supernis, ita pariter contemplamur Sinai coniunctum Sion in Archetypo, cùm idem sit iudiciũ vtriusque. Idcirco non obstat, quòd lex in Sinai primò fuerit data, & quòd eadem lex danda esset aliquando in monte Sion, quia inde haurire debebat suam perfectionem, vt si postmodum lex fidei diceretur, & esset, qua totus homo sanctificaretur ad plenum, & non tantùm animalis portio, vt olim per illam veterem. Decebat enim vt Sion, quam in plagam meridionalem nouimus locatam, suo (vt ita dicam) splendenti lumine legẽ illam aquilonarem terrificam, ac omni terrore plenam lustraret aliquando, ardorémque temperaret suæ seueritatis. Quod & tunc locum habuisse nouimus, dum ipsi legi coniunctum est per Christum Euangelium aqueũ veluti oliua oleastro: ipse enim (teste Paulo) fecit vtraque vnum, dum de cœlis veniens legem illam igneam ita leniuit, ac lenem fecit, vt diceret confidenter: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Quod & indicio ostendi voluit, dum circuncisionem sanguineam in lenem & pium transmutauit baptismũ: sed & clarius designauit, dum in die palmarum super asinam equitauit, quæ pietatem, & clementiam (Hebraicis characteribus mutatis) videtur interpretari. De Sion verò dicitur etiam exisse lex, quia Apostoli spiritu sancto repleti ipsam legem iam ad suã perfectionem deductã per redemptoré, in Sion primò promulgare cœperunt: demũ exinde accepta potestate à Christo per vniuersum sparserũt orbẽ. Vel dicam⁹ si placet, stãtes in prima explanatione, ꝙ de Sion superna intellexerat Vates, accipiens futurum pro præterito, vt moris est Scripturarum aliquando fieri. Ab hac enim Sion (vt aliâs præfati sumus) descendũt nõ solùm leges & statuta, sed & iudicia & punitiones, cùm sit locus iustitiæ, ac residẽtię Dei, vti Propheta nouerat. Sic ergo intellectis præmissis, in nullo discordari videntur.

Sion coniunctum cum Hierusalem. Exo. 20. Esa. 2. Rom. 3. Totus homo sãctificatur per legẽ fidei. Sion vbi locatum. Ephe. 2. Christus fecit legẽ lenem. Mat. 11. Mat. 28. Acto. 1. Mat. 16. Esa. 2. Psal. 97.

CONTRAPO. XXXVIII.

Exo. 20. D*Eus parcit in millibus.*
Amos 1. *Super quatuor sceleribus non parcam.*

Si in

Si in millibus (teste Mose) Deus dicitur ignoscere, cur vltra tria scelera se conuerti & parcere renuit, vt Propheta attestatus est? Et isti pariter sic nouimus dicendum, quòd illa Mosi sententia sic explanãda est, vt eius sit sensus, quòd Deus parcit in millenario numero, hoc est, in virtute pietatis & clementiæ: millenarius enim numerus semper designat clementiam, in remissionibus vt aiunt. Vel dicamus, si placet, quòd idcirco in millibus dicitur Deus ignoscere, id est, toties quoties ad illũ homo peccator conuertitur. Vtique numerus finitus pro infinito hoc in loco ponitur. Sed ad aliam (vt Hebræorũ sequamur proceres) placuit dicendũ, quòd Deus ignoscere, remittere, & condonare dicitur noxam vsque ad tertium peccatũ eiusdem speciei tertiò commissum, vltra verò tertiũ non cõsueuit ignoscere, nec cõuerti, sed vult quòd magna contritione, vel alio pari bono opere redimamus peccatum, licet non fiat hoc absque sua clementia hoc permittente. Sit ergo sensus secundæ, Non parcit vltra tertium peccatũ, id est, non concurrit tanta virtute sicuti antea fecerat: licet hæc indispositio non Deo, sed nobis sic merentibus imputanda sit, qui peccantes tales efficimur. Et sic patet quid dicendum.

Amos 1. Millenarij perfectio. Mat. 18. Cur in millenario parcat Deus. Heb. opinio. Vltra tertiũ peccatũ nõ parcit Deus.

CONTRAPO. XXXIX.

Indurabo cor Pharaonis.
Indurauit cor suum Pharao.

Profectò si cor suum indurauerat Pharao, cur ac si hoc fecisset Deus aliud in altero dicitur? Huic autem sic respondendum nouimus, dicentes, sic Pharaoni euenisse non agente, neque volente Deo, cùm non concurrerit positiuè Deus in illam indurationem. Quomodo enim cor indurare poterit, qui semper beneficus est, ac corda molliens, auferens ab homine cor lapideum, & tribuens cor carneum? Indurare tamen dicitur, dum per gratiam mollire non vult, nempe dum Deus in libertatem sui arbitrij deserit hominem, spirituale auxilium sibi denegans, tunc in duritiam sui cordis illico labitur. Nam sicuti solaris radius tectus nube, dicitur causa exicca-

Exod. 7. Exod. 8. Deus quomodo cor indurare dicatur.

tionis cœni in hyeme, sic & cor hominis exiccari dicitur, sole iustitiæ amoto ab se, causa autem nobis occultissima, licet æquissima: sic enim & illorum corda indurauerat Deus, qui se induratos agnoscẽtes dixerunt ad Deũ: *Esa. 67.* Indurasti cor nostrũ, ne timeremus te. Quanquã adhuc possemus dicere tanquam cæcutientes, quòd Deus illis potissimùm cor indurare dicitur, quibus in tantum parcit, vt mala talium increscentia ad pœnæ terminũ protrahantur. Quemadmodum & puerilitas si nulla plagæ assiduitate curetur, insolentem simul, & ad vitia præcipitem reddet iuuenem: pariter & equus si non assidui sessoris patitur calcem, & frenis ora frenatis obteritur, induresit. Frequenter enim benigniores quique domini ad eos seruos, qui propter nimiam suorũ dominorũ patientiam ac mansuetudinem insolentiores improbioresque fiunt, dicere solent: Ego te talem feci, ego te perdidi, mea patientia te pessimũ feci, qui te non statim per singulas culpas puniui pro merito tuorum delictorum. Et sic seruantur præmissa absque contradictione.

CONTRAPO. XI.

Exo. 20. H*Onora patrem tuum, & matrem tuam.*
Luca 6. *Sine mortuos sepelire mortuos.*

Si honorare parẽtes præceptum nouimus datũ, cur filius absolutus à patris funere dimittitur alibi per redemptorem? Et huic quę nullã prorsus in se cõtradictionem continet, dicendũ placuit, quòd eadẽ ratione soluitur ista quæstio, qua soluebatur illa de relinquenda vxore propter regnũ cœlorum, quia & parentes honorare debemus, & tamen illos propter annuntiationem regni Dei nulla impietate cõtemnimus. Dominus enim Christus quando parat hominẽ Euangelio, nullam excusatio- *Mat. 15.* nem vult interponi huius carnalis temporalisque pietatis: equidẽ & lex Dei habet, & ipse dominus Iudæos arguit, quia destruebant ipsum mandatum Dei. Profectò Christus volebat istum iuuenem obtemperare Deo, & *Luca 6.* pariter patrem suum sepelire, qui & vtrũque mandauerat: sed est locus, & est tẽpus, & est res, qui huic rei, huic

tempori, huic loco seruiat. Honorandus est enim pater, sed obediendum est Deo: Amandus est generator, sed præponendus est Creator. Ego, inquit, ad Euangelium te voco, ad aliud opus mihi necessarius es, maius est hoc, quàm quod tu vis facere: docuit enim nos quod in Canticis scriptum est, dicente ecclesia: Ordinauit in me charitatem. quid est ordinauit in me charitatem, nisi facite gradus, & cuique quod debetur restituite: Nolite anteriora posterioribus subdere. Amate parentes, sed Deum præponite parentibus. Nam ille iuuenis fidem cordis sui ostendebat Domino, sed pietas differebat. Profectò & si veteri legi contrarium est Euangelium propter præmissas sententias. Paulus etiam illi contrarius videbitur, qui & filios monuit, vt honorarent parentes, & parentes vt diligant filios, sed intelligendum est (vti suprà exposuimus) quia & spiritalis cognitio carnali præponenda est. Et sic patet quid dicendum est.

Deus præponendus generatori nostro. *Cant. 2.* *Luc. 6.* *Ephes. 6.*

CONTRAPO. XLI.

H*Onorare parentes quartum mandatum.* *Exod. 20*
Honora patrem tuum primum mandatum. *Ephes. 6.*

Si quartum mandatum dicitur esse honorare parẽtes, quomodo primũ erit? & si primũ, quomodo quartũ? Vtique præmissa contradictionẽ apertam inferunt, videlicet primum, & nõ primũ. Nec credendũ esse putamus, quòd Paulus qui ad pedes Gamalielis fuerat instructus de lege, ignorauerit legẽ attestantẽ primum fuisse mandatum honorare parentes. Idcirco & huic sic respondendum nouimus, dicentes, huiusmodi mandatum primum esse in promissione, non præuentum videlicet ab vllo alio, dicẽte Scriptura: Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis lõgæuus super terram: & inde venit quòd filij parentibus non obsequentes plerunque nõ sunt vita longæui. Quanquam inhonorati pariter intelligãtur parentes à filiis, si omisso pietatis temporis debito officio, maius quiddam ex Dei præcepto agatur: vtique (vt in præcedenti prætulimus) licet amandus & honorandus sit generator, tamen præponendus ei est in honore,

Act. 22 *Honorare parẽtes quomodo primum mãdatũ.* *Exod. 20*

Honor Deo impẽdendus. amore Creator. Summus autem honor quem Creatori debemus impendere, vti Sixti Pithagorici sentẽtia vtar, est eum scire, & imitari quantum possumus. Vel aliter dicamus ad secundam, quòd si respectus habeatur ad Decalogi originem, non erit primum mandatum honorare parentes, sed quartum: secus autẽ si recursus habeatur ad secũdam tabulam, quia in illa primum esse cernitur, & sic forsan intellexerat Paulus. *Ephe.6.* Idcirco præmissis sic intellectis nulla contradictio erit in illis.

CONTRAPO. XLII.

Exod.20 *Ezec.18.* P*Eccatum parentum in filiis requirendum.*
Filius non portabit iniquitatem patris.

Si filius patris iniquitatẽ ferre non habet, quod peccatum in filiis requirendum erit? Quibus dicendum arbitramur, quòd de filiis nõdum natis primum est intelligendum ob noxam originalem, quam genus humanũ ex Adam traxit, sed alia de filiis iam natis pariter intelligitur. Decet enim vt vnusquisq; in suo mortali moriatur peccato: *Ezec.18.* iuxta illud Vaticinium: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: non enim quicquam actuale trahit à patre filius iam natus. Vel dicamus primam habere locum in filiis, qui patres suos in malo fuerint imitati. Prout & de Iudæis incredulis sermo Diuinus denuntiat, *Mat.23.* dicens: Implere mensuram patrum vestrorum. Qui verò per bonam cõuersationem in Christum fuerit innouatus, & cœperit non esse filius iniquorum, non imitatus parentum mores, non portabit super se illorum peccata, *Fili⁹ quomodo non portabit patris iniquitatem.* vsque adeò non tibi obest peccatum patris tui, si te mutaueris, vt nec ipsi patri tuo obsit, si se mutauerit. Vel adhuc si placet, dicamus ad hanc secundam, sic eam explanantes, vt talis sit sensus, videlicet, filius non portabit iniquitatem patris, id est, non æternaliter puniendus est, cum patre præuaricante: licet aliquando temporaliter puniatur cum illo, vt patet in diluuio, quando filij cum *Gen.7.* patribus fuêre submersi. Sic ergo intellectis præmissis seruantur illæsę ab omni contradictione.

CONTRAPO. XLIII.

D*Eus parcit omnibus.* Sapiē. 1.
Parcis minimè delinquenti. Iob 9.

Si omnibus parcit Deus, vt hîc, (vt aliâs prætulimus) quid somniat Propheta lãguidus dicens oppositũ? Sed non vt sonat litera intelligenda est. Vtique secundã sic nouimus esse enodandam, vt sit sensus, Parcis minimè delinquenti, id est, non absolutè parcis delinquenti, quasi delictum absque punitione dimittas, iuxta illud adagium: nullum malum impunitum (supple) relinquitur profectò si homo peccator pœnitens de delicto, illud per se ad plenum non punierit, proculdubio illud puniendum reseruat Deus in alio sæculo. Et hoc est quod Paulus innuere voluit, dum ait: Si nos ipsos diiudicaremus, non vtique diiudicabimur. Nam seuerius erit iudicium, si purgatum non fuerit peccatum in hoc sæculo. Profectò Paulus de futuro iudicio Dei locutus ait: Horrendum est incidere in manum Dei viuentis. Quanquam ipse ob suam innatam bonitatem malit à suis electis maculas suarum iniquitatum temporali afflictione purgari, quàm illos purgatorij ignibus cruciari: ignoscere igitur dicitur Deus dum illatam vltionem ad delictorum expiationem ad præsens inducit, ne videlicet præfatos seuerius & durius in futuro puniendos reseruet. Et sic præmissa relinquuntur absque vlla contradictione illæsa.

Iob 9. *Adagiũ* *1. Cor. 11* *Heb. 10.* *Deus quãdo ignoscit.*

CONTRAPO. XLIIII.

S*Abbati custoditio Deo grata & accepta.* Exod. 20
Sabbatum Deo exosum & odiosum alibi. Esa. 1.

Profectò si sabbati custoditio tam celebriter fuit à Deo instituta & præcepta, cur sabbatum esse odiosum & exosum Deo dicitur per prophetã? Et huic pariter nouimus respondẽdum dicentes, quòd sabbati obseruatio non minus respicit Deo vacandum illa die tota mente, & tota anima, quàm à seruilibus abstinẽdum. Lex enim (vt Paulus docuit) spiritalis est. Qui ergo illa die, Deo tota mente intenti sunt, magis illud obseruare dicun- *Rom. 7.*

tur, quàm qui industriose à seruilibus se abstinent: & hoc erit spiritualiter sabbatum obseruare, Deo videlicet vacare, ac ab operibus malis se cohibere. Nam qui sic custodiunt sabbatum, vt quiescãt à vitiis, isti spiritum Deo contribulatum in ara cordis, ac in igne & feruore charitatis offerre dicuntur. Hunc modum non attingentes cæcutientes Iudæi, partim vacabant luxuriis in die festo, partim abstinebant se à seruilibus, cultum duntaxat exteriorem quærentes in cæremoniis. Idcirco Encenias, & Neomenias statuerant, ob quod quia & sabbatum suis malis operibus prophanauerant, dixerat illis Deus: Neomenias, & sabbata vestra odiuit anima mea. Sed de laudabili & honesta sabbati custoditione Cabalistæ locuti, docuerunt non solùm illa die abstinere ab omni illicito coïtu, sed etiam ab amplexibus vxorum: hoc autem, ne quid carnale, seu immundum inueniatur illa die in susceptione influxus cœlestis, quem nocte illa sabbati nullatenus hæsitant emittendum è cœlis super mortales, bene se disponentes: idcirco maxima custodia illud obseruandum tradidere. Sed heu nobis, qui sub lege perfectionis militamus: nempe infidelibus deteriores effecti sumus, qui die sabbati (quem in diem dominicum nouimus mutatum) plusquam diebus aliis, impudicitiis & voluptatibus vacantes consumitur in carne, nil prorsus de spiritali sabbati obseruantia curantes! Et sic patet quid ad præmissa fuerat dicendum.

Sabbatũ spirituali ter obseruare quid sit.

Esa.1.

Cabalistæ

Iac.2.

Roma. 3.

CONTRAPO. XLV.

Exod.21. *Exez.18*

M*Orte moriatur qui occiderit hominem.*
Peccatoris mortem abhorrere dicitur Deus.

Si Deus taliter dicitur abhorrere mortẽ peccatoris, vt filium suum vnigenitũ miserit ad illam destruendam: cur ex aduerso præcepit in lege homicidam occidi? Et huic, quam nullam contradictionem in se nouimus continere dicendum placuit, alteram sic explanantes, & dicentes, quòd licet Deus, qui summè misericors est, non velit peccatoris mortem volũtate antecedente, qua

Ezech.18

omnes ſaluandos cernit, vult tamen illorum mortem voluntate conſequente, vt aiunt: ipſe enim legem ſuam tradidit omnibus vniformiter, quam, ſi quiſpiam obſeruare neglexerit, ſibi imputandum erit, & non Deo, qui illam idcirco tradidit, vt eſſet omnibus ad vitam, iuxta illud: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Accidit enim vt quis æternis vinculis mancipandus tradatur, ſi diuinæ legis violator extiterit. Sic enim diuina iuſtitia expoſtulat. Profectò ſicuti iudex odit in homine furtum, ſed non odit vt fur ſuſpendatur propter furtum, ſic Deus odit peccatum in homine, ſed non odit, vt illud committens, niſi corrigatur, ſuppliciis deputetur æternis. Idcirco pro præmiſſarum concordia placuit dicendum, quòd non obſtat, quòd Deus peccatoris mortem tanquam malum odio habeat, iuxta illud: Mors peccatorum peſsima, & quòd hominem non emendatũ, æternaliter mori permittat. Et ſic patet quid fuerat dicendũ.

Peccatoris mortẽ quomodo velit Deꝰ
Mat. 19.
Eze. 18.
Pſal. 33.

CONTRAPO. XLVI.

Deus detentus à Moſe ne in populum iraſcatur.
Deus vltionum dominus libere egit, alibi.

Exod. 22.
Pſal. 93.

Si liberum eſſe Deum omnis Scriptura fatetur, cur quaſi ſi liber nõ eſſet, ſed coactus, dimitti petierat à Moſe, vt in populum pręuaricantem vlciſceretur furor eius? dixerat enim, Dimitte me, &c. Profectò iſta ſimul ſtare nequeunt, vt videlicet ſit liber, & coactus: ſed ſi verborũ ſeriem contemplari placuerit, luce clarius patebit, quòd id quod famulo ſuo Moſi dixerat, non fuit, quia coactus eſſet, ſed ex nimia ſua bonitate proceſsit, vt videlicet piis precibus Moſi victus, tanquam ſi ab illo teneretur, dimitti petierit. Hinc oſtenditur quanta, & qualis ſit virtus ſuorum fidelium, vt ad illorum vota ex alto proſpiciens condeſcendere videatur. Quod & experimento didicerat ille, qui in Pſalmo cecinerat, dicens: Voluntatem timentium ſe faciet: & quod magis eſt, ſubiungens Vates dixit, quòd deprecationem illorum exaudiet, & ſaluos faciet illos. Pariter ſe vinctum oſtenderat in incendio Sodomæ, dum non eſt paſſus illas ſubmergere

Virtus fidelium quãta ſit.
Pſal. 144

Geno.19. ciuitates, donec Loth, quē suis precibus Abrahā fidelis cōmendauerat, ingressus fuisset Segor. Dixerat enim illi saluari se cupiēti ab incēdio: Festina & saluare ibi, quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris Segor.

CONTRAPO. XLVII.

Exod. 31. *EGo Dominus qui sanctifico vos.*
Leui. 19. *Sancti estote quia ego sanctus sum.*

Si Deus solus est qui nos sanctificat, cur in altera ipse præcipit, vt sancti simus, quasi id muneris per nos acquisituri essemus? Et huic pariter respondendum nouimus, dicentes, ꝙ omne illud quod Deus iubet, dat, & adiuuat, vt faciat, cui iubet: idcirco cùm dicitur, Ego Dominus qui sanctifico vos, quid aliud est quàm dicere, Ego faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis, vt vel *Exo. 31.* sic ambulantes in illis sancti efficiamur, sed ille facit, vt *Ezec. 11.* sic sanctificemur, qui nisi faceret, non vtique sancti efficeremur, cuius sanctificationis vmbræ fuêre illæ sanctificationes veteris legis. Nos verò dum sanctificamur, ab illo duntaxat sanctificamur, qui ait: Ego sanctifico meipsum, vt & vos sanctificemini in veritate, hoc est in me, *Ioan. 17.* qui sum via, veritas, & vita. Sed ad secundam possumus dicere, quòd dum præcipit, vt sancti simus, mandat, vt nos prębeamus assensum huiusmodi sanctificationi, qua ipse nos sanctificat. Vtique (vt Augustini verbis vtar) sicuti nemo credit inuitus, sic pariter nemo sanctificatur inuitus: semper enim Deus paratus est sanctificare nos ex sua nimia bonitate, dummodo nos peccatis non illi opponamus. Faciamus ergo quod in nobis est, quia Deus verax est, & potens facere quod promisit.

Leui. 19. *August.* *Homo sāctificatur nolens.* *Rom. 3.*

CONTRAPO. XLVIII.

Exod. 33. *DEus facie ad faciem loquebatur Mosi.*
Ibidem. *Faciem meam videre non poteris.*

Quomodo Deus locutus est Mosi facie ad faciem, si Domini faciem videre nō poterat? Idcirco ne has sententias indiscussas relinquamus, dicēdum placuit, quòd non obstat, vt quis alium alloquatur tectam habentem

faciem, & quòd talis locutio faciei ad faciem esse dicatur. Quanquam hoc in loco per faciẽ Dei angelica species intelligenda sit, qua Deus apparens Mosi loquebatur, dederátque sibi legẽ, vti Paulus docuit. Nam (vt quidam aiunt) seclusa vnica natura Deitatis, quæ ab omni vestimento absolutissima est, quã & Ensoph Cabalistæ nominant, reliqua omnia produxit Deus, amictus lumine, sicut vestimento, vt essent lumen de lumine, ac inde cum vestimenti sui lumine creauit mundũ intelligibilẽ spirituum separatorum, & inuisibilium, quod & prænotati Cabalistæ cœlũ vocant, qui & amplius dicunt, quòd Deus mundum creans decem mutatoriis vestimentorũ se induit. Hunc verò angelum, quẽ ductorem Mosi fuisse asserunt, Mitraton nominant, vel clarius dicas, principem facierum. Hæc autem secundum illorum opinionẽ dicta sint. Augustinus verò prænotatis consonanter dicit: Deum per assumptam creaturam fuisse locutum seruo suo Mosi, & non per substantiam suam, sed per creaturam, qua voces illę fierent, & humanis auribus personarẽt: idcirco Moses cognita ista locutione Dei, quæ ad hominem fiebat per syllabas, & transeuntes sonos, cupiuit videre ipsam Dei speciem, ob quod loquenti secũ dixit: Si inueni gratiam ante te, ostende mihi teipsum: Cùm hoc vehementer concupisceret.

Cabalistæ *Psal. 103* *Ductor Mosi.* *August.* *Exod. 33.*

CONTRAPO. XLIX.

Non videbit me homo, & viuet. *Exod. 33.*
Nunc oculus meus videt te. *Iob. 42.*

Si (teste Mose) Deus primùm dixerat, quo fauore Iob fuit solutus à lege ista, vt Deum videlicet conspiceret propriis oculis? Et huic præter id quod alibi nos dixisse recolimus, & illud superaddendum placuit, dicentes, quòd beato Iob iã à fœditatibus expurgato piè credimus fuisse concessum, vt Deum oculis suis aspiceret, eo tamen modo, quo à mortalibus discerni potest, per assumptam videlicet aliquam corpoream creaturã. Profectò sic expurgatis Deus benignè se ostendit, quando vult, & quomodo vult. Ostẽdit enim se Abrahę in forma

Iob. 42. *Deus quibus ostẽditur.*

Gene.18. angelica dum ſederet ad ilicem Mambræ. Oſtendit ſe
Gene.28. Iacob ſcalæ innixum. Oſtendit ſe Moſi in nube per diē,
Exo.33. & in columna ignis per noctē. Oſtendit ſe Eſaiæ in thro
Eſa.6. no ſedentem: & ſic quampluribus aliis, quibus diuerſimodè, & ſub variis formis ſe videri permiſit, dum ſuper ſe eleuati eſſent, & ſenſibus mortui. Quem actū, mortē
Cabaliſtæ. oſculi Cabaliſtæ vocant, cùm hoc ſit quidam raptus, ſeu exceſſus eleuatæ mentis in Deum, & ſeparatæ à corpo-
Mors oſculi quæ re, non autem corporis ab anima. Quanquam in propria forma, ſicuti eſt, minimè à mortalib⁹ videri poſsit, cùm hoc ſeruetur in patria, quando videlicet corrupti-
1. Ioan. 3. bili depoſito veſtimento videbimus illum ſicuti eſt, (vti Ioannes docuit) eo tamen modo, quo intellectui creato competit, cùm ſolus diuinus intellectus ſit æquata potentia huius infiniti obiecti. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. L.

Leui. 1. *OBlatio victimarum Deo fuerat grata.*
Eſa.1. *Oblatio eodem Deo fuit exoſa alibi.*

Profectò ſi ſacrificiorum oblatio tanquā Deo grata ab illo fuerat ordinata & præcepta, cur illā Deo eſſe exoſam Propheta dixerat ex aduerſo? Idcirco præter ea quæ de huiuſmodi ſacrificiis locuti diximus aliâs, & illud pariter ſuperaddendum nouimns dicentes, quòd non obſtat, quòd illo primo tempore Deo extiterit gra-
Eſa.1. ta, quæ poſtmodum vitiata ab offerentibus, Deo effecta fuerit odioſa. Nam ſacerdotes malam in ſe vitam habētes, Deum placare nequibant huiuſmodi oblationibus: qui magis reſpicere dicitur ad cor, quàm ad manus: licet illa oblatio pręcedētis tēporis dū Deo grata fuerat,
Heb.9. hoc nō ex ſe habuit, ſed virtute illius agni, qui offerēdus
Chriſtus ſumpſit medelam pro omnibus. erat patri ſuper ſtipitē crucis in redēptionem earū præuaricationū, quæ erant ſub priori teſtamēto: (vti Paulus docuerat) per illum nāque tanquā per caput & os, ſumpta fuit medela quæ omnibus membris ſauciatis ſuum beneficium impartiuit poſtmodum. Idcirco nō amplius
Hebr.13. requiri iudicauit Paulus illam animalium oblationem,

ne medicina ſecundò ſumpta alterationem cauſaret infirmo. Profectò talis hoſtia in ligno crucis oblata, finẽ & terminũ poſuit huiuſmodi legalibus ſacrificiis. Quod & ille nouerat, qui ait: Nã finis legis Chriſtus: ipſe enim vnica oblatione ſui corporis conſummauit in æternum ſanctificatos. Sic ergo intellectis præmiſsis, nil contradictionis in ſe continere videntur. *Hebr. 5.* *Rom. 10.* *Heb. 10.*

CONTRAPO. LI.

Fermentatus panis admiſſus Hebræis. *Leuit. 2.*
Fermentatum in ſacrificio omnino prohibitum. *Ibidem.*

Si prohibitum fuiſſe agnoſcitur fermẽtatum, quomodo admiſſum dicitur? & econtrariò, ſi admiſſum, quomodo prohibitum? Et huic, quæ nullam in ſe prorſus continet contradictionem, placuit dicendum, aliud eſſe communi vſui fermentatum admitti, aliud verò nõ admitti in ſacrificiis. Quãquam ſi ad myſticum ſenſum literam deduci velimus, dicemus ꝙ per fermentũ huiuſmodi in ſacrificium non admittendum, Phariſaicam doctrinam non abſonè nouimus intelligendam, quæ illo tempore nullatenus fuerat admittenda, ne immundum, atque fœdatum redderet ſacrificium, cùm eſſet plena erroribus ac ſuperſtitionibus, quam & pariter cauendam docuerat, ſub fermenti nomine Saluator noſter, qui ſuos diſcipulos alloquens, aiebat: Cauete à fermento Phariſeorum. Pariter & de artibus, quas liberales vocant, poteſt litera intelligi, quæ cùm ſint ab homine inuentæ & traditæ, nullatenus diuinis commiſcendæ ſunt. Quæ enim (vt Apoſtoli verbis vtar) participatio luci ad tenebras? Profectò & diuinæ Scripturæ has artes tanquam pediſecas ancillari cognoſcimus. Secus facientes tanquam infideles ab illo increpandi ac puniendi ſumus, qui ſe ſequentibus præceptum tradiderat, dicens: Scrutamini Scripturas. Profectò (vti Platonis dogmate edocemur) ſicuti naturalia rationibus ſunt inueſtiganda, ita Diuina non niſi oraculis ſuſcipienda ſunt. *Marc. 8.* *Artes liberales.* *2. Cor. 2.* *Artes liberales ancillari dicuntur ſcripturæ.* *Ioan. 5.* *Plato.*

CONTRAPO. LII.

Leu.6. Psal.39.

*S*Acrificium pro peccatis offerre præceptum.
Sacrificium offerre prohibitum alibi.

Si in lege (vt alibi præfati sumus) sacrificium offerri fuerat mandatum à domino, cur ne sacrificium offerret Dauid præceptum fuit? ait enim in Psalmo conuersus ad Deum: Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem. & alibi: Sacrificium & oblationem noluisti. Idcirco & huic sic nouimus respondendum, dicentes, quòd ob hoc Prophetæ sacrificium offerre fuerat interdictũ, quia (vt aliâs prætulimus) peccato Auon, Deum offenderat, quod & expiari non poterat, nisi morte propria. Sit ergo istius secundæ sensus, Sacrificium & oblationem noluisti, id est, trucidati pecoris, quo purgari nequeo ob peccatum enorme commissum. Quanquã forsan, & non ab re, possemus dicere, quòd ad sacrificium reconciliationis totius humani generis litera posset referri, quam nec totum ipsum genus sic infectum suis hostiis obtinere potuisset. Profectò sic prouocatum ad iram fuerat tribunal iustitiæ propter Adæ lapsum, vt nullatenus pacari posset, nisi seipsum in sacrificium offerret ille, qui omniũ peccata delere debebat: ipse enim sua nimia victus bonitate sponte se obtulerat tribunali præfato, dicens: Holocaustum pro peccato non postulasti, idcirco, Ecce ego venio, paratus videlicet vt immoler pro reatibus omnium.

Psal. 50. Psal.39. Auon quid. Psal. 39. Rom.4. Psal. 39.

CONTRAPO. LIII.

Leu.19. Luc.6.

*D*Iliges amicum tuum, & odio habebis inimicum.
Diligite inimicos vestros, & orate pro illis.

Profectò si Deus legem tribuẽs, inimicum admiserat odio habendum, cur Christus, qui legem adimplere venerat, inimicum diligendum mandauit? Nónne de Deo dicitur: Ego sum Deus, & non mutor? Idcirco nobis elaborandum est, vt soluamus præmissa. Dicamus ergo, quòd licet lex inimicum odio habendum admiserit, decuerat tamen, vt per legem perfectæ libertatis esset suppletum his, quæ primæ legi deerãt, & hoc ab illo

Malac.3. Iac.1.

cui omnis poteſtas conferenda erat in cœlo, & in terra: ipſe enim plebem fidelem ſibi conſtituens, mandauit renatis fonte baptiſmatis, vt inimicos pariter diligentes imitarentur patrem ſuum cœleſtem, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Quanquam ad primam aliter reſpondentes poſſemus dicere, quòd illud quod additur de inimico odio habendo non continetur in litera, nec minus in veritate Hebraica, ſed additum fuit à ſuperſtitioſis Hebræis, hāc falſo conſequentiam deducentibus, quaſi dicat, amicus præcipitur diligendus, idcirco ex aduerſo inimicus odio habendus eſt. Hinc contemnendus eſt error peſsimus quorundam inſipientium Talmudiſtarum dicentium in libro Berachot, quòd ille Rabbi, qui odium in ſe non nutrit, & vindictam facit in Chriſtianos priuari meretur gradu illo, cùm non ſimus à Iudæis extranei quantum ad cultum, habentes vnicum Deum cum illis, licet veneremur illum, non tam vnum in eſſentia quàm trinum in perſonis: licet hanc primam pariter admittentes, Origenémque ſequētes ad illam poſſemus dicere, quòd hoc in loco per inimicum forſan antiquus hoſtis intelligendus eſt, qui idcirco meritò odio habendus mandatur, quia & ipſe continuè contra nos aliquid machinatur in malum, quem & aduerſarium noſtrum appellauerat Petrus. Sic ergo intellectis præmiſsis non contrariantur adinuicem.

Mat. 28. *Luca 6.* *Mat. 5.* *Heb. ver.* *Origenes.* *1. Petr. 5.*

CONTRAPO. LIIII.

Leui. 7. *Ioan. 6.*

Sanguinem ſumere in lege prohibitum.
Sanguinem ſumere præceptum alibi.

Si ſanguinem ſumere in lege fuit prohibitū à conditore legis, cur illum bibere in noua lege præceptum? Huic quoque, quæ nil in ſe controuerſiæ continere cernitur, placuit dicendum, æquiuocationem latere in præmiſsis de ſanguine: nam in primo de animalium ſanguine fit ſermo, ſed & de Chriſti ſanguine fit in altera mentio, quem niſi biberimus, vti pręceptum eſt, proculdubio perituri ſumus, quia ſine illo ſpiritalem vitam in

Leuiti. 7. *Ioan. 6.*

Ioan.6. nobis habere nequimus:idcirco ibidem addidit:Nisi bi-
Leuit.7. beritis meum sanguinem, non habebitis vitam in vo-
Ioan. 6. bis. Et non sicut per sanguinem illum animalium sumptum delebatur anima de populo suo: quia per sanguinem Christi deuotè bibitum,sic anima fidelis illi copulatur,vt ipsa in illo maneat,& ipse in illa:ob quod dixit, Qui bibit meum sanguinem,in me manet, & ego in illo. Et non sicut per sanguinem animaliũ sumptum im-
Leui. 7. mũdus efficiebatur homo, cuius sanguinis sumptio id-
1.Ioan.1. circo fuit in lege prohibita, quia post peccatum primorum parentum libido,& concupiscentia in sanguine viguit:secus autem de sanguine Christi dicendum est,quẽ sumẽtes deuotè,prout decet, ab omni fæce peccati purgamur & mundamur. Licet ad primam aliter respondentes possemus dicere, quòd non obstat sanguinem fuisse in lege prohibitum,& quòd modò illum sumere sit permissum,quia & multa alia huiusmodi fuere in lege prohibita,quæ modò in lege noua,tanquam licita,sunt admissa. Idcirco & Petro adhuc non ad plenum de mysterio instructo facta fuit vox,dicens:Quod Deus purificauit, tu ne immundum dixeris. Et sic patet quid ad præmissa fuerat dicendum.

CONTRAPO. LV.

Lex *SEmen non relinquens in Israel maledictus.*
Apo.14. *Mulieribus non coinquinati,laudati.*

Si diuino flamine iam fuerat promulgatũ in lege, quòd semen in Israël non relinquens maledictus esset, cur modò in noua agnoscitur abolitum hoc mandatũ, quæ econtrariò non coinquinatos mulieribus commendare videtur? Et hanc quanquam aliâs explanauerimus, nihilominus rursus ad illam dicendum placuit, quòd nullatenus in lege reperitur quòd maledictus fuerit qui semen nõ reliquerit in Israël,dato,quòd illi populo hoc carnale semen serere foret præceptum, propter id quod dictũ fuit Adæ,& post diluuiũ filiis Noë,pariter in Deu-
Deut.7. teronomio,vbi dicitur:Nõ erit apud te sterilis vtriusque
Genes.1. sexus tam in hominibus quàm in gregibus tuis. Nouis

tamen superueniētibus finem accepit mandatum istud, cùm non amplius (vti Apostoli verbis vtar) simus sub lege, sed sub gratia, quæ magis videtur habere curam de spiritali semine, quàm de carnali. Quod vt animæ quiores efficerentur fideles degentes sub lege gratiæ, consiliū à Christo collatum nouimus. Quanquam stantes in ista explanatione adhuc primæ dicendum placuit, quòd licet carnale semen serere fuerit mandatum, non sic tamen intelligendum est, quòd secus facientes sub maledicto essent. Quia Helias, Hieremias, & Daniel, & alij quàm plurimi degentes sub lege non placuissent Deo non serentes hoc semen. Nec Christus castitatem eligēs, nec minus beata virgo cum Ioanne Baptista, & Euangelista, Deo grati extitissent virginitatem seruantes: quod & absurdum iudicamus non solùm dicere, sed pariter iudicare. Vtique huius mysterij non ignarus fuerat ille, qui tanquam bonus sator hoc spiritale semen serens genuit filios, quibus dixerat: In Christo enim Iesu ego vos genui. Ad quod semen serendum per vniuersum orbem missi fuerunt Apostoli tanquam agricultores cœlestes & diuini, de quibus Propheta regius vaticinio præuentus dixerat in psalmo: Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Et sic patet quid dicendum.

Genes. 9. Rom. 6. Mat. 19. 1. Cor. 4. Mar. vlt. Psal. 119.

CONTRAPO. LVI.

R*Edde Domino iuramenta tua.*
Nolite omnino iurare, alibi.

Si cōditor legis priori populo iurare cōcesserat, dicens: Iurabitis per nomen meum: idcirco, & iuramentum reddi præcipit, cur veritatis præceptor hoc omnino prohibuit? Hæc enim (vt cernimus) sensum contrariū in se continere videntur: idcirco & huic placuit dicendum quòd non penitus Christus iurare prohibuit, sed occasionem periurij, quod perfectius est, euitare docuit. Hoc autem fecit secundum illam potestatem quam habet communem cum patre. Ad quem Christum lex, & Prophetæ se referre debebant, tanquam ad finem legis.

Leuit. 19. Mat. 5. Mat. 28.

Rom.10. Quod & illum nõ latuit,qui dixit:Finis legis Christus: ipse enim nouam familiam sibi eligens,& vetus præcep *Mat.5.* tum soluens,dedit alterum,dicens : Nolite omnino iurare. Hinc ergo ostenditur quantæ excellentiæ quántæ- *Iaco.1.* ue dignitatis sit vir Christianus constitutus in lege perfectionis:cui,vt penitus ab omni iuramento solutus sit, *Dignitas Christiani hominis.* ne iuret,pręcipitur:ne aliquando illo vtens in periurium labatur,falsum iurans. Idcirco vt imitator illius efficiatur, qui summa veritas dicitur, nullo pacto illi iurandum permittitur. Et sic patet quid dicendum fuerat ad *Ioan.14.* præmissa.

CONTRAPO. LVII.

Leui.25. *Sacerdoti ne omnino tangat mortuos præcipitur.*
Ibidem. *Sacerdoti vt mortuos contingat concessum.*

Si nullo pacto,vt mortuos tangat sacerdos pręceptum fuit, cur in altera hoc videtur admissum? An forsan sibimet contraria est lex? Idcirco & huic pariter dicendũ putamus,quòd de maiori sacerdote prima sẽtẽtia intelligenda est.Hic enim sanctam sanctorum semel in anno ingrediens strictiori obseruatione innodari debebat,ne videlicet omnino contingeret mortuos,ne huiusmodi tactu inficeretur, immundúsque redderetur. Nempe(vti Cabalistæ attestantur)huiusmodi cadauera *Cabalistæ* taliter iudicantur immunda, vt etiam tangentes illa inficiant. Idcirco vt talis sacerdos ab omni parte mundus esset,ab huiusmodi tactu se abstinere debebat,vt sic decenter accederet ad altare hostias offerens. Qui si talis debebat esse sacerdos illius temporis, quid dicemus de sacerdote accedente ad altare, in quo non animalium hostiæ, vt olim in lege, sed Christus tanquam agnus absque macula offerendus est,in expiatione om- *Sacerdos quali mũditia mundari debet.* nium delictorum? Minori verò sacerdoti non ita arduum præceptum collatum fuerat, cui & suorum parentum funeri,& cadaueribus permissum fuit interesse,illáque tangere.Et sic seruantur præmissa absque contradictione.

CONTRAPO. LVIII.

Tunicas habere duas concessum legalibus. *Leui. 9.*
Tunicas habere duas Euangelicis interdictum. *Mat. 10.*

Si duas habere tunicas fuerat admissum in lege, præceptúmque his qui sacerdotio fungebãtur, cur ab illo qui non soluere legem venerat, altera tunica fuit interdicta? Idcirco & huic, quæ nil cõtradictionis videtur includere, dicendum placuit, quòd non sine grandi mysterio altera tunica ablata fuit per Christũ. Profectò per has duas tunicas (vt Origeni placuit) duplicem circuncisionem significari arbitramur, interioris videlicet & exterioris hominis, quibus indui tenebantur sacerdotio fungentes illo tempore, sed idcirco harum altera ablata fuit, quia figura erat: de qua Paulus Galatis scribens ait, Si circũcidimini, Christus nihil vobis proderit: ob quod illa prorsus deposita, præcepit nobis veritatis magister, vt altera omnino indueremur, quæ ad interioris hominis operimentum necessaria cernitur: quem & Pau. secutus pariter præcepit Ephesiis, dicens: Induite vos nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Quæ quidem tunica quia Christi operimentum esse dicitur: idcirco inconsutilis esse fertur desuper contexta per totum, non habens in se scissuram aliquam, vt sic nostram vndique nuditatem operiat, quam & illa prior præfigurauerat, qua prothoparentem indutum fuisse fertur, eámque per peccatum exutus, nudus apparuit, & deformis. Hac nisi induti fuerimus, toto tempore quo in hoc mundo viuimus, regnũ cœlorum minimè ingressuri sumus, sed tanquam nudi æternis cruciatibus deputabimur. Et sic patet quid dicendum.

Origenes. *Leui. 9.* *Gala. 5.* *Tunica necessaria Christiano homini.* *Ephe. 4.* *Genes. 3.*

CONTRAPO. LIX.

Iurabitis per nomen meum.
Nolite omnino iurare, alibi. *Deut. 6.*

Si iurare per nomen Domini licitum fuit apud patres, cur conditor legis Euangelicæ aliud sentit in alterum? An forsan iurare tanquam quoddam malum iudi- *Mat. 5.*

cauerat? Idcirco & huic præter id quod aliâs prætulimus de iuramento, & illud pariter superaddendum nouimus, dicentes esse conueniens, vt illud perfectionis, quod deerat priori legi, perficeretur in noua, quanquam impropriè lex Euangelica, lex noua dicatur, sed lex fidei, seu nouum testamentum mentibus inscriptum credentium. Nec dicendum est conditorem huiusmodi fuisse contrarium legi veteri iuramentum admittenti, quia & ad baptisma venientibus non solùm iurare permissum est, sed pariter mandatum. Nec quicquam gratius Deo offerre possumus, quàm sic iurare, & iuramentum seruare. Vtique sic iurare quid aliud est, nisi illi promittere firmiter facere quod iuramus? Sed ad aliam dicendum placuit, quòd idcirco in lege noua iurare prohibemur, ne consuetudine iurandi in periurium prolabamur: quia solus Deus sic iurat securè, vt falli non possit. Labimur autē in periurium dum in iuramento tres defuerint comites, videlicet veritas, iustitia, & iudicium, vti Hieronimi sententia vtar. Vel dicamus, si placet, quòd ob hoc Christus iurare prohibuit omnino, quia Iudæi non putabant se teneri iureiurando, si per cœlum, aut terram, aut per Hierusalem, & similia iurarent. Et quia audierant fuisse scriptum, Reddes autem Domino iusiurandum tuum, non se putabant Domino iuramentum debere, si per cœlum, aut per caput suum iurarent: Quod non vitio præcipientis, sed illis malè intelligentibus factū est, quasi dicat Christus: Cùm iuras per cœlum, seu per terram, non te arbitreris non debere Domino iusiurandum tuum, quia per eum iurare cōuinceris, cuius cœlum thronus est, & cuius scabellum suorum pedum terra est. Vel dicamus adhuc, quòd forsan per secundam, illud iuramentum duntaxat videtur prohibitum, quod aut iocose, aut fraude aliqua, in iniuriam vertitur Creatoris, aut in contumeliam proximi. Hoc autem dicimus quia ad veritatis assertionem, dum opportunitas se offert, & ad defensionem innocentiæ, & in veteri, & in noua lege semper verum iurare fuit licitum: inde contemnitur error pessimus aliquorum Talmudistarum insanientium, & dicentium

Iaco.1.

Lex noua impropriè lex dicitur

Iuramentum proficuum.

Iuramentum cur in lege noua prohibitum.

Mat.5.

Leu.19.

Mat.5.

Psal.98.

Iurare quando licitum.

esse licitum homini falsum iurare,dummodo quod ore profert,corde non credat, & sic periurare concedunt. Et sic ex prædictis patet quid dicendum.

CONTRAPO. LX.

ADorabis dominum Deum tuum. *Deut. 6.*
Adorate scabellum pedum eius. *Psal. 98.*
Si Deus solus adorandus præcipitur in lege,cur ex aduerso scabellum pedum eius pariter adorandum mandatur? Et huic respondendum esse putauimus dicentes, quòd alia adoratione longè nobiliori adorandus est Deus,& alia scabellum suorum pedum. Nempe *Psal. 98.* prima,toto corde,ac tota anima, & totis visceribus perficienda est,vt lex antiqua vnà cũ noua præcipit:sed eius scabellum non per se,sed per assistentiam suæ maiestatis est adorandum. Idcirco & Mosi præceptum fuit, antequam *Exod. 3.* ad rubum accederet, in quo erat Deus, vt calceamenta deponeret, dicente illi Deo: Terra in qua stas, terra sancta est. Quanquam & per scabellum pedum *Scabellũ* domini, Christi humanitas possit intelligi, quæ pariter *Dei quid.* non per se cultu latriæ est adoranda,sed potius quatenus verbo hypostaticè vnita est. Hanc igitur terram adorare iubemur, quia caro eius de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipsa carne hic ambulauit, & *Ioan. 6.* ipsam carnem nobis ad manducandum tradidit, quam *Caro christi cur adoranda sit.* & nemo manducat nisi prius deuotè adorauerit, & ita vt non solùm non peccemus illam adorando, sed peccemus non adorando.

CONTRAPO. LXI.

TImeas Dominum,& neminem alium. *Deut. 6.*
Timeat vxor virum suum. *Ephes. 5.*
Si solus Deus timendus est (vti Moses docuerat) cur vxori præcepit Paulus, vt virum suum timeat pariter? Nempe si vir timendus est ab vxore,non ergo solus Deus. Huic quoque,quæ nil oppositionis in se continere cernitur dicendum placuit, quòd timor non minus

Deut.6. ordinandus eſt, quàm amor. Nam ſicuti Deus ſuper omnia diligendus eſt, ita pariter ſuper omnes timendus eſt, non vtique ſicuti ſerui dominum, ſed veluti filij patrem, *Pſal.18.* timore videlicet caſto & filiali, voluntati ſuæ morem *Quibus iram ſuã Deus inferat.* gerentes, ne aliter facientes iram incurramus eius, quam non infert niſi carentibus hoc filiali timore. Nec ad verum amorem, quo Deus diligendus præcipitur, poteſt homo deuenire, niſi illum colere incipiat per hunc timorem, nec quidquam vilius inueniri poteſt, quàm homo iſto timore carens. Sunt pariter & alio gradu longè inferiori iſto principes, & poteſtates timendæ, vide- *Rom.13.* licet, propter Dominum, & in ordine ad illum cuius vicem gerentes in terris ſunt: vxor pariter virum ſuum *Epheſ.4.* timere debet, & reuereri tanquam caput ſuum. Vtique *Gene.1.* (teſte Paulo) mulieris caput eſt vir: nam illa ex viro, & non vir ex illa ſumptus fuit. Et ſic patet quid ad præmiſſa fuerat dicendum.

CONTRAPO. LXII.

Deut.6. *Mat.12.* D*Eum toto corde iubemur diligere.*

Proximum pariter tenemur diligere.

Si in dilectione Dei totum cor noſtrum debemus exponere, qua portione diligetur proximus? nam ſi totum cor dandum eſt Deo, non dabitur in nobis locus diligendi proximum. Quibus ſic nouimus dicẽdum, quòd neque vſque adeò toto corde Deum iubemur diligere, vt nullius creatæ rei dilectio nobis inſit, ſed vt eum ſolum præ cæteris præcipuéque diligamus, cunctáque *Deut.6.* alia à nobis dilecta ad eum quoad poſſumus referamus: *In proximi dilectione mẽſura poſita & quare.* in illa enim proximi dilectione menſura amoris ponitur, dum dicitur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum: ſed illa Dei, nulla menſura conſtringitur, cùm dicitur: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. Non enim iubetur quiſquis quantum diligat, ſed ex quanto, cùm *Deum diligens veraciter.* dicitur ex toto, quia ille veraciter Deum diligit, qui ſibi de ſe nihil relinquit. Quid enim aliud eſt Deum ex toto corde diligere, niſi vt cor tuum non ſit inclinatum

ad vllius rei dilectionem amplius quàm Dei: nec delecteris quasi specie mundi amplius quàm Dei, non in honoribus, non in auro, aut argento, non in filiis aut parentibus, & cæteris huiusmodi, sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, vt præ his omnibus ames Deum? Si autem in aliquo horum amor cordis tui fuerit occupatus, iam ex toto corde Deum non amas. Pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem pro tanta parte minus est ad Deum. Et sic seruantur præmissa absque contradictione.

CONTRAPO. LXIII.

Soli Deo seruiendum Moses docuit. Deut. 6.
Serui obedite per omnia dominis carnalibus. Colos. 3.

Si (teste Mose) soli Deo seruitus impendēda est, minimè tenemur cæteris. Vtique illa dictio, SOLVM, cùm sit exclusiua, neminem præter Deum secum admittit cui seruiendum sit: quem si admitteret, soli Deo seruiendum non esset. Quibus placuit sic respondendum dicentes, quòd soli Deo religione ac cultu latriæ seruiendum est. Nec per illam seruitutem homini impendendam, ab illa Dei flectendum est, cui primò seruiendum est, deinde cæteris in ordine ad illum, prout & de amore iampridem diximus. Nec sic intelligendum est, quod illud dicere, PER OMNIA, positum in secunda, Deum excludat, sed duntaxat comprehēdit in se omne illud, quod ad illam rationabilem seruitutem videtur pertinere. Nā vt eo in loco subiungitur, Non ad oculum quasi hominibus placentes, dominis carnalibus est seruiendum, sed in simplicitate cordis timentes dominum. Qua in re, quia talis seruitus carnalibus dominis impendenda est de iure diuino, ob hoc non tantum bonis, & modestis dominis, sed etiam dyscolis mandatur reddenda, vti Petrus Apostolorum princeps docuit. Et sic patet.

Christi seruitus quomodo sit ordinanda. *Coloss. 3.* *1. Pet. 2.*

CONTRAPO. LXIIII.

Occide, & manduca omnem carnem. Deut. 12.
Bonum est non manducare carnem. Rom. 14.

Si Iſraëlitis Deo iubente conceſſum fuit vt ad libitum omnem carnem comederent, cur Paulus Apoſtolus conſilium dederat de carne non manducanda? Nempe lex noua omnem carnem ſanctificat vſui, nullámque reſpuit, dummodo rationalis ſit: cuius rationis fundamentum clarè elicimus propter id quod Petro dictum fuit è cœlo. Idcirco & huic ſic reſpondendum placuit dicentes, veterem legem non eſſe nouæ contrariam. Non enim ad immoderatam voracitatem pertinere cernitur, quod in primo poſitum eſt, dum dicitur, Secundum deſiderium animæ tuæ occide, & manduca omnem carnem, ſed quanta ſuſtentationi naturæ ſufficiat, conceſſa eſt, ne contra illud videatur repugnare, quo dicitur alibi: Ne grauentur corda veſtra cruditate, & vinolentia. Cùm enim quiſque non replet niſi eam voluntatem, quam Dominus dedit, id eſt, modeſtam, atque naturalem, non grauatur cor eius cruditate, & vinolentia, qua in re ad illam Apoſtoli ſententiam arbitramur dicendum, quòd non ob hoc conſilium dederat de carne non manducanda, quia carnem manducare eſſet illicitum, ſed illam cum ſcandalo manducare omnino prohibuit, propter id quod prænotatæ ſententiæ præmittitur. Vtique dixit: Nam ſi propter eſcam ſcandalizatur frater tuus, iam non ſecundum charitatem ambulas: deinde ſequitur, Bonum eſt enim non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur. Quanquam & munda eſſe omnia ſecundum fidem eo in loco dixerit, ſed ei duntaxat immunda eſſe iudicauit, qui immunda putabat illa. Et ſic patet.

Lex noua ſanctificat omnẽ carnem. Act. 10. Deut. 12 Leui. 21. Rom. 14. Caro non manducãda cum ſcandalo. Rom. 4. Rom. 14.

CONTRAPO. LXV.

Deut. 21 Sapiẽ. 14.

Maledictus omnis qui in ligno pependerit.
Benedictum lignum per quod fit iuſtitia.

Si benedictũ dicitur lignum, per quod fit iuſtitia, cur maledicitur, qui in ligno pepẽderit, alibi? Et huic ſic reſpondendum nouimus dicentes, quòd de ligno crucis fit myſticè in vtraque mentio, in quo omnium ſalus, &

vita pependit. Ipſe enim vt nos à maledicto legis eripe- *Galat. 3.*
ret, ſuſcepit pro nobis maledictum, id eſt, ignominioſiſ-
ſimũ apud homines mortis genus, hoc eſt mortẽ crucis,
commendans nobis dilectionem ſuam, vt meritò Apo-
ſtolus diceret: Accendens nos in eius charitatem Chri- *Galat. 3.*
ſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis
maledictum: & hoc totum, quod pro nobis paſſus eſt, no- *Chriſtus*
bis contulit ad ſalutem, veterem hominem noſtrum ſe- *factus pro*
cum cruci affigẽs, vt ſic mortui peccatis, iuſtitiæ viuere- *nobis ma-*
mus. Hoc myſterium Paulus contemplatus ait ſcribens *ledictum.*
Romanis: Scientes quia vetus homo noſter ſimul cruci- *Rom. 6.*
fixus eſt cum illo, vt euacuetur corpus peccati, vt vltrà
non ſeruiamus peccato, cui primo ſeruiuimus imitantes
concupiſcentias carnis. Quanquam ad ſecundam non
incongruè poſſemus dicere, quòd per lignum, per quod
fit iuſtitia, furca poſsit intelligi, in qua, & ſuper quam *Furca*
ſuſpenduntur fures, & latrones: quæ idcirco benedicen- *cur bene-*
da eſt, quia per illam regna, & prouinciæ purgantur ma- *dicta ſit.*
lis hominibus, vt inde pacificè, & quietè viuant homi-
nes. De hac enim iuſtitia, quæ punitiua dicitur, Augu-
ſtinus locutus ait: Niſi eſſet iuſtitia, quid aliud eſſent re- *Auguſt.*
gna, niſi aperta latrocinia? Sic ergo intellectis pręmiſsis,
in nullo contrariari cernuntur.

CONTRAPO. LXVI.

Moriatur adulter cum adultera. *Deut. 22.*
Nolo mortem impij alibi dicit Dominus. *Ezec. 18.*

Mirum quippe videtur, quòd ille qui in lege pręceperat adulterum cum adultera lapidari, aliud dixerit per Prophetam ſuum. Nonne ipſe eſt qui alibi de ſe locutus ait: Ego ſum Deus, & non mutor? Sed ſi verbo- *Malac. 1.*
rum ſeriem velimus perpendere, luce clarius contem-
plabimur, nil in præmiſsis contradictionis contineri,
quinpotius æquiuocationem de morte in illis latere vi-
debimus. Profectò de corporali morte fit mentio in *Deut. 22.*
prima, qua culpa per legem expiabatur in adultero: ſed *Deus ab-*
de peccati morte intelligenda eſt altera, quam taliter *horret*
Deus abhorrere dicitur, vt eã pati nequeat, quinpotius *mortem.*

vt illam penitus aboleret, Filium vnigenitũ morti turpiſſimæ deſtinari complacuit. Et quòd illam ſic abhorreat, clarè præmiſerat prænotatus Propheta, dum ait vo-
Ezec.18. ce Domini: Non eſt voluntatis meæ perire hominem, ſed vt magis conuertatur, & viuat. Sed lege iuſtitiæ (vt ita dicam) aliquando cogitur Deus impium hominem ad æterna deputare ſupplicia. Quem enim oleo ſuę clementiæ mollire nequiuerat, neceſſe eſt vt in vltionem ſuæ iuſtitiæ æternaliter damnet.

CONTRAPO. LXVII.

Deut.24. *Libellus repudij in lege permiſſus.*
Mat. 19. *Quem Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

Si Dei nutu libellum repudij Moſes admiſerat, cur econtrariò mandat lex noua, vt quos Deus ſimul in matrimonio copulauerit, homo ſepare non audeat? Et huic præter id quod alibi præfati ſumus, dicendum placuit, quòd ſi cauſam huius mutabilitatis velimus percurrere, clara luce videbimus, vtrumque ſalubri conſilio fuiſſe actum. Decens enim fuerat, vt illi priori populo tanquã rudi & carnali huiuſmodi libellus repudij permitteretur, ne fortè non admiſſus, vxores fornicantes interfi-
Mat.19. cerent: ſed non fuit ſic ab initio, Saluatore teſte. Lex verò perfectionis, quæ magis veneratur hoc ſacramẽtum, decreuit aliud, mandans videlicet ne omnino ſolueretur hæc maritalis copula, dempta fornicationis cauſa. Nouit etenim lex noua hac carnali coniunctioni, illam Chriſti cum anima coniunctionem ſignificari: id-
Epheſ. 5. circo Paulus de hac ſpirituali locutus, ait: Sacramentum hoc magnum eſt: & vt inueret, quòd hæc in myſterio loqueretur, adiecit dicens: Ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia. Et infrà oſtendens quanta reuerentia honorari deberet, dixit: Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, pro qua ſponte ſe morti tradiderat. Et ſic ex præmiſſis liquidò apparet, cur libellus repudij fuit in lege permiſſus, & cur Chriſti tempore non
Ephe.5. admiſſus.

Libellus repudij cur permiſſus in lege.

Sacramentum matrimonij venerandum.

CONTRAPO. LXVIII.

Deut.27. Rom.12.

Maledictus qui peruertit iudicium.
Maledicere nolite; sed benedicite.

Profectò si lex præceperat maledicendũ esse, qui iudicium peruertit, cur maledicere omnino prohibuit Paulus? Nonne quod in lege scriptum est, hoc à Deo ordinatũ fuit? Huic autẽ, quæ nil contradictionis in se videtur includere, placuit dicẽdum, Paulum in huiusmodi nullatenus fuisse Mosi cõtrarium. Nam quòd Moses dixerat, hoc zelo Dei dixit. Sic enim pariter ab omnibus psallentibus maledicuntur quotidie, qui à mandatis Dei declinant: maledixerat etiam Noë nepotem Chanaan, quem ob suam pessimam vitam nouerat maledicendum fore à Deo. Pariter & ipse Apostolus maledixerat Ananiam, qui conscia vxore fraudauerat Ecclesiã de pretio agri. Maledixerat Paulus Elimam magum, qui conabatur auertere proconsulem à fide, vt Lucas refert in actibus. Nec sic maledicere, tanquã quoddã malum est existimandum, quia ex zelo iustitiæ Dei, & non ex appetitu vindictæ illatæ in hominem prouenire cernitur. Idcirco calumniandi non sunt, qui sic maledicenda maledicunt. Paulus verò in altero pium & mitem imitatus magistrum, benedicere docuit: nouerat enim Petrum fratrem suum dixisse de Christo: Qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non cõminabatur. Et sic seruantur præmissa concordia.

Deu. 27. Psal.118. Genes.9 Act. 5. Act. 13. Maledicere quando licitum. Mat. 11. 1.Pet.2.

CONTRAPO. LXIX.

Iudi. 13. Eccl.9.

Caue ne bibas vinum.
Bibe cum gaudio vinum tuum.

Si vinum cum gaudio bibendum conceditur, cur nõ bibendũ in altero præcipitur? Et huic pariter dicendũ nouimus, quòd non est deducendum in consequentia, quod vni soli præceptum est. Nam & primùm Manuæ Sansonis genitrici indictum fuit, quæ filiũ Domino cõsecrandum, erat paritura, cui & lac pro potu, & non vinum dandũ erat ab illis supernis vberibus emanãdum. Nempe per lac (vt Sapientes sentiunt) superiorum sa-

Lac quid facit.

Vinum quid significet. pientia figurata est, ficuti econuerſo per vinum, inferiorum ſcientia deſignatur. Idcirco quia Sanſon prophetali munere erat à Domino decorandus, ob hoc lactis ſapientia nutriri debuerat, quam & abundanter à Deo *Iud. 13.* hauſerat. Reges pariter, qui ſuper alios præficiẽdi erant, *Reges cur vngebantur.* ſapientia iſta muniebantur, vt illa dotati recta iudicia, ac diuinis cõformia regulis iudicare valerẽt. Quibus pariter econuerſo prohibitum fuit vinum dari, quod & liquidò oſtẽditur per illud quod dicitur in Prouerbiis, videlicet, ô Lamuel noli regibus dare vinũ: nouerat enim *Prou. 31.* *Oſeæ 4.* vinum auferre cor, ficuti & quidam Propheta dixerat. *Heb. ver.* Sed ad alteram dicendũ placuit, quòd veritas Hebraïca non ſic continet ſicut noſtra traductio, ſed dicit: Bibe in corde bono. Quod & myſterio vacare non dicitur. Non enim omnes qui vinum bibunt cum gaudio, dicuntur illud bibere in corde bono, quia & ebrioſi illud bibentes in gaudio, non bibunt corde bono, ſed in ſuam perniciem. Et ſic patet quid eſſet dicendum.

CONTRAPO. LXX.

Iudi. 14. *Melle nil dulcius dicitur reperiri.*

Pſal. 118. *Eloquia Domini ſuper mel dulciora.*

Si nil dulcius melle (vt edocemur experientia) reperitur, & vti vulgò dicitur, quid eſt quòd econtrariò eloquia Dei ſuper mel dulciora eſſe dicũtur? Et huic pariter ſic reſpondendum nouimus, dicentes æquiuocationem in præmiſsis latere. Nempe in illo de ſpiritali dul- *Dulcedo duplex.* cedine, ſed in altero de corporali facta eſt mentio. Et ſicuti Spiritus lòngè nobilior dicitur eſſe corpore, ſic & ſpiritalis dulcedo eloquiorũ Dei in anima recepta longè excellentior eſſe dicitur dulcedine mellis, corporali guſtui propinata. Profectò, vti Hieronimi ſententia eſt, corporalia ſpiritualibus comparari non poſſunt. His er- *Iudi. 14.* go ſic diductis, dicendum nouimus ad primam, quam & verã eſſe nouimus in rebus corporalibus, in quibus nil dulcius melle experimur eſſe: ſed hęc dulcedo illi ſpiritali comparata, felle acerbior eſſe dicitur, cùm excedatur ab illa (vt ita dicam) in infinitum: ratione præmiſſa, vti-

que illa corporalis dulcedo palato duntaxat apparet dulcis, sed ista spiritalis totum hominem dulcem facit, dulcésque pariter facit sermones suos. De qua dulcedine Propheta regius Deum allocutus, ait: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine. Et sic seruantur præmissa absque vlla contradictione illæsa.

CONTRAPO. LXXI.

Dominus pauperem facit & ditat. 1. Reg. 2.
Diuitiæ à parentibus dantur. Prou. 29

Profectò si (Sapiente teste) diuitię à parentibus dãtur, cur prophetissa illa ex aduerso dixerat in suo cantico, Dominus ditat hominem? Et huic quæ nullam in se prorsus contradictionem continere cernitur, placuit dicendum, quòd Sapiens per suam sententiam non excluserat Deum, à quo tanquam à fonte nouerat procedere omnia, qui & omnis terræ, ac plenitudinis eius dominus esse dicitur, vti Propheta regius dixerat in Psal. Nec iudicamus istis diuitiis corruptibilibus relictis à parentibus posse ditari filios, nisi hoc permitteret Deus qui omniũ bonorum dator dicitur: sed non de istis caducis diuitiis fit in prima locutio, quæ & à malis auferri & posside possunt, quinpotius de illis diuitiis fit mentio in litera, quibus & pauper temporalibus rebus diues efficitur ab illo, qui taliter omnibus bonis dicitur diues, vt ex abundantia suarum diuitiarum infinitos posit facere diuites, qui eum verè dilexerint, vt Pau. nouerat. His enim diuitiis pauper ditatus, plus est illi videre cœlum stellatum, quàm diuiti huius sæculi tectum inauratum, cui portio non est expectanda in cœlis. De tẽporalibus verò diuitiis Propheta regius locutus ait in Psal. Ne timueris cùm diues factus fuerit homo, quia non descendet cũ illo gloria eius. De huiusmodi pariter diuite Saluator locutus in Euangelio ait: Diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Sed veri Christiani non illas diuitias possidere curant, quæ possunt amitti, & oculis carnis videri, & cõcupisci, sed illas quæ cordis oculis intuentur in Deum: Quibus habitis non amplius pauper dicitur homo,

Prou. 20. Psal. 23. 1. Cor. 1. Psal. 48. Mat. 19.

quas & fur nequit auferre, cùm custoditæ seruentur in thesauris Domini, vbi fur non appropiat, nec tinea valet corrumpere. Profectò illæ temporales diuitiæ sine virtute magis obsunt, quàm prosint: sed illæ spiritales, quibus non sunt aliæ maiores, faciunt nos consortes diuinæ naturæ: de quibus Augustinus locutus ait: Illæ sunt veræ diuitiæ, quas cùm habuerimus non possumus perdere. Et Gregorius pariter de his diuitiis locutus ait: Solæ illę diuitiæ veræ sunt, quæ nos diuites faciunt virtutibus. Bernardus verò de his locutus, dixit: Veræ diuitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, vt in perpetuum diues fiat. Idcirco Saluator noster, vt his diuitiis ditaremur ad plenum, se fecit pauperem, vt sua inopia nos faceret diuites in æterna tabernacula, vti Apostolus spiritu sancto præuentus dixerat, scribens Philippensibus. Et sic patet quid ad præmissa fuerat dicendum, & quæ sint illæ diuitiæ, quæ nos constituunt diuites.

Spiritua-les diuitiæ *August.* *Greg.* *Bernard.* *Veræ diuitiæ.* *Philip. 2.*

CONTRAPO. LXXII.

1. *Reg.* 18. *Eze.* 20.

MOrimur omnes, & sicut aqua dilabimur.
Iustitiam faciens vita viuet, & non morietur.

Si iam decretum firmatum est, & promulgatũ, vt regius Propheta vnà cum Paulo attestati sunt, vt omnes qui ex Adam traxerunt originem, morti semel succumbant: cur ex aduerso in altero dicitur de faciente iustitiã, quòd videlicet non sit moriturus? Et huic quanquã aliâs illam explanaturi sumus, nihilominus & illud in proposito arbitramur dicendũ, quòd non de eadẽ morte sit in præmissis locutio. Nam de corporea in prima, quæ in pœnam originalis illata fuit indifferẽter omnibus. Idcirco nemo eam valet effugere. Hæc enim vnà cum aliis pœnis, non lege naturæ, sed ob lapsum prothoparẽtis inflicta fuit omni homini, dum illam comminatus Deus dixerat: Morte moriemini. Sed de lethali, & æterna sit sermo in altera, quam & mortẽ secundã Ioanni appellandam placuit, hanc & iustitiam faciens minimè substinebit: de hac pariter Christus locutus ait in Euan-

Gene. 2. *Apoc.* 2.

gelio: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum. Hæc enim idcirco timẽda est, quia mors æterna, mors gehennę, mors damnationis dicitur. Ob hoc expauescenda non est illa corporea, qua duntaxat sarcina corporis nostri deponitur, sed illã vereamur, quę corpus cum anima ad loca tartarea in perpetuis cruciatibus facit transire. Et sic patet quid dicendum. *Ioan. 15.* *Mors gehennæ.* *Mors quæ timenda.* *Mat. 10.*

CONTRAPO. LXXIII.

1. Reg. 2. *Ibidem.*

Dominus ditat hominem.
Dominus pauperem facit.

Si Dominus est ille, qui pauperẽ facit hominẽ, quomodo illum ditare dicitur: Ditare enim & pauperem facere mutuò se expellunt: nam qui ditatur, pauper fieri non dicitur, & econtrá. Et huic quamquam suprà ad plenum satis illam declarauerimus, nihilominus dicendum placuit vtrunque facere Dominum: ipse enim & pauperem hominem ditare dicitur, & illum in pauperiem redigere, quando vult, & quomodo vult. Quamuis (vt aliâs præfati sumus) de veris diuitiis, & de pauperie laudabili fiat in præmissis mentio. Nam de his diuitiis Paulus cum Corinthiis locutus ait Christum introducens: Qui cũ diues esset, pauper factus est, vt ipsius paupertate vos ditaremini. Pariter de hac pauperie laudabili Christus locutus in Euangelio dicit: Beati pauperes, quia vestrûm est regnũ Dei: diuitibus verò mundi ecõtrariò comminatus aiebat: Væ vobis diuitibus. Has diuitias contemnens Salomon ait in Prouerbiis: Non proderunt diuitiæ in die vltionis. & alibi: Qui confidit in diuitiis suis, corruet. sed & Propheta regius easdem pariter spernens ait in Psalm. Melius est modicũ iusto, super diuitias peccatorum multas. & alibi hos diuites admonens, ait: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Paulus verò formam rectè viuendi tradens huiusmodi diuitibus, scribens ad Timothæum discipulum ait: Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum suarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum. Pariter & *2. Cor. 8.* *Mat. 5.* *Luc. 6.* *Prou. 11.* *Psal. 36.* *Psal. 61.* *1. Tim. 6.*

Ambro. ſanctus Ambroſius de huiuſmodi diuitiis locutus ait: Sicut diuitię impedimēto ſunt reprobis, ita & probis ſunt adiumenta virtutis. Et ſic patet quid dicendum fuit.

CONTRAPO. LXXIIII.

1.Reg.18. *Sap.12.* *SPiritus Domini malus exagitabat Saul. Spiritus Domini vbique bonus legitur.*

Si ſuauis ac bonus legitur eſſe ſpirit9 Domini, cur dicitur quòd ſpiritus Domini malus exagitabat Saul? quomodo poteſt malus dici, qui Domini ſpiritus dicitur? Profectò ſi malus, non vtique Domini ſpiritus dicēdus eſt. Huic quoque, quæ nil in ſe contradictionis continere videtur, dicendum placuit, quòd non obſtat, quòd omnes ſpiritus, ſiue boni ſiue mali, dicātur ſpiritus Domini, creatione ſiue miniſterio. Nam ſiue mittantur ad defendendum, ſiue ad protegendum illos, qui hæreditatem capient ſalutis, ſiue mittantur tanquam carnifices tribunalis iuſtitiæ ad vindictam & punitionem malorū hominum, Domini ſpiritus dicendi ſunt. Vtique ad ſtrages ſeu cædes agendas tam malorum hominum, quàm regnorum, & prouinciarum hi mali ſpiritus ſemper mittuntur, prout diuina vltio requirit & iubet, licet Deus ſemper hoc faciat citra cōdignum, vti Propheta regius monuit. Profectò bonus angelus qui ſemper nobis beneficus eſt & fidelis ſodalis, dedignaretur hoc tā vili miniſterio fungi: ſed apoſtaticus, & immundus in perditione hominum congaudet & lætatur, vt demum ſecum habeantur in interitum ſempiternum. Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

Omnes ſpiritus Dei dicuntur, & quomodo. *Heb.1.* *Angelus malus, carnifex Dei.* *Pſal.102.* *Angelus bonus ſemper beneficus.*

CONTRAPO. LXXV.

3.Re.19. *2.Cor.5.* *MOri, & animam tolli cupiuit Helias. Nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri.*

Si Propheta, qui zelo Dei feruidus fuerat, mori cupierat, cur Paul9, qui pariter dixerat: Cupio diſſolui, alibi dixit oppoſitum? Nam de viris iuſtis locutus ait, quòd nolūt expoliari, ſed ſuperueſtiri. Qua in re & huic ſic reſpondendum nouimus, dicentes: quòd Helias vt

homo nimis vexatus ob persecutionem impiissimæ Iezabellis talia locutus est, nec in hoc est culpandus; quia & hæc similia euenire solent aliquando cæteris quibuscunque viris, qui passionibus, ac persecutionibus crebris laborantes, aliquando potius mortem eligunt & cupiũt, quàm sic vexari continué. Vel dicamus, & forsan melius, quòd Helias angelicis allocutionibus assuetus cupiuit hanc corpoream deponere figuram, vt illam supercœlestem indueret, quam se adipisci posse minimè nouerat, nisi illam prius abiiceret veterem: nouerat enim cùm esset Propheta Domini, illud omnino se facere oportere, vt videlicet immortalitatem indueretur. Quod & fieri nullatenus hæsitauerat, nisi cùm mors absorpta fuerit in victoria (vt idem Paulus postea attestatus est) licet Helias hoc quod rogauerat, non fuerit consecutus, quin potius raptus in curru igneo cœlum ascendit, vbi seruatur vnà cum Enoch vsque ad nouissima tempora. Sic ergo intellectis præmissis, prima non contradicit alteri.

Sancti viri cur mortem aliquando cupiunt.

1. Cor. 15.

4. Reg. 2.

CONTRAPO. LXXVI.

Helias per turbinem ascendit cœlum. — *Ibidem.*

Nemo ascendit in cœlum, nisi filius hominis. — *Ioan. 3.*

Profectò si solus qui de cœlo descendit, illuc pariter ascensurus est, quid est quod Scriptura dicit de Helia, quòd videlicet in cœlũ ascenderit in curru igneo, vt in præcedenti prætulimus? Idcirco & huic pariter dicendum placuit, ꝙ non est arbitrandum ibi modò esse Heliam, vbi futuri sunt sancti, quando peracto diei opere, denarium sunt accepturi diurnum, quia & hoc obtinere nequimus, nisi cùm ex hac vita migraturi sumus, ac in illam translati æternam: quanquam modò melius habeat Propheta, quàm si in hac vita esset: ipse enim nõ morte, sed translatione migrauit, licet nondũ obtinuerit quod pro bene gestis illi debitũ est: communẽ tamẽ opinionẽ sequentes possemus dicere, ꝙ Helias non empireũ, sed æthereum duntaxat, ascenderit cœlum, vbi seruatur vsq; ad Antichristi tempora, sed ad aliam dicendum placuit,

Helias nõ migrauit. sed translatus est.

Helias nõ ascendit cœlũ empireum, sed æthereum.

Ascendere cum Christo quid sit. quòd & ille cum Christo pariter ascendere dicitur, qui in terra positus didicerit prius descendere per humilitatẽ. Profectò (vti iudicamus) primus istius ascẽsionis gradus humilitas dicitur: quod & liquidò designauerat ille, qui in terris positus, & formam præbens ascensus istius scalæ dixit in Euangelio: Qui se humiliat, exaltabitur. Sed & clariùs dum conuersus ad discipulos ait: Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlo-
Mat.18. rum. Quam scalam ipse primò erigens ascendit, dum
Philip.2. formam serui accipiens, fuit nobiscum viator. Qui tali-
Christus semper fuit humilis. ter hos gradus humilitatis perãbulauit vt vsque ad crucis mortem extiterit humilis. Ob quod se sequentibus securè & confidenter dicere poterat: Discite à me, quia
Mat.11. mitis sum, & humilis corde. Et sic seruantur præmissa absque vlla contradictione.

CONTRAPO. LXXVII.

2.Par.12. A*Versus es ab ira tua.*
Psal.84. *Auerte iram tuam à nobis.*

Si ab ira sua iã Deus auersus fuerat, cur ac si auersus nõ fuisset, rogat Propheta in altero, vt Deus auertatur ab ira? Quibus sic respondendum nouimus dicentes, in nullo prorsus contrariari præmissa, cùm non sint respectu vnius, & eiusdem prolata. Nã alia causa Deus i-
2.Pa.12. ratus fuerat contra principes Israël, & forsan alio tempore, & alia causa pro qua, vt Deus ab ira auertatur,
Psal.84. Propheta rogat. Vtique propter idolatriam iratus fuerat Dominus contra prenotatos principes, quibus iam consternatis suam irã auerterat, tanquam ab expurgatis per flagellum à culpa. Sed vt auertatur ab ira, quã ab exordio mundi genus humanum incurrerat, precatur Deum
Ibidem. in altero. Idcirco regius Propheta in persona omnium rogat humiliter, vt dimissa noxa auertatur Deus ab ira. Rogat igitur, & duo petit in prænotato versiculo, videlicet vt illos conuertat, qui tanto tempore ab illo auersi fuerant: ait enim, Conuerte nos Deus salutaris noster. Demum post talem conuersionem sic pacatus addit, dicens: Et auerte iram tuam à nobis, quam supple merebamur

bamur ꝓpter delicta nostra, vt ira amota, loco eius subintret gratia. Quem sensum mater Ecclesia imitata, supplex & humilis iam effecta dicit in cantico pœnitentiali hanc conuersionem, rogans: Conuertat nos benignitas, quos longa suffert pietas. Et sic liquidò patet quid fuerat ad præmissa dicendum.

CONTRAPO. LXXVIII.

P*Romißio Dei facta Heli vacua.* 1. Reg. 1.
Verbum Domini non reuertendum vacuum. Esa. 55.

Si verbum Domini sic permanendũ est, vt amplius non reuertatur vacuum, vti prænotatus Vates vnà cum regio Propheta concorditer agnouerat, cur promissio Dei facta domui Heli, locum non habuit? Dixerat enim illi Deus: Domus tua, & domus patris tui ministrabunt coram me in æternum. Et tamen statim, tanquã si Deus sui promissi non fuisset memor, subiũgit eo in loco, dicens: Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt nõ sit senex in domo tua. huic quoque sic nouimus respondendum, dicẽtes & exponentes illam dictionem Holam, quæ (vt aliâs præfati sumus) interpretata non semper stat pro æterno, id est pro toto temporis spacio huius mundi, quo nullo intercepto, sacerdotium Heli esset duraturum, sed accipitur ibi Holam, pro quodam temporis spacio, quousque videlicet aduentante figurato cessaret figura. Nempe (teste Paulo) Christus sanctam sanctorum ingrediens, & semel seipsum offerens patri æterno super aram crucis, taliter illis prioribus hostiis finem posuit, vt vnica sui oblatione consummauerit in æternum sanctificatos, apparens continuò vultui Dei pro nobis. Et sic liquidò patet, quomodo illud sacerdotium Heli, & aliorum præcedentium, videlicet Melchisedech, & Aaron fuerat exemplar & figura sacerdotij Christi. Nec sequitur, ꝙ Deus irritum fecerit promissum suum, quod domui Heli fecerat, quia de spiritali sacerdotio, & pari ministerio hæc promissio intelligenda erat, ad quod se debebat extendere illud sacerdotium Heli. Nec hîc silẽtio prætereũda

Psal. 118.
1. Reg. 2.
Holam.
Heb. 9.
1. Reg. 1.
Spiritale sacerdotium.

est illa erronea &perniciosa opinio quorundam insipiẽtium Talmudistarum asserentium non peccauisse filios Heli sacerdotis, coëuntes cum mulieribus excubantibus ad ostium tabernaculi, ob quod & Deus voluit occidere illos.

CONTRAPO. LXXIX.

2.Reg.11. *Psal.50.*

David peccauit in homine, occidendo Vriam.
Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.

Quomodo in solo Deo se peccauisse dicẽdus est ille, qui legem Dei transgrediens, post adulterium commissum, pariter & Vriam Ethæum occiderat? Quibus dicendum arbitramur, nullam in præmissis percipientes controuersiam. *Ibidem.* Nam illud, Tibi soli peccaui, potissimùm ad legem prohibentem adulterium cum homicidio referendum nouimus, quam prænotatus transgrediens, solius Dei transgressor extitit. *Adulterium & homicidium cur malum.* Nec adulterium siue homicidium fuisse malum dicimus, nisi quia diuina lege prohibitum, licet prohibitum quia malum: Idcirco talis sit huius primæ sensus, Tibi soli peccaui, id est, tuæ legis ego duntaxat transgressor extiti, & non alterius, cuius legem offenderim occidendo Vriam. Nam sedens in regio solio, superiorem hominem non habebat, sed solũ Deum quem sic peccando offenderat, ob quod & à solo Deo erat puniendus, & nõ ab alio. Nec propter hoc excluditur ꝙ consecutiuè non peccauerit etiam in Bersabee, & Vriam, *2.Reg.11.* dum respondens Prophetę dixerat, Peccaui Domino, licet verbis non expresserit: nec esset bona consequentia, non expresserat illos, suum agnoscens reatũ, ergo in illos non peccauerat propter rationes superius assignatas. Inde cõdemnatur error pessimus quorundam insipientium Talmudistarum falsò opinãtium non peccauisse Dauid dum in vita Vrię coïuit cum Bersabee, vt habetur in libro Sabath. Et sic patet quid ad præmissa erat dicendum.

CONTRAPO. LXXX.

Iob 1. *Eccles.11.*

Iob diues, & suam retinens innocentiam.
Diues non erit immunis à peccatis.

De veniali quidem alteram esse intelligendam nouimus, qua nec Iob nec alius quiuis caruit, cùm de omnibus illud scriptum fuisse nouimus indifferenter: Septies in die cadet iustus: vel dicamus, & forsan rectius, quòd de illo diuite fit in prima locutio, qui diuitiis affluens cor suum plusquam Deo opposuerat: idcirco ne ex illo genere essent diuites huius sæculi, hos admonuerat Psalmus, dicens: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Quibus quantum foret difficile ingredi regnum, Saluator ostendit, dicens in Euangelio: Facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cœlorum. Hi enim tanto plus egent, quanto plus habent. Desideriis enim vastantur, & cupiditatibus dissipantur: timoribus cruciantur, & tristibus contabescunt, quibus diuina comminatio facta est, quæ dicit: Vę vobis diuitibus. Profectò homo qui has quærit seu possidet diuitias, adhuc illis diues, pauper dicitur & miserrimus. Idcirco (vt aliâs pręfati sumus) illas diuitias debemus quærere, quæ possessæ amitti non possunt, quas cùm moritur homo, non dimittit, sed secum affert, vt cum illo sint perpetuó. Nam quid prodest homini has corruptibiles possidere diuitias, si interior premit egestas? Quanquam expensè (vt decet) non sint contemnendę. Sed malæ sunt iudicandæ his qui malè vtuntur illis, idcirco in sinistra Dei locatæ leguntur, attestante Scriptura & dicente: Et in sinistra illius diuitiæ & gloria. Et sic patet quid huiusmodi fuerat dicendum.

Prou. 24. *Psal.* 61. *Mat.* 10. *Luc.* 6. *Diuitiæ veræ nũquam amittũtur.* *Diuitiæ quando malæ.* *Prou.* 3.

CONTRAPO. LXXXI.

IOb timens Deum, & à malo recedens. Iob 1.
Iob ambulauit cum viris impiis. Iob 34.

Quomodo à malo recesserat ille qui cum viris impiis ambulasse dicitur infrá? Profectò (teste Propheta regio) sicuti ambulans cum viro perfecto, efficitur perfectus: sic econtrariò ambulans cum homine impio efficitur impius. Sic enim pro documento reliquerat prænotatus Propheta. Huic itidem sic respõdendũ arbitramur, dicentes ꝙ sicut verba primæ sententiæ nõ fuerant Iob; *Psal.* 17.

ſed Dei iuſtificantis illum: ſic & verba alterius ſententiæ non Iob, ſed Heliu amici Iob fuêre, qui forſan correptus inſipientia, verba tanquam ſimplicia & inania protulit. Nempe cernens Iob ſic vlceribus ſauciatum à planta pedis vſque ad verticem, putauit illum ſic meruiſſe ob ſua demerita. Idcirco inſaniens in illum tanquam freneticus ait: Quis eſt vir vt Iob, qui graditur cum operantibus iniquitatem & ambulat cum viris impiis? Ob quod quia temerè iudicauerat Iob, fuit redargutus à domino, vt liquidò patet in fine libri. Vel dicamus ſi placet, & forte melius, reducentes ad bonum ſenſum hanc ſecundam, & dicentes quòd Heliu cernens Iob ex vna parte tam acriter vlceratum plagis, & ex parte alia ſciẽs eum eſſe virum iuſtum & bonum, admiratus de tam immani & crudeli vexatione, dixerat: Quis eſt vir qui graditur cum viris impiis, &c. qui tanta ſupple patiatur vt Iob? quaſi dicat, nullus. Quæ ſententia ſic intellecta non in dedecus ipſius Iob eſſe cernitur prolata, ſed potius in admirationem tam ſæui & acerbi flagelli quo Iob percuti viderat, ignorans, quia à Sathan (Dei permiſsione) fuiſſet inflictum. Sic ergo intellectis præmiſsis, in nullo contrariari cernuntur.

Iob 34. *Ibidem.*

CONTRAPO. LXXXII.

Iob 1. DEus afflixit Iob fruſtra, vt patet.
Iob 5. *Nihil in terra ſine cauſa fit.*

Si nihil in terra ſine cauſa fit (vti prænotatus Propheta nouerat cũ Platone) cur fruſtra afflictus fuit Iob? Idcirco & huic ſic dicendum arbitramur, putantes non fruſtra fuiſſe afflictum qui in afflictione inuenitur probatus, & coronatus, illa videlicet corona quam Deus præparauit ſuſtinentibus ſe in afflictione. Profectò, vti Sapiens docuit, Sicuti in camino ignis probatur aurum, ſic in afflictione probatur vir iuſtus. Nec obſtat quia nil lethale purgãdum in Iob repererit Deus, dum illum ſic affligi permiſerat: quia cuius merita Deus augere decreuit, hunc plerunque flagellis & afflictionibus viſitare meditatur, vt ſic purgatum tanquam granum exuta

Plato. *Iac. 1.* *Prou. 27* *Deus cur hominem puniat aliquando.*

techa in granario diuino reponatur. Quanquam possemus dicere, quòd si vita innocens & integra à nobis pēsetur, non æquum iudicium apparebit nobis qui oculos lipposos habemus, sic iustum affligi & percuti: sed si misericordia iudicis attendatur, æquum & iustum fuisse iudicabimus, vt per flagella innocentis & iusti Iob, vitæ eius fama crebresceret, & merita augerētur. Quos enim Deus sic per clementiam diligit, hos pariter per flagella & pœnas huiusmodi castigat & corripit: cùm non inueniatur homo tam innocens támque purus, quin aliqua correptione dignus sit apud Deum: qua in re vt Iob exemplo nos posteri in odorem suæ patientiæ curreremus, permisit Deus illum sic acerrimè percuti & affligi. Non enim mentitus est ille, qui ait: Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam (quam patres supple sustinuerūt) spem habeamus. Quanquam adhuc ad alteram possemus dicere, quòd illud SINE CAVSA, ad Deum referendum est, qui prima causa omnium rerum esse dicitur, sine cuius nutu nihil in terra fit effectiuè, vel permissiué. Hoc autem dico, quia respectu causarum secundarum, multi inueniūtur effectus fortuiti & casuales ac deformes non intenti, ab huiusmodi causis secundis: licet non sine illa non errante eueniant.

Heb. 12. *Iob 1.* *Rom. 15.*

Sine causa prima nil fit in terris.

CONTRAPO. LXXXIII.

Iob 1. *Iob 2.*

Iob nouimus laudatum à Domino.
Iob infrà reprehensum legimus.

Non enim laude dignus inuenitur homo, qui tanquam culpabilis reprehensus est. Idcirco & huic quæ nil in se contradictionis continere cernitur, placuit dicendum, quòd non obstat, vt quispiam respectu diuersorum & laudetur, & reprehendatur. Laudauerat enim Paulus Corinthios de recta fide quam conseruabant, vt fuerant ab illo edocti, sed econtrariò dignos increpatione illos iudicauerat, quia fornicatorem publicum sustinebant: pariter & in proposito dicēdum nouimus, ꝙ Iob laudatur à domino tanquā vir simplex, rectus ac timens Deū,

1. Cor. 5. *2. Cor. 11.*

ſed ne in huiuſmodi ceruicem erigeret nimíſq; ſe extolleret, iudicauerat illum redarguere & increpare, vt contemplaretur, ꝙ id muneris quod in ſe continebat, non ex meritis propriis, ſed ex Dei clementia ſe conſecutum fuiſſe gauderet. Ex quibus & nos edocemur nõ eſſe glo-
1. Cor. 1. riandum nobis tanquam ex nobis, dum quidquam boni
1. Tim. 1. in nobis collatum eſſe cernimus: ſed illi omnia referenda ſunt cui ſoli omnis honor & gloria debetur, dicentes
Pſal. 113. cum propheta: Non nobis domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. & ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. LXXXIIII.

Iob 1. *IOb ſimilis non erat in terra.*
Iob 34. *Iob graditur cum viris iniquis.*

Si (teſte Deo) nullus erat in terra ſimilis Iob, cur tanquam trangreſſor & operans iniquitatem, taxatur in altero? An forſan declinauerat à via recta poſtquam dominus bonum de illo locutus eſt? Idcirco & huic præter id quod ſuperius nos dixiſſe recolimus, & illud ſuperad-
Iob 1. dendum nouimus dicentes, magis eſſe credendum diuino ſermoni ſic illum in primo commendanti & iuſtificanti, quàm illi inſipienti Heliu, qui tanquam dementatus verba inſipientia locutus eſt. Quanquam aliter reſpondentes ad iſtam poſſemus dicere, quòd non ſem-
Marc. 2. per dedecoris imputandum eſt homini ambulanti cum operantibus iniquitatem: quia & Chriſtus, cuius veſtigia imitari præcipimur, cum peccatoribus & publicanis pluries conuerſatus fuerat, vt à prauis itineribus illos retraheret: eſſet tamẽ vitioſum & inhoneſtum præfatos imi-
Ioan. 34. tari in malum, illóſque in moribus ſequi. Idcirco in propoſito relinquendum placuit, quòd Iob non ſic gradiebatur cum operantibus iniquitates, vt illorum actuum fieret particeps, ſed potius (cùm eſſet fidelis & rectus) tentabat illos deducere in rectum iter Dei, illos amouendo à via mala: nouerat forſan cùm eſſet Propheta
Iac. 5. Iacobum poſt ſe dicturũ, Qui conuerti fecerit peccatorẽ ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. LXXXV.

Iob suam retinuerat innocentiam. *Iob. 1.*
Septies in die cadet iustus. *Prou. 24.*

Si de quolibet homine (quamuis iusto) legitur, quòd septies in die cadit, quomodo Iob intra gentiles natus & enutritus, hoc potuerat subterfugere, quin & ipse huic sententiæ fuerit subiectus? Idcirco vt & hanc non relinquamus indiscussam, placuit dicendum, quòd de veniali altera est intelligenda, qua & ipse Iob non caruit. Nec obstat quòd tanquam innocens fuerit iustificatus à Domino, quia & huic innocentiæ veniale non repugnat, quòd stat etiam cum homine iusto: licet in venialibus cadentibus sit facillima releuatio, vti sequens litera liquidò manifestat. Profectò illico, quòd sapiens hanc expressit sententiam, videlicet, Septies in die cadet iustus, statim adiecit, dicens: Et resurget quia iustus est. Habet enim hæc culpa secum annexam veniam, idcirco venialis dicitur: licet Hebraica veritas illud IN DIE, nõ contineat, sed absolutè dicit: Septies cadet iustus. Nec (vt præmisimus) cadens in huiusmodi veniali, iustus esse desinit, quia & gratia simul potest cum illo stare. Iob verò aut præuentus diuino Præsidio, suam retinuit innocentiam, aut idcirco dictus est iustus, quia lethali culpa sauciatus non fuit. Et sic seruantur præmissa.

Culpa venialis non repugnat gratiæ. *Prou. 24.* *Heb. ver.* *Prou. 24.*

CONTRAPO. LXXXVI.

Iob desperasse legitur. *Iob 1.*
Iob sibi parci rogat. *Iob 7.*

Quomodo enim se desperasse dicendus est ille, qui tam humiliter Deum rogauerat, vt sua culpa remitteretur? Ob quod & huic, quæ nullam prorsus in se cõtradictionem continet, dicendũ nouimus, quòd minimè desperatus est ille dicendus qui suam contemplatus miseriã, maledixit diei suæ, dum in iram Dei se incurrisse nouerat, non actualiter, sed originaliter, videlicet in congerie Adæ: idcirco vt sibi misereatur rogat humiliter. Vel dicamus si placet quòd in secundo typum cuiuslibet peccatoris ad Deũ cõuersi repręsentat Iob, qui dũ bona *Iob 3.*

transeuntis vitæ per desperationem deserit, ad obtinenda quæ in spe remanent, exurgit robustior. Profectò qui sic ordinatè desperat, rectè sibi parci desiderat, cùm in solo Deo suam locauerit cõfidentiam dicens cùm Propheta regio : Spes mea in Deo est:ipsa enim semper ad interiora penetrandum, & non retrò respicere docet. Et sic patet quomodo Iob sic desperans non solùm Deũ non offendit, quinpotius magni meriti locum repperit apud illum.

Psal. 90.

CONTRAPO. LXXXVII.

Iob. 1. — *1. Cor. 15.*

Iob suam retinuit innocentiam.
Omnes homines peccatores nascuntur.

Si statutum est, quòd omnes homines ex corrupta congerie formati, peccatores nascantur, qua lege seu quo fauore Iob suam conseruauit innocentiam? quid & alibi de huiusmodi cõmuni infectione locutus ait: Non esse immunem à sorde infantem cuius vnius diei vita est super terram? Quibus respondendum arbitramur dicentes, quòd non est putãdum, quòd de illa innocentia fiat in primo locutio, quam in se, & pro suis posteris conseruãdam acceperat primus homo, cùm illa amplius non reuertatur in homine post lapsum genito, sed forsan de illa innocentia fit mentio, quæ mortali culpæ opposita cernitur, quam forsan Iob non nouerat, nec commiserat, diuino præuentus præsidio: cùm non valeat homo ad id muneris peruenire, vt sic se innocentem per se faciat: quinpotius si suis meritis se innocentem ostendi voluerit, paruum se esse cõprobabitur, propter id quod prænotatus Propheta de se locutus dixerat infrà, videlicet, Si innocentem me voluero ostendere, prauum me esse comprobabit Dominus. Nec prima opponitur alteri sic intellecta, in qua de innocentia originalis iustitiæ fit mentio. Et sic patet quid dicendum fuerat.

Iob. 25. — *Homo nõ potest se innocentẽ facere.* — *Iob. 9.*

CONTRAPO. LXXXVIII.

Iob 1. — *Psal. 83.*

Iob ambulans in innocentia bonis fuit priuatus.
Ambulantes in innocentia bonis non sunt priuandi.

Si (Propheta teste) bonis non est priuandus qui in innocentia graditur, cur Iob hoc non est consecutus qui in innocentia ambulasse perhibetur? Nam ipse taliter in innocentia incedere disposuerat, vt diceret: Donec deficiam, non recedam ab innocentia. Vnde ergo fuit priuatus bonis, vt sic iacens in sterquilinio nudus, & abiectus pauperrimus cerneretur & esset? Quibus sic respondendum arbitramur dicentes, non esse intelligẽdum bonis fuisse priuatum qui transitoriis exutus bonis, cœlestibus interius est ditatus. Profectò licet Iob nudatus fuerit bonis externis, diuitiis tamẽ internis affluebat maximis. Idcirco alteram sic explanantes dicamus cum Augustino, quòd Dominus nullatenus priuabit bonis, supple spiritualibus, videlicet gratiæ, & gloriæ, illos quos in innocentia cordis & operis ambulauisse agnouerit, qui videlicet ab offensa Dei & proximi se studiose coërcent, mundósque seipsos pro sua virili custodiunt. Profectò, vt prænotati vtamur sententia, innocẽtia vera illa esse dicitur, quæ nec sibi nec alteri nocet, quam ad plenum Dei præsidio consecutus Propheta regius dixit in Psal. Perambulabam in innocẽtia cordis mei in medio domus meæ. Cur ergo pro his bonis terrenis deseritur innocentia, quæ tantæ æstimationis videtur esse apud Deum, vt commendatum faciat illam habentem? Vel si placet dicamus, quòd licet Iob sathanica suggestione procurãte, bonis omnibus tam corporis quàm fortunę fuerit priuatus per aliquod spacium temporis, fuêre tamen miserante Domino reddita sibi duplicia post illam fœlicem victoriam habitam cum diabolo, quem valenter vicerat in certamiue acerrimo. Et sic seruantur præmissa absque contradictione aliqua illæsa.

Iob.17. *August* *Bonis quos non priuat Deus.* *Psal.100.* *Iob 1.* *Iob dupliciareddita*

CONTRAPO. LXXXIX.

INnocens homo nusquam periit. Iob 4.
Innocentem cum impio Deus consumit. Iob 6.

Si vir innocens cum impio consumendus est, quid pro innocentia à viro probo expectandum est? Qui-

bus arbitramur respondendum dicentes sententiam secundæ sic esse intelligendam, videlicet, vt si quis mente captus ad tantam deueniret insaniam, vt se & per se æstimaretur innocens coram Deo, qui cordium inspector dicitur: hunc proculdubio vnà cum viro impio, Iob consummandum iudicat, cùm (vt aliâs præfati sumus) nil aliud in se contineat homo nisi quod purget, curet, & corrigat. Idcirco & prænotatus Propheta suam contemplatus miseriam adiecit, & dixit infrà: Si iusti-

Iob 9. ficare me voluero, os meum condemnabit me: & si innocentem ostendero, prauum me comprobabit Dominus. Vtique & Propheta regius conformiter dixerat in psal. Cùm dominus opportunum tempus acceperit sedẽs in throno suæ maiestatis, nostras iudicabit iustitias,

Psal.74. quæ suo conspectui præsentatę sic apparebunt, ac si non

Esa. 64. essent iustitiæ. Quod contemplatus pariter alibi, & suã paruipendens iustitiam, liberari petierat in iustitia Dei, dicens conuersus ad illum: In tua iustitia libera me. Hanc & iustitiam fidei postmodum placuit Paulo esse

Psal.30. appellandam. Vtique sola hac iustitia Deus iustificat

Heb.11. hominem, faciens illum dignum se. Idcirco illa iustificatus citharœdus Propheta perambulabat coram Deo

Psal.100 in innocentia sui cordis non proponens amplius ante oculos suos rem iniustam. Sed de illa innocentia quam aliqui, Dei præsidio seruauerunt, locutus Ambrosius

Ambro. sanctus ait: Facilius inueni eos qui innocentiam seruauerunt, quàm qui congruam egerunt pœnitentiam. Et sic seruantur præmissa absque vlla contradictione illæsa.

CONTRAPO. XC.

Iob 6. *Iob non peccauit labiis suis.*

Iob 7. *Iob labiis suis maledicebat.*

Quomodo illum non peccauisse dicit Scriptura, qui diei suæ sic maledixerat, vt diceret: Maledicta dies in qua natus sum? Idcirco & huic præter id quod aliâs nos dixisse recolimus, & illud nouimus superaddendum dicentes ad primam, quam non sic absolutè no-

uimus intelligendam esse, sed cum illo quo præueni-
tur sententia, dum dicitur: In omnibus his (angustiis, Iob.7.
supple) sibi inflictis suggestione sathanica, cùm ipse
non latrauerit contra Dominum sic percussus & vexa-
tus, vt impatiens effectus diceret ad Deum conuersus:
Cur sic me affligi & percuti permittis? Sed patienter suf *Iob non peccauit maledicendo diē suæ natiuitatis.*
ferrebat omnia. Sed ad aliam dicendū̃ putauimus, Iob
non peccauisse dum maledicenda malediceret. Vtique
dies eius, sicuti & alij natiuitatum omnium hominum,
maledicendi sunt pro eo quia in illis genitus, in iram
Dei nasci agnoscitur ac Diaboli seruus & filius. Profe-
ctò in proposito tempus pro temporatis accipiendum
nouimus. Sic ergo intellectis præmissis, absque vlla
contradictione seruantur illæsæ.

CONTRAPO. XCI.

IOb labiis suis non peccauit. Iob.6.
Iob insipienter locutus est. Iob 42.

CVR insipienter locutus dicitur ille qui labiis suis
nequaquam peccauerat, vt in præcedenti prætulimus?
Et huic pariter quæ nil contradictionis in se videtur in-
cludere, dicendum placuit, quòd tunc insipienter locu-
tus dicitur Iob, dum sermonem cum Deo habuit, cùm *Homo cur balbutiat cū Deus illum alloquitur.*
non valeat homo, cui Deus primùm loquitur, nisi ver-
ba insipientia exprimere deliramentísque similia. Id-
circo Hieremias vocatus à Deo ad prophetale munus
exequendum, puerum se esse confessus est locutionís-
que omnino expertem. Pariter & Moses postquam Do- *Hier.1.*
minus fuerat ei primò locutus, impeditioris ac tardio- *Exod.1.*
ris linguæ fuit. Idem dicimus de alio qui se virum esse
pollutum nouerat. Nec per illam primam concluditur, *Esa.6.*
vt præfati sumus, quòd Iob aliquando non peccaue-
rit suis labiis, sed duntaxat quia non peccauit contra
Dominum conquestus de vexatione sathanica sibi ad Iob 1.
coronam permissa. Et sic patet quid ad præmissa fuerat
dicendum.

CONTRAPO. XCII.

Iob 7. *Iob se peccasse testatus est.*
Iob 17. *Iob se non peccauisse dixerat.*

Non enim præmissa simul stare possunt, cùm apertam, vt videmus, contradictionem inferăt, & hoc respectu vnius & eiusdem, id est, se peccauisse, & se non peccauisse. Sed si diligenter eam contemplari placuerit, nil contradictionis in illis videbimus, dum enim se nō peccauisse dixerat, ad originale referendum est, cui (vt prætulimus aliâs) actualem consensum non præbuerat. Idcirco conuersus ad Deum poterat dicere confidenter,
Iob 17. Non peccaui, supple actualiter, sathanicæ suggestioni consentiens: vtique hæc culpa quæ in Adam actualis fuerat, in posteris originalis remansit. Dum verò se circundatum vndique nouerat venialibus culpis, ritè poterat
Iob 33. dicere: Peccaui, cùm non reperiatur quispiam tam purus & innocens, qui taliter vitam suam transierit vt sine
1. Pet. 2. venialibus cucurrisse credatur, dempto Christo. Et sic liquidò patet quomodo Iob peccauerit, & quomodo non peccauerit.

CONTRAPO. XCIII.

Iob 9. *IRæ Dei nemo valet resistere ait Iob.*
Psal. 144 *Voluntatem timentium se faciet Deus.*

Si diuinæ iræ nemo potest resistere (vti Propheta nouerat) quibus armis conuincitur Deus, vt voluntatem se timentium cogatur facere? Vtique si talium volũtatem facit, facilè eius ira pacari poterit. Quare & harum primam sic enodandam nouimus, vt eius talis sit sensus, quòd nemo mortalium, quisque sit ille, Deo valet obsistere, nec vim inferre, nisi ipse Deus precibus suorum fidelium victus se placabilem faciat. Vtique si qua virtus, si qua potentia apud homines reperitur qua homo Deum cogere posśit vt suę voluntati morem geràt, hęc erit humilitas mitis & timorosa. Quæ tãtæ virtutis esse perspicitur, vt cùm viderit Deus quempiam huius armis munitum, victus illico reddatur ab homine, sagittámque suam quam inferre decreuerat, reponit in pharetrã,

Humilitatis potentia.

Deus quãdo victus reddatur.

rogans ea quę pacis sunt, cupiens dimitti ab humili homine:& quasi si his vinculis precum esset ligatus, timentis se voluntati omnino subiicit. In hac enim virtute humilitatis memor fuit Deus patrum priorũ, iuxta illud: Et in humilitate nostra memor fuit nostri. Hanc virtutem ad plenum posſidens tympanistria nostra Maria, & hanc sui Psalterij tangens cordã, taliter eius cantus dulcisonus insonuit Dei auribus, vt mater Dei effici mereretur, dũ Gabrieli dixerat: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Idcirco dum se gestantem filium Dei agnouit, lætabunda præ gaudio decantauit in Cantico: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et sic patet quid dicendum.

Psal. 139.

Lucæ 1.

Ibidem.

CONTRAPO. XCIIII.

Iob 13.
Eccle. 9.

Scio quòd iustus inueniar, ait Iob.
Nescit homo an amore, vel odio dignus sit.

Quo enim fauore vel quo præsidio se esse iustum nouerat Iob, cùm de omnibus illud idem dictum sit, quod in sequenti subiungitur? Quibus pro responsione placuit dicendum, quòd forsan id quod Iob dixerat, obtinuerat per reuelationem. Nec huic obstat altera, quia licet homo ex se hoc ignoret, tamen Deo referante, facilè scire potest. Pariter per coniecturas aliquas potest homo ad id muneris peruenire vt certus efficiatur, an amore vel odio dignus sit, & potisſimùm quando compunctus de peccatis, & dolens, habet in se firmum propositum benefaciendi perseuerandíque in obseruantia præceptorum Dei. Econtrariò autem quando inimicatur proximo nolens illi reconciliari, nec minus remittere iniuriam, quinpotius contra illum continuè machinatur in malum: tunc enim sic se habens, proculdubio iudicet se in odio Dei esse. Et sit patet quid ad p̃missa fuerat dicendum, quæ sic vt præmisimus intellecta in nullo contrariantur.

Homo quomodo potest scire an odio vel amore dignus sit.

Mat. 5.

CONTRAPO. XCV.

Iob 11. MVndus sum in conspectu tuo.
Prou.11. *Quis potest dicere? mundum est cor meum.*

Mirum quippe videtur, vt ille qui reatū suum agnoscens dixerat, Peccaui, ausus fuerit aliud dicere, videlicet, Mundus sum in conspectu tuo. Sed si verborū seriem contemplari placuerit, proculdubio agnoscemus verba ista non fuisse Iob, sed Sophat amici eius: licet ad ipsum Iob relata, tanquam si ipsemet illa dixisset. Idcirco non est multum in his immorandum: sed ad alteram placuit dicendum, quòd licet integra sit ex matris vtero sancta virginitas, nemo tamen conuersus ad Deum po-
Iob.25. test dicere, Mundus sum in conspectu tuo: sed nec infans, cuius est vnius diei vita super terram. Quomodo enim se castum quis dicere audebit, cuius conceptio immunda fuit, cuius vita peccabilis esse cernitur? Idcirco hoc contemplatus regius Propheta supplex effectus &
Psal.50. humilis dixit ad Deum conuersus: Cor mundum crea in me Deus. Nouerat enim taliter esse deprauatum ac infectum cor hominis, vt nil boni ex se cogitare queat.
Hie.17. Quod & pariter nouerat Propheta alius, qui ait: Prauum est cor hominis. Idcirco quia malum illud esse nouimus, petamus ab illo, vt illud innouet, qui suis cultori-
Ezec. 36. bus dignatus est dicere: Dabo vobis cor nouum. Sic igitur intellectis præmissis, in nullo prorsus contrariari ꝑspiciuntur.

CONTRAPO. XCVI.

Iob 10. INdica mihi cur me ita iudices.
Iob 19. *Vociferabor, & non est qui iudicet.*

Profectò si Iob sentiens se esse iudicatum, idcirco conquestus dixerat, conuersus ad dominum, Cur me ita iudicas: quare infrà subiunxerat quòd non esset qui iudicet? Et huic pariter nouimus respondendum dicentes, quòd Iob dum ex insperato senserat se lethaliter sauciatum, percussum ac flagellatū à sathana, putans se sic crudeliter percuti ob aliqua occulta scelera, ad Deum conuersus iam supplex effectus rogauit incessāter, vt Deus

dignaretur ostēdere illi, si qua culpa mortalis digna flagellis huiusmodi lateret in anima, vt ostensa, & cognita dolens ac mœstus condignam ageret pœnitentiam de illa, ne non purgata à se in hoc sæculo, seuerius puniretur in alio: idcirco dixerat, Indica mihi, supple culpam, pro qua sic flagellari permittis me. Nouerat enim Deum esse iustum iudicem, ob quod non conquestus de Deo rogat causam flagelli sibi ostendi, vt illam emendet & curet. Sciuerat enim cùm esset Propheta, Apostolum post se dicturum: Si nos ipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur, punitionis videlicet iudicio in die finali. Ad aliam verò possemus dicere, quòd Iob sic vexatus doloribus, tanquam alienatus à sensibus illa verba protulit. Quanquam forsan, vt piè credimus, pœnituerit de huiusmodi verbis insipiēter illatis, dum infrà subiunxerat, dicens: Peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi. *Iob 10.* *1.Cor.11.* *Iob 19.* *Iob 33.*

CONTRAPO. XCVII.

Mundus sum in conspectu tuo. *Iob 11.*
Cœli non sunt mundi coram Deo. *Iob 15.*

Quomodo enim Iob ausus fuerat dicere: Mūdus sum in conspectu tuo, si infrà nouerat cœlos mundos non esse corā Deo? per quos cœlos angeli intelligendi sunt: locum, videlicet, pro locatis accipientes, & eo magis quia & isti secundæ subnectitur: Quanto magis abominabilis, & inutilis homo qui bibit quasi aquam iniquitatem? Idcirco & huic primæ, quanquam in præcedentibus de huiusmodi prætulerimus multa, nihilominus rursus repetendum nouimus dicentes, illa non fuisse verba Iob, sed Sophat amici eius deridentis Iob, & putantis illum ob acerrimos dolores dementatum fuisse: sed de angelis arbitramur dicendum, quòd & illi vt sunt creaturæ, comparati ad Deum, nullatenus mundi sunt dicendi, illa videlicet simplici & singulari munditia quæ soli Deo conuenire dicitur. Vtique solus ipse actus purus dicitur. Nec obstat, quia angeli intelligentiæ sæparatæ dicantur, quia separari intelliguntur *Ibidem.* *Ibidem.* *Deus actus pur⁹.*

à Deo,& non à materia,quam & ipſi tanquam creaturæ participant,& ſi non phyſicalem(vt aiunt)ſaltem metaphyſicalem,qua & ipſi compoſiti cernuntur, quæ quidē materia non eſt ſubiecta corruptioni,ſed differt ab illa, ſicuti materia cœli à materia generabilium per analogiam quandam,vt ſapientes norunt.Profectò omne recedens à Deo actu primo & puriſsimo, neceſſe eſt ſubintrare materiam:eo enim ipſo quo angeli aliquid creaturæ eius eſſe cernuntur,ab illa vnica & præcipua mundicia in infinitum cadere agnoſcuntur,habentes in ſeipſis viciſsitudinem ſuæ mutabilitatis, vt nouerat Gregorius ſanctus.Et ſic ſeruantur præmiſſa abſq; aliqua contradictione illæſa.

Materia non ſubiecta corruptioni.

Gregor.

CONTRAPO. XCVIII.

Iob 3. *Iob 33.*

S*Celera mea oſtende mihi.*
Peccaui & verè deliqui.

Si ſe deliquiſſe liquidò nouerat, cur vt ſua ſcelera ſibi oſtendantur,rogauit in altera?Nam quod ſcitur, nō eſt petendum vt oſtendatur. Qua in re,& iſti pariter pręter id quòd nos ſuperius dixiſſe recolimus, dicendum placuit,quod licet Iob peccatum ſuum agnouerit,& idcirco dixerat:Peccaui,forſan tamen non nouerat quanti oneris eſſet apud Deum,qui iuſtus iudex vbilibet comprobatur eſſe. Vel forſan dicamus, quòd vltra grauitatem,& numeroſitatem ſcire cupierat. Nouerat enim alium poſt ſe dicturum:Delicta quis intelligit? Quaſi ergo diceret conuerſus ad Deum:ô Domine quia ab omni fœditate expurgari cupio,nec valeo, præ nimia multitudine,peccata mea dinumerare, nec minus grauitatē illorum agnoſcere:idcirco vt commiſſa defleam,& committenda valeam euitare, præcauens in futurum, rogo maieſtatem tuam,vt illā mihi digneris oſtēdere,opémque ferre, vt illa agnita fleam in amaritudine animæ meæ,vt poſtmodum indulgentiam à te obtineam, qui per alium prophetam dicturus es huiuſmodi ſic conuerſis,ſi fuerint peccata veſtra rubra quaſi vermiculus,quaſi lana alba erunt.Et ſic patet quid dicendum.

Pſal. 118. *Sap. 11.* *Pſal. 18.*

Peccāta ſua nō poteſt homo dinumerare.

Eſa. 38. *Eſa. 1.*

Iob 8.
Iob 42.

CONTRAPO. XICX.

IOb redargutus quia contra Dominum locutus.
Iob seruus meus locutus est recta.

Cur redargutus dicitur ille qui in suis sermonibus tam honorificè fuit cōmendatus à Domino, vt liquidò apparet in fine libri? Quis enim hominem audeat increpare quem Deus sic commendatum fecerat, vt diceret, quòd non esset ei similis in terra? Quibus sic responden dum arbitramur dicentes, quòd prima verba quibus Iob redargutus agnoscitur, non fuerunt eius, sed Baldat Suitis amici Iob, qui viso eo sic acerrimè percusso, putauit illum esse dementatum, eo maximè quia viderat eum conquestum contra Dominum, & dicentem ei: Quare posuisti me contrarium tibi? Idcirco insurgens contra Iob quem desperatum esse crediderat, ait: Vsquequo Iob talia loqueris contra Dominum? Ob quod quia Bal dat tanquam sacramentorum ignarus temerè locutus fuerat contra Iob, illum increpans absque causa, idcirco & ipse Baldat meritò redargutus fuit à Domino, & correptus de tam stulta & insipienti opinione quam indiscretè conceperat contra Iob, qui forsan typum lapsi hominis in se suscipiens, talia locutus fuit. Sic ergo intellectis præmissis in nullo prorsus cernuntur contraria, sed multum conformia.

Ibidem. Iob 1. Iob 7. Iob 8. Iob 42.

CONTRAPO. C.

CVr non tollis peccatum meum, ait Iob. Iob 7.
Non peccaui, & in amaritudinibus, &c. Iob 16.

Mirũ quippe videtur, vt ille qui se non peccauisse dixerat, rogauerit peccatum à se tolli: nō enim medicamine indigere dicitur, qui sauciatus non est. Sed si verborum ordinem contemplari placuerit, proculdubio videbimus rectè præfatum se habuisse in vtramque. Dum enim primùm protulit, mundari petiit à culpa qua nec infans cuius vnius diei est vita super terrã immunis est: Dixerat enim ad Deum conuersus, Cur non tollis peccatum meum? quasi dicat, O Domine qui solus hominẽ à reatibus curare potes, cur tua pietas, & misericordia, Iob 15.

Iaco.1. quæ iudicium ſuperexaltare dicitur, non aufert peccatũ meum, quod & ſuper me nimis grauatum eſt? Nam(vt cernis)ipſum per me tollere nequeo: vnde ergo nimia clementia tua hucuſque occultata fuit? Tolle ergo quæſo, vt à me amoto poſſim liberè bonum cogitare & facere.

Iob 16. Dum verò ex aduerſo dicit, Non peccaui, ad vlcerationem inflictam à ſathana referẽdum eſt: vtique(vt aliâs prætulimus) cernens ſe tam crudeliter & immaniter ſauciatum & vlceratum vndique, cauſam neſciens, dixit,

Iob 1. Non peccaui, quaſi dicat, ignoraui cauſam cur tam ſæuè plagatus ſum. Sic ergo intellectis præmiſſis in nullo contrariantur.

CONTRAPO. CI.

Iob 7. *CVr non aufers iniquitatem meam?*

Iob 16. *Paſſus ſum abſque vlla iniquitate.*

Quam enim iniquitatem Iob rogat à ſe auferri, ſi nouerat ſe fuiſſe paſſum abſque iniquitate? Idcirco & hanc quã nouimus eundem in ſe continere ſenſum, ſicuti præcedentem, nihilominus ſic enodandam placuit, dicentes, Iob in primo perſonam totius hominis repręſentare, quem & vlceratum atque plagatum vndique cernens ob reatum primorum parentum dicit: Cur non aufers, &c. quaſi dicat, cum Propheta regio, Nunquid in æ-

Pſal. 84. ternum iraſceris nobis, aut extendes iram tuam à generatione in generationem? Nec putandum eſt quòd conqueratur de iniuſtitia contra ſe illata, ſed Deum miſericordem atque pium eſſe contemplans rogat humiliter, vt ſuam auferat iniquitatem, quaſi dicat, ad Deum conuerſus, Noui enim te præcepiſſe omnem hominem, bonum operari debere, tuámque obſeruare legem, ſed cernens me totaliter plagatum & vlceratum, iſtud explere nequeo, niſi tu illam citiſsimè auferas iniquitatem, qua ſic detineor, vt nequaquam bonum operari queam: ſcio enim te dicturum per alium Prophetam his qui contri-

Eſa. 1. to inueniuntur corde, Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Ad aliam verò pluries reſponſum dedimus dicentes, qualiter hæc vexatio potius

fuerit illi permissa à Deo ad augmentum coronæ quàm ob scelera ab se commissa. Et sic seruantur præmissa absque contradictione.

CONTRAPO. CII.

QVantas habeo iniquitates? Iob 13.
Celaui in sinu meo iniquitatem. Iob 31.

Quomodo iniquitatem se celauisse dicitur ille, qui cum operãtibus illam gradiebatur? Et huic quæ nullam in se penitus contradictionem continet, placuit dicendum, quòd in primo formam hominis mundari cupientis susceperat Iob: Hic enim dũ de virtute in virtutẽ Psal. 83. cupit ascendere, frequenter dicit conuersus ad Deum: Iob 13. Quãtas habeo iniquitates? illatas supple in Deum, & in proximum, ideo vt illam cures, qui solus eam aufers, supliciter rogo: alteri verò præmittitur coniunctio SI, quæ Si pro non. hoc in loco accipienda est, vt sit sensus, Si celaui, id est, non celaui, in sinu meo iniquitatem: Quinpotius pronus & supplex coram te dico cum propheta regio, Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Psal. 50. Pariter & illud SI, accipitur in psal. dum dicitur: Si introibunt in requiem meam, id est, non introibũt propter suam incredulitatem in requiem meam, hoc est in cœlestem patriam in qua summa quies omnium afflictionum pariter & laborum reperitur, iuxta illud Ioannis. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor erit vltrà quæ prima abierunt. Apoc. 21 Et sic patent præmissa.

CONTRAPO. CIII.

DEus non æquo iudicio afflixit me. Iob 19.
Et vt eram dignus non recepi. Iob 33.

Si vt erat dignus non receperat Iob, cur conquestus ante dominum dixerat, quòd non æquo iudicio illum sic afflixerat? Idcirco & huic dicẽdum arbitramur, quòd nõ iniustè afflictus dicitur ille qui sic affligitur, vt illi corona augeatur. Nec admittẽda est prima, sicuti litera so

nat,quia non est credendum ꝙ de iniusto iudicio contra se illato fuerit conquestus ille qui seuerioris iudicij se
Iob 19. dignum fuisse iudicauerat,idcirco dixerat,Et vt eram dignus non recipi. Quare illud,nō æquo iudicio,cum altera sententia cōuenire videtur,quia in Psal.dicitur,quòd
Iob 102. non secundum iniquitates nostras Deus retribuit nobis, quinpotius egit nobiscū secundum multitudinem miserationum suarum,puniens non iuxta demeritū,sed citra
Psal.9. condignum,cùm non quęrat in punitione secundū multitudinem iræ suæ:sed dum in peccatorem irascitur,sem
Iob 19. per est memor suæ misericordiæ, vti Propheta dixerat alter. Sit ergo præmissarum concordia & sensus, quòd Deus idcirco nō æquo iudicio dicitur Iob afflixisse,quia non æqua lance afflictio compensata fuerat culpæ,propter id quod in altero ponitur dum dicitur, Et vt eram
Iob 33. dignus, &c. Quanquam præmissa rectius possent referri ad totum humanum genus,quod propter lapsum primi hominis ęternam maledictionem meruerat.Sed Dei clementia maledictio in benedictionem cōmutata fuit. Quod & ille nouerat qui de Christo locutus, attestatus est illum abstulisse maledictum à nobis.Et sic seruantur
Gala.3. præmissa absque vlla contradictione.

CONTRAPO. CIIII.

Iob 27. *Cor meum non reprehendit me.*
Iob 33. *Peccaui,& verè deliqui.*

Si cor suum non reprehenderat illum,cur infrà cōfessus est,quòd verè deliquerit? An forsan dum primum dixerat,sic se sentiebat pacatum cum Deo,vt non reprehenderet se cor suum, sed quomodo peccauerat ille quē Deus tantùm commendauerat,dicens,quòd non erat ei similis in terra. Qua in re,& huic pariter sic respondendum placuit dicentes, quòd non obstat, quòd cor nō reprehenderit quempiam, & quòd talis Deo comparatus, peccator maximus sit apud illum.Stat enim quòd homo dolens de peccatis ac mœstus suámque cōscientiam lustrans nullámque in illam reperiat culpam qua reprehendatur, & quòd ob hoc non inueniatur iustus apud

Deum qui cordis inspector dicitur, quia scriptum est: *Psal. 18.*
Delicta quis intelligit? Quis enim conuersus ad Deum
dicere audeat: Mundum est cor meum? cùm cœli (vt di- *Prou. 20*
xerat alter) non sint mundi reperti in conspectu eius?
Idcirco Paulus dum de seipso loqueretur, ait: Nihil mi-
hi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Noue- *Iob 15.*
rat enim se iustificari non posse nisi ab illo qui iustifi- *1. Cor. 4.*
cat impium. Quod pariter & ille nouerat qui suam con-
fessus debilitatem ait: Si iustificare me voluero, os meũ *Rom. 8.*
condemnabit me. Ex quibus liquidò patet, quòd bene
stat quòd cor Iob se non reprehenderet de culpa quam *Iob 9.*
forsan non agnoscebat habere, & quòd in altera se deli-
quisse confessus sit Deo comparatus, vti ad plenum hîc
& alibi exposuimus.

CONTRAPO. CV.

Iob 13.
IOb viam suam acriter radarguit. *Iob. 14.*
Iob se iustum esse infrà ostendit.

Si Iob suum agnoscens reatum se peccatorem esse cõfessus est, cur ex aduerso iustum se esse infrà commemorat? Et huic quæ nihil contradictionis in se videtur includere, placuit dicendum, quòd in quolibet homine etiam sancto, regula diuini examinis adhuc habet aliquid quod puniat & iudicet, cum non valeat homo se iustum facere coram Deo, cui secreta cordis aperiuntur. Idcirco hoc agnoscentes veri humiles, arbitrantur se gratia Dei esse quod sunt, non sibiipsis vendicantes id quod habent muneris, sed Deo miserante illud se obtinuisse gaudent, qui in misericordia & miserationibus homines coronare dicitur, quos coronat. De quorum numero se esse agnoscens humilis Iob, iudicauit se flagellatum fuisse propria culpa. Idcirco & vias suas redarguit, sed dum per flagella huiusmodi se expurgatum agnouit, gratias egit Deo de munere, agnoscens se fuisse iustificatum gratis à Domino. Quem pariter imitatus Apostolus maximum peccatorum se esse confessus est, reputans se tanquam indignum ad gradum Apostolatus esse assumptũ. Idcirco suis denudatus me-

Homo nõ valet se iustum facere.

Psal. 142

Iob cur redarguit se.

1. Tim. 1.

1.Cor.15. ritis aiebat, Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CVI.

Iob 29. *IOb laudat ſe in multis.*
Prou.11. *Os tuum non laudet te.*

Si in ore proprio (vt vulgo dicitur) laus ſolet ſordeſcere, cur Iob de quo dicitur, quòd labiis ſuis non peccauerat, ſuas tantum commendauerat laudes? Et huic pariter ſic reſpondendum placuit, dicentes: Iob non inaniter ſe eſſe laudatum, nam cùm eſſet vir ſanctus ac timens Deum, hoc quod dixerat ſe laudando, non ſuis vendicauerat meritis, ſed gratiam Dei in ſe operantem agnoſcens, ore ſuo pronuntiauerat quæ Dei præſidio obtinuerat. idcirco in hoc non ſuam ſed Dei gloriam magnificat & exaltat, ob quod non eſt ſpernendus, ſi laudes Dei, tanquam ſuas magnificando prædicat. Ad aliam verò dicendum arbitramur, quòd ſapiens pro documento reliquerat id quod dixit, tradens normam euitandi appetitum inanis gloriæ, ne videlicet in laqueum tumeſcẽtis ſuperbiæ incideret quiſpiam nimis ſe extollẽs in meritis, ſciens fore ſcriptum, quòd non ſolùm immundus apud Deum reputatur qui cor ſuum temerè exaltat, ſed
Luc.13. etiam qui foris ſeſe laudando quærit gloriam, cùm hoc iuſtitiam phariſaicam ſapiat. ſic ergo intellectis præmiſſis in nullo contrariari cernuntur.

CONTRAPO. CVII.

Iob 14. *DIes hominis breues eſſe dicuntur.*
Sapiẽ.5. *Dies iuſti perpetui eſſe cernuntur.*

Quomodo in perpetuum victuri dicuntur iuſti, ſi dies hominis breues eſſe nouerat Iob? Idcirco & huic pariter reſpondendum eſſe nouimus, agnoſcentes liquidò æquiuocationem in præmiſsis latere. Profectò de diebus præſentis vitæ fit in prima locutio, quos & præteriri non poſſe agnouerat prænotatus, cùm vnicuique ſuã Deus periodum taxauerit. Qui dies exigui eſſe dicuntur & quaſi vna gutta ad comparationem æternitatis.

Dies hominis quomodo pauci dicantur.

Nempe dies isti propriè nō sunt, qui antè abeunt quàm veniant, & cùm venerint stare nō possunt. Sed de diebus alterius vitæ fit in sequenti locutio, quibus in perpetuas æternitates iusti victuri sunt. Quamquam adhuc ad primam aliter respondentes possemus dicere, quòd dies istius vitæ breues esse dicuntur, propter incertitudinem, cùm nesciat homo an sit superuicturus in crastinū, cum diem sequentem nec horam in nostra habeamus potestate. Et sic patet quid dicendum.

Iob 14.

CONTRAPO. CVIII.

Iob 34.
Psal. 7.

Deus aliquando punit non puniendum.
Deus iudex iustus alibi dicitur.

Quomodo iustus est dicēdus ille qui aliquādo punit non puniendum? Sed si verborū seriē velimus perpendere, proculdubio agnoscemus, quòd Deus qui iudex iustus semper dicitur, nunquam punit hominem nō puniēdū, licet aliter aliquādo videatur nobis qui oculos lipposos habemus. Nam signum magnę dilectionis eius est dum ab illo corripimur & flagellamur, quia idcirco hoc facit, ne non correpti, cum hoc modo damnemur. Quem enim in filium dignatur accipere, hunc flagellis cernit corripere, vt Paulus nouerat. Non ergo temerè dicendum est, quòd ipse non puniendum aliquando puniat, quin potius quòd multos corripiat, quos, nisi corripuisset, æternaliter damnasset cum diabolo: causa autem nobis occultissima, licet æquissima. Nec sic correptus locum querimoniæ apud Deū habet, qui (vt in primo prætulimus) iustus iudex vbique comprobatur, qui & multos immeritos liberare dignatur, immeritum autem neminem damnare dicitur.

Deus nūquam punit non puniendū.
Signum dilectionis Dei mag.
1. Cor. 11.
Heb. 12.
Psal. 7.
August.

CONTRAPO. CIX.

Iob 1.
Eccle. 1.

Terra, & omnia in illa contenta auferenda.
Terram stare in æternum Sapiens dixerat.

Si Terra & omnia in illa contenta auferenda sunt, quomodo in æternum illam permansuram nouerat Sapiens? Et huic, quæ nil contradictionis in se videtur in-

cludere,placuit dicendum ad primã, quòd ab illa vetustate vel ab illa corruptione expurganda est terra qua
Gene.7. modò corrupta cernitur,veluti purgata fuit diluuij tempore:nam sicuti diebus illis terra ad plenum fuit pur-
Psal.96. gata aquis,sic in finali tẽpore igne purgabitur ab omni corruptione,quãdo videlicet erit cœlum nouum & terra
Apo.21. noua,vti Ioãnes in suis Reuelationibus dixerat:Transibit enim hæc terra ab omni figura & forma quam nũc in se continet,sed terræ non transibit essentia. Quod & ille nobis aperuit qui in suis epistolis deposuerat dicẽs:
Terra quomodo transibit.
1. Cor. 7. Præterit enim figura huius mundi,vt aliam,videlicet no-
Psal.141. biliorem,induat. Altera verò non huic contraria cernitur,quæ de terra viuentium est intelligenda : ipsa enim tanquam firmamẽtum stabit in sæculum,cùm sit à primis qualitatibus penitus aliena. Vel potius dicas,& forsan rectius, quòd de terra corporis nostri intelligenda sit,quæ susceptis dotibus suis, permanenda est in æternum iam gloriosa effecta in cœlũ, & hoc est quod Pau-
1. Cor.15. lus voluit innuere dum dixit, Oportet mortale hoc induere immortalitatem.

CONTRAPO. CX.

Iob 10. M*Anus tuæ Domine fecerunt me.*
Sap.8. *Verbo Domini omnia fuêre creata.*

Si verbo Domini,non vtique manu:quòd si manu,non verbo creata fuêre omnia. Quibus pro rẽspõsione dicendum nouimus, nullam in præmissis contradictionem agnoscentes. Nam hoc in loco per manum Do-
Ioan.1. mini,æternum verbum quo omnia & in quo omnia facta sunt,intelligi placuit:& non ab re hoc verbum assimilatur manui:nam sicut manus id virtutis quod habet, hoc à capite recipit tanquam à principali membro influente in toto corpore,& taliter vt neque manus,neque pes, nec aliud quoduis membrum aliquid operari potest,nisi sit corpori coniunctum, sic istud verbum nil ex se potest operari quod non recipiat à patre. Profectò
Ioan.5. ipse filius dixit:Ego non possum facere quicquam, supple ex me. Idcirco & verbum patris dicitur. Nam eadem

virtus quam patri ingenitam esse nouimus, ipsa eadem à patre communicatur filio, ob quod ipse dixit: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Demum pater cum filio eandem virtutem communicat flamini, quod & produ cunt, vt sic tota trinitas simul operata ostendatur. Et sic clarè patet qualiter & verbo Domini, pariter & manu ipsius omnia creata simul & operata credantur. *Mar.11.*

CONTRAPO. CXI.

Iob 19.

Clamabo, & nemo audiet. *Sap.1.*

Auris cœli audit omnia.

Si auris cœli (Sapiēte teste) taliter audit omnia vt illam nihil latere possit, quid est quòd Iob, cuius vita tā quam laudabilis commendatur à Deo, diffisus dixit: Clamabo, & nemo audiet? Idcirco & huic quæ nihil contradictionis continere cernitur, dicendum placuit, quòd forsan Iob doloribus sic vexatus tanquam alienatus à sensu, illud dixerat: præmiserat enim amicos alloquens, Vsquequo affligitis animam meam & atteritis me sermonibus? Quos demum à se elōgatos videns, dixit: Clamabo vim patiens, & nemo audiet, supple, vt me adiuuet. Vociferabor, & non est qui iudicet. Idcirco cernens se ab omni humano fauore penitus derelictum, putauit sic forsan fuisse decretum in fatis, quòd videlicet, si clamasset, non exaudiretur. Quanquam possemus dicere, quòd Iob huiusmodi formam sumpserat hominis cui Deus iratus est: vtique ibidem dixit conuersus ad Deum, Iratus est contra me furor tuus, & sic me habuit quasi hostem suum. Sed his obiiciens diceret quispiam: quomodo verum erit quod præmittitur de illo dum dicitur, quòd in his omnibus Iob non peccauit labiis suis, si diffisus dixerat: Clamabo, & nemo audiet? Quibus dicendum nouimus, quòd sententiæ primò allegatæ additur quòd Iob non peccauerat labiis suis contra Dominum, cui potius gratias egit dicens, Dominus dedit, Dominus abstulit: altera verò (vt prætulimus) humanum fauorem respicit quem à se viderat elongatum. Et sic quid dicendum patet.

Iob 19. *Ibidem.* *Iob 2.*

CONTRAPO. CXII.

Iob 14. HOmo cùm Dormierit non resurget.
1.Cor.15. Omnes quidem resurgemus.

Si longè antea Iob vaticinio præuentus dixerat hominem dormientem non amplius esse surrecturum, vnde hausit Apostolus contrarium huic sententiæ, dicens: Omnes resurgemus? Idcirco & huius primæ talem fore sensum agnoscimus, videlicet quòd postquam dormierit homo, id est vita corporali decesserit, non amplius resurrecturus sit in carne mortali, vt videlicet rursus viuat tanquam viator, sed resurrecturus est in carne
2.Cor.5. gloriosa, si bene se in corpore gesserit: quod & prænotatus Iob nō negauerat, quin potius asseruerat dū alibi di-
Iob 19. xit: Et in carne mea videbo Deum saluatorē meum. Vel ad hanc primam dicamus, quòd de morte peccati forsan intelligenda est: quam licet per se & sine Deo incurrerit homo, ab illa tamen per se releuari nequit, sed dūtaxat præsidio illius qui voce sui Prophetæ dixerat, peccatorē
Oseæ 13. hominem alloquens: Perditio tua ex te Israël est, tantūmodo in me auxilium tuum. Vel adhuc dicamus ad primam, illam forsan intelligentes de dormitione à qua
Ioan. 5. impij resurrecturi non sunt in iudicio finali, nisi ad æternum supplicium sustinēdum, iusti verò in resurrectionē vitę æternę resurrecturi sunt. Aliā verò pluries exposuimus, & qualiter intelligenda sit, iam declarauimus.

CONTRAPO. CXIII.

Iob 25. MIlitum Dei non inuenitur numerus.
Dan. 7. Millia millium ministrabant illi.

Si angelorū numerus Deo famulantiū ignoratur (vt Propheta fuit attestatus) cur aliter, quasi si hunc numerum ante oculos haberet, dixerat: Millia millium, &c. Idcirco & huic primę sic respondēdum nouimus dicentes, quòd illa sententia præuenitur ab illo aduerbio
Nunquid NVNQVID, quæ cū sit interrogātis dictio, idcirco nō repręsentat semper negatiuum sensum, sed aliquoties indifferentē ad vtrumlibet. Sed modò, illa omissa, dicamus ad alteram, quòd videlicet numerus finitus pro in-

finito in illa ponitur, non quidem pro infinito actu cùm
nullum detur in creaturis, sed bene forsan pro infinito
in potentia, cuius quantitas semper augeri potest per ap
positionem alterius numeri. Vel si placet dicamus ad
primam, quòd numerus iste militum Dei, licet in cogni *Psal. 146*
tione humanæ rationis non sit cognitus, est tamen co- *Iob. 4.*
gnitus apud illum cui omnia nuda sunt & aperta. Qui
& stellarum multitudinē nouit, & omnibus illis vocat
nomina, vocánsque generationes ab initio & ea quæ nō *Numerus*
sunt, tanquam ea quæ sunt. Quanquam possemus dice- *1000.*
re, quòd in secūda, millenarius numerus, qui solus inter *quas con-*
numeros quadratum numerū solidum reddit, per quan- *ditiones*
dam excellentiam in illa ponitur. Vtique & de sanctis *habeat.*
qui cum Christo regnaturi sunt, dicitur quòd mille an- *Apo. 20*
nis regnabunt. Et sic patet.

CONTRAPO. CXIIII.

Iob 34.
Osea 8.

Dominus facit regnare hypocritam.
Principes mali non sunt ex Deo.

Si principes mali nō sunt ex Deo, cur Iob attesta-
tus est quòd Deus facit regnare hypocritam? Nónne hy
pocrita regnans, inter malos principes est conumeran-
dus? Idcirco & huic, quæ nihil in se contradictionis vi-
detur includere, dicendum nouimus quòd primæ addi-
ta est causa cur Deus hoc faciat; quia videlicet propter *Iob 34.*
peccata populi: facit autem hoc Deus vt sic improbis ac-
cipientibus nocendi potestatē, & bonorum patiētia pro-
betur & malorum iniquitas puniatur. Nam per potesta-
tem diabolo datam in Iob, probatus est vt appareat iu- *Iob 1.*
stus: & Petrus tentatus est vt ne de se nimis præsumeret: *Mat. 28*
& Paulus colaphizatus ne se extolleret: & Iudas dam- *2. Cor. 12.*
natus vt se suspenderet. Cùm ergo per potestatem, quā
Deus diabolo dedit, omnia iustè fecerit, non tamen pro
his iustè factis, sed pro iniqua nocendi voluntate, quæ
ipsius diaboli fuit, reddetur ei in fine æternum suppli-
cium, cùm dicetur impiis qui eius nequitiæ consenti-
re perseuerauerint, Ite in ignem æternum. Non ergo *Mat. 25.*
boni principis regimine dignus est peruersus populus,

ſed illius qui eum vexando anguſtiet, vt huiuſmodi caſtigationibus emendatus bonus efficiatur. Nec obſtat quòd Deus principem talem malum, quem reprobandum neſcit, regnare faciat, quia iſtud facere Dei aliquando idem eſt quod fieri prohibet, ſed iraſcendo permittit. Stat enim quòd Deus multa mala concedat permittátque, quæ mala ipſe nollet: permiſit enim vt cor regis Aegyptiorum ingrauaretur in populum Iſraëliticũ non agente neque volente ipſo Deo. Pariter & de Saul, vt infrà ſuo loco dicemus. Quamuis voluntas eius ſemper ſit vt & principes boni ſint, & populi pariter ſint illis in bonum obſequentes.

Facere Dei quid.

Exod. 9.

1. Reg. 9.

CONTRAPO. CXV.

Iob 13.
Mat. 25.

H*Ypocrita non veniet coram Deo.*
Omnes gentes congregandæ ſunt ante Deum.

Profectò ſi ante iudicem Deũ congregandæ ſunt omnes gentes in finali iudicio, quò fugiet triſtis & fraudulentus hypocrita, vt & ipſe non compareat ante tribunal iudicis, vt recipiat vices de ſua fraudulenta hypocriſi? vtique ſub illo ſigno vniuerſali OMNIS (vt aliàs expoſuimus) deſcenſum fieri nouimus ad omnes ſingulares ſub illo nomine ſignum ſequenti contentas. Idcirco & ad iſtam pariter ſic arbitramur dicendum, ęquiuocationem latere de aduẽtu coram iudice in iudicio. Vtique in ſecunda fit mentio de aduentu coram iudice in die finali, vt litera patens eſt in prænotato loco, in quo iudicio omnes nationes iudicandæ erunt, vt illic vnuſquiſque recipiat prout ſe in corpore geſſerit ſiue bonũ ſiue malum: ſed econuerſò de illo aduentu fit in altera locutio, quo quis ſupplex & humilis coram Deo poſitus & proſtratus rogat vt ſibi dimittantur peccata, vel vt quidquam aliud obtineat à Deo. Quod & facere nequit hypocrita cùm non ſit capax impetrandi aliquid à Deo, nec minus ſit potens veniam obtinere de delictis ſuis ſic accedens diſsimulans, dum humanis oculis duntaxat placere intendit, cui ſic accedenti dicit ſermo diuinus, Recepiſti mercedem tuam. Profectò iſtud nomen hypocrita, vt Auguſtino placet, dictio Græca eſt, & ſi-

Mat. 25.

2. Cor. 5

Hypocrita nil obtinere poteſt.

Mat. 5

mulator interpretatur. Simulatio verò duplex eſt: Alia eſt qua veritas tacendo ſubtrahitur aut quouis velamine circuntegitur. Alia autem qua falſum pro vero exprimitur: prima non modò inculpabilis, quinimo ſuo loco, & tempore digna laude virtúſque reputanda. Nam & Dauid vt euaderet manus regis Achis, habitum mutauit, & inſanum ſe finxit. Et Chriſtus Dominus eundo in Emaus ſimulauit ſe inſcium geſtorum in Hieruſalem, & longius ſe ire finxit. Qui & parabolis veritatis velauit arcanum, vt videntes non videant & audientes non intelligant. Alia verò tũc quis ad ſuam perniciem vti dicitur, dum intus malus eſt, & bonum ſe palàm curat oſtendere. Idcirco quicunque vult ſe videri quod non eſt, hypocrita & ſimulator dicendus eſt: talis enim erat ille, qui fratrem ſuum adiens, ait: Dimitte vt tollam feſtucam de oculo tuo, vt & ipſe iuſtus videretur. Pariter & ille qui in templo poſitus ait cõuerſus ad Deum, Gratias tibi ago Domine, quia non ſum ſicuti cæteri hominum. Similiter hypocritæ dicendi erant illi qui in angulis viarũ poſiti orabant vt ab omnibus viderentur, quos & durè increpauerat Saluator. Hi ergo non ſunt corã Deo venturi vt ab illo exaudiantur, ſed magis vt iudicentur & puniantur æterno ſupplicio.

Hypocrita quis dicendus.

Lucæ 18.

*Mat.*6.

CONTRAPO. CXVI.

IOb ſolus viſurus eſt Deum, & non alius. Iob 19.

Videbunt illum omnes oculi, & qui eum pupugerunt. *Apo.*1.

Si ſolus Iob expectabat ſe videre Deum oculis ſuis, & nõ alius, cur Apoſtolus qui in cœna ſuper pectus Domini recubuerat, atteſtatus eſt omnem oculum conſpecturum eſſe Dominum? Huic quoque quæ omni caret controuerſia, dicendum placuit, quòd prima non ſic cõtinetur in Hebræo. Nec dicit, illud, non alius, ſed dicit, alienus ſeu extraneus, videlicet à vero cultu: quia qui eum in mundo non vidit per fidem, non eſt viſurus illum per ſpeciem quæ fidei ſuccedit: vel adhuc dicamus ad hanc primam, admittendo traductionem noſtram, quòd illud, non alius, ad Iob referendum eſt, qui poſt reſur-

Hebr. litera.

rectionem suam non erit alius in persona. Sed ipsemet qui viuebat prius in carne, licet tūc glorificatus, visurus est Dominum, propter id quod præmittitur eo in loco, dum dicitur, Et in carne mea videbo Deum saluatorem meum. Quo stante, sequens non cernitur opposita primæ, quia vt aliâs prætulimus, & ipsi peccatores in extrema die visuri sunt Dominum, licet aliter quàm fideles & iusti. Vtique fideles videbunt eum facie hilari & iucunda, sed impiis & damnandis iratus apparebit iudex & tremebundus, quibus hæc visio erit in tristitia & dolore, sed illa iustorum in summa lætitia.

Iob 19. *Visio similis in iudicio.*

CONTRAPO. CXVII.

Iob 14. *Mat. 27.*

Homo cùm dormierit non resurget.

Dormientes multi surrexerunt cum Christo,

Si multos legimus & credimus resurrexisse cū Christo, cur aliter iudicauit Propheta? Et huic primæ (quanquā aliâs illam explanauerimus) nihilominus & illud adhuc superaddendū placuit, dicentes illam multiplicem habere sensum. Nam & dormire aliquando dicitur in Scripturis ille, qui in peccatis permanēs ab illis minimè releuari cupit, nec curat: hunc Apostolus admonens dicit, Surge qui dormis, & illuminabit te Christus: vult enim Deus & præcipit non ad suum, sed ad nostrum emolumentum, vt orto sole suę iustitię, in cordibus nostris surgamus citissimè de lecto peccati ne nobis dicatur quod per Prophetā scriptum est: Sol ortus est eis, & auolauerūt: vult enim Deus, vt dū lumine suæ splendentis gratiæ venit ad nos, excitati de somno peccati vigilemus virtutibus, vt dum sic ornatos conspexerit splendētes & lucentes, faciat nos postmodum secum sedere in cœlestibus, vt ęternis illis potiamur bonis. Vel dicamus, quòd idcirco homo dicitur in peccatis dormire, quia ex se non habet vnde resurgat, iuxta illud psalm. dicentis: Qui dormit non adiiciet vt resurgat, licet per se in illud ceciderit. Possemus adhuc dicere, quòd per istud dormire, mors ęterna potest intelligi, quę morti peccati dicitur succedere, quā absque dubio incurrit peccator impœni-

Dormire multiplex *Ephes. 5.* *Naum. 3.* *Ephes. 2.* *1. Petr. 2.* *Psal. 40.*

tens, dum ex hoc mundo migrauerit, non amplius surrecturus ad vitã: in altera verò de somno corporis iam defuncti fit mentio, à quo quidem fideles surrexerant cum Christo, vt honorabilior fieret capitis resurrectio & spes resurgendi remanentibus in mundo præstaretur. Sic ergo intellectis præmissis, in nullo contrariantur. *Mat. 29. Resurrexerũt quidam cum Christo, & quare.*

CONTRAPO. CXVIII.

D*Eum saluatorem meum videbo in carne mea.* *Iob 15.*
Caro & sanguis non poßidebunt regnum Dei. *2. Cor. 15.*
Profectò si caro cum sanguine ad id muneris ascendere nequit, vt regnũ Dei possideat, frustra dicturus est Christus his qui ad dexteram suam locati fuerint in iudicio: Venite benedicti, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi. Idcirco & huic, quæ nullam penitus sentit in se contradictionem, placuit dicendum, alteram esse veram, si caro & sanguis secundum veterem hominem accipiantur, qui huiusmodi visionis beatificæ incapax dicitur, quinpotius sic secundum carnem viuentes, vt Apostoli sententia est, æternis cruciatibus deputandi erunt. Sed carni expurgatę per gratiam, ac in naturam spiritus iam permutatæ pro munere concessum est, vt regnum Dei possideat, necnon & Deũ quem in mundo dilexerat, speculetur & videat, vt pariter cum illo glorificetur. Et secundum hunc sensum intelligenda est prima, & hoc erit quando deposita hac mortali seu corruptibili sarcina, immortali stola induetur caro: sic enim nouerat fieri oportere ille, qui de huiusmodi permutatione locutus, ait: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, &c. *Mat. 25.* *Ephe. 4.* *Caro visura Dominum.* *1. Cor. 15.*

CONTRAPO. CXIX.

C*Onstituisti terminos hominis, qui præteriri non possunt.* *Iob 14.*
Dies sibi præfixos præteriit Ezechias. *Esa. 38.*
Si propheta sic nouerat fuisse firmatum statutũ, vt vnicuique dies vltimus vitæ suæ ita præfixus sit, vt nemini liceat illum præterire, qua lege seu quo fauore dies sibi præfixos rex Ezechias præteriit? Et huic

ſic placuit dicendum, quòd forſan mortis eius ſententia diffinitiua non fuit, dum iuſſu Dei veniens ad illum E-
Eſa.34. ſaias, ſibi denuntiauerat mortem: & fortaſſe non abſque myſterio id actum fuit, vt videlicet tali audito nuntio ſupplex effectus & humilis in luctum prorumperet con-
Paries figurans Chriſtū. uerſus ad parietem, per quem Chriſtus figuratur nobis, qui præfinito tempore noſtram mortalem aſſumendo naturam, veluti paries ſe interpoſuit inter Deum & ho-
Coloſ.1. minem ima ſummis reconcilians. Ad hunc ergo conuerſus prænotatus rex, prolongationem ſuorum dierum obtinere meruit ab illo qui dicturus erat in euangelio omnibus in ſe credentibus: Ego ſum reſurrectio & vita: &
Ioan.15. amplius, Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet. Egit tamen Deus miro quodam ac magnifico modo, vt & præfatus non moreretur, & verbum ſuum per
Eſa.38. Prophetam prolatum non rediret vacuum. Profectò (vt textus literæ continet) Deus fecit retrocedere ſolem per decem lineas in horologio Achab, ex qua retroceſsione
Tota natura dependet à Deo. ſecuta fuit illa additio xv. annorum vitæ præfati. Quod & actum fuit ſine iniuria naturæ, quæ tota dependet à voluntate ipſius Dei qui natura naturans dicitur, hoc eſt naturæ formator & conditor. Nam licet (vt aſtrologicè loquar) ſol retroceſſerit ab occidente verſus ortum, perfecit nihilominus poſtea curſum ſuũ vſque ad occaſum. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CXX.

Iob 15. P*Acem in ſublimibus ſemper haberi legimus.*
Dan.10. *Princeps regni Perſarum reſtitit Gabrieli.*

Si ſemper pax haberi dicitur in ſublimibus, cur Gabriel dixerat Danieli, quòd princeps regni Perſarum reſtiterat illi xxj. diebus? Nonne princeps ille vnà cum Gabriele de militibus regni pacis fuerat? vnde ergo pugna iſta inter illos orta fuit? Idcirco & huic pariter nouimus reſpondendum, dicentes, quòd id non ſine diuina diſpenſatione actum fuit. Nondum enim (vt credimus) purgatus fuerat Hebræorum populus captiuus ibidem, vt prouinciam illam mereretur exire, niſi prius

expleto trino dierum ſeptenario. Idcirco ne ante ſignatum tempus exirent, princeps ille ſe oppoſuerat, cui & eiuſdem prouinciæ regimen creditum fuerat. Ex quibus patet quàm fideliter ſe habuerit prouinciæ princeps iſte. Nouerat enim quòd recedentibus Hebręis à prouincia, qui cultum veri Dei exhibebant ibidem, illam remanere vacuam & abſque veridica religione, cũ reliqui idolatræ eſſent, idcirco oppoſuerat ſe Gabrieli non permittens Hebræos inde accedere quouſque prænotatum tẽpus expleretur. Quo aduentante, memoratus princeps vnà cum ſuis ſodalibus tanquã dolentes & triſtes de iactura prouinciæ quæ orbata remanſerat cultu veridico ob talem receſſum populi Hebræi, ſuſpenderũt organa ſua in ſalicibus fluminum Babiloniæ, vti vice illorum in pſal: dixerat Propheta regius. Nec obſtat quòd angelis iſtis, cùm ſint beati, dolere non conueniat nec triſtari: quia & per alium Prophetam vaticinatum nouimus pariter de angelis pacis amarè flentibus Chriſti paſsionem: ait enim hanc commemorans, Angeli pacis amarè flebunt. Sic ergo præmiſsis intellectis prima non obſtat alteri, ſed multum ei conuenit.

Pſal. 136. *Eſa. 33.*

CONTRAPO. CXXI.

Poteſtas ſuper terram non eſt quæ comparetur diabolo. Iob 41.
Reſiſtite diabolo & fugiet à vobis, alibi. *Iaco. 5.*

Si nulla poteſtas relicta eſt in terris quæ cõparari poſsit potentiæ antiqui hoſtis, quibus armis nos fideles poterimus illi vim facere? Huic quoque quæ nullam in ſe continet contradictionem, dicendum placuit, quòd non ab re dicitur nullam potentiam eſſe in terris qua illi quis poſsit reſiſtere. Nam cùm ipſe ſit omnis petulantiæ princeps & Dominus, non poteſt quiſpiam hominũ terrenè & carnaliter viuens, illum debellare, licet armis ſpiritualibus munitus facilè illum poteſt quis vincere (vt Hieronymi ſententia fuit) de quibus armis locutus Apoſtolus ait: Arma militiæ noſtræ nõ carnalia, ſed potentia Dei: & alibi, Arma iuſtitiæ Dei appellari placuit: his ergo duntaxat armis contra iſtam cruẽtam beſtiam

Diabolus princeps omnis petulantiæ. *Hierony.* *2. Cor. 10.* *Rom. 6.* *1. Cor. 5.*

dimicandum eſt,vti prænotatus Apoſtolus vnà cum Pe-
1.Pet.5. tro dixerat concorditer, quibus armis percuſſus tanquã
confuſus & victus fugiet à nobis debilis & claudus effe-
Epheſ.6. ctus.Sumendum eſt pariter à nobis ſcutum fidei, iuxta
Pauli conſiliũ, quo & omnia tela illius ignea poſsimus
extinguere,quibus homines inermesplerunque lethali-
2.Cor.3. ter feriuntur,& taliter vt nequaquam quiddam boni co
gitare valeant. Et ſic quid fuerat dicendum ad præmiſſa
patet.

CONTRAPO. CXXII.

Pſal.74. *CAlix Domini vini meri plenus.*
Ibidem. *Calix Domini plenus mixto,alibi.*

Si calix Domini vini meri plenus eſſe dicitur, non ergo plenus mixto dicendus eſt:& econuerſò,ſi plenus mixto,non erit plenus mero. Sed ſi verborum ſeriẽ contemplari placuerit, clara luce videbimus nullam in
Heb.10. præmiſſis contradictionẽ latere. Nempe calix iſte Domini,idcirco vini meri plenus fuiſſe dicitur,quia nõ fuit mixtus ſanguine hircorum aut vitulorum(vt olim in le-
Heb.9. ge)ſed per proprium ſanguinem Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſanctam ſanctorum ingrediens,vnica oblatio-
Pſal. 74. ne conſummauit ſanctificatos,vti Paulus fuerat atteſtatus.Vel dicamus ſi placet,quòd idcirco vini meri plenus dicitur calix iſte,quia bibentem ſe dignè & fideliter,pro ut decet, taliter diuinum efficit, vt non amplius ſit im-
Pſal.22. mixtus carnalibus,ſed prorſus alienatus ab illis,efficitur
Calix domini quid fiat. cœleſtis.Ob quod à prænotato Propheta, calix iſte non ſolùm dictus eſt inebrians,ſed etiam præclarus.Hunc niſi & nos biberimus(prout vnicuique cœlitus datum eſt) æternam patriam minimè adipiſci valebimus,quę dun-
Luca 23. taxat hunc bibentibus calicem,repromiſſa eſt.Profectò per calicem iſtum crucem propriã vnicuique poſt Chriſtum portandã neceſſariò intelligimus.Et ſic patet quid ad præmiſſa fuerat dicendum.

CONTRAPO. CXXIII.

Pſal.85. *COr meum timeat nomen tuum.*
Ibidem. *Cor meum in te lætetur.*

Sic cor nostrum taliter erga Deum se debet habere, vt illum semper timeat, cur ex aduerso dicitur in altero quòd lætari debeat in illum? An forsan simul stare possunt lætari & timere? Huic quoque placuit dicendum ꝙ dum peregrinamur à domino, vtrũque nobis indictum esse nouimus, vt faciamus. Nempe nomen domini idcirco timere debemus, quia terribile & magnum dicitur. *Psal.100* Sed in eodem pariter & lætari debemus & iocundare, quoniam nomen suaue & dulcorosum est, illud, vt decet, venerantibus: secus autem facientes, nec nostra seruitus illi grata erit, nec minus nobis proficua esse poterit. Ob quod nimia obseruantia custodiendum est, ne nostra seruitus taliter sine timore fiat, vt malè viuentes eius incurramus iram. Erit tamen nobis aliquando iocunditas sine timore, modò iocunditas cum timore: nondum enim est plena securitas, nec perfecta iocunditas: quia si nulla iocunditas, deficimus: si plena securitas, malè exultamus. Rogemus ergo Deum, vt aliter in nobis hunc causet timorem, vt nos faciat malè exultare. *Cor nostrũ quãdo iocundatur in Domino.* Iocundari pariter, & lætari cor nostrum dicitur in domino, dum illi deuotas (prout decet) impendimus laudes, docente nos regis Propheta, & dicente: Iocundum sit ei eloquium meum. *Psal.103.* Quanquam præmissarum sententia aliter consolari possemus, dicentes quòd Hebraïca veritas *Heb. ve.* non sic continet, sicut nostra traductio. Nam Hebraïca sic dicit: Vnias cor meum, vt timeat nomẽ tuum. Quod & mysterio non vacat. Nam sicuti non possumus Deum perfectè diligere, nisi illi coniungamur amore, sic nec illi placere possumus, nisi ille nos vniat suo spiritu qui patris & filij nexus dicitur. Et sic patet quid fuerit ad præmissa dicendum.

CONTRAPO. CXXIIII.

C*lamauerunt, nec erat qui saluos faceret.* *Psal.17.*
Clamauerunt, & salui facti sunt, dicitur alibi. *Psal.21.*

Profecto si Israëlitis clamãtibus ad dominum, nõ fuit qui illos saluos faceret, cur in sequenti ab eodem Propheta subinfertur, ꝙ salui facti sunt? Sed si recta mẽ-

te præmiſſa contẽplari placuerit,proculdubio ſimul poſſe ſtare iudicabimus.Prima enim non de populo illo intelligenda eſt,ſed de infidelibus cõſtitutis in anguſtiis & preſſuris,qui ſic anguſtiati clamãtes ad Deos ſuos, vt liberarentur ab huiuſmodi preſſuris,non fuerunt exauditi:demum ſuorum deorum deficiente præſidio,clamantes ad Deum pariter exaudiri non meruerunt ob ſuam infidelitatem: ac ſi diceremus,Deus illorum eos ſaluare non potuit, & Deus verus illos ſaluare noluit, quia non recta fide ad illum clamauerant, non curantes videlicet à cultura ſuorum deorum recedere. Quanquam Hebraïca veritas non ſic contineat in primo,ſed dicit: Vociferabuntur, & non erit ſaluans. Sed quod ſecundo loco dictum eſt, non tantùm de priſcis patribus vexatis ab Aegyptiis, ſed etiam de vnoquoque fideli in anguſtiis poſito ad dominum clamante,nouimus intelligendum, *Pſal.21.* dicente illo voce Prophetica: Clamabit ad me, & ego exaudiam eum. Cauſa verò exauditionis in præcedenti verſiculo huius Pſal.præmittitur,cùm dicitur:Quoniam *Pſal.90.* cognouit nomen meum.Et forſan hæc eſt potiſsima cauſa quare his temporibus non exaudiuntur clamantes ad dominum, quia videlicet non habent cognitionem huius ſacratiſsimi nominis IESVS, in cuius virtute obtinendum eſt quicquid à Deo petimus, vt ſaluemur. Et hoc eſt quod Petrus agnouit, dum ait:Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri,niſi iſtud. Sic ergo præmiſsis intellectis minimè contrariantur adinuicem.

Orantes cur non exaudiãtur aliquando.

Act.4

CONTRAPO, CXXV.

Pſal.112. D*Eum legimus inhabitare cœlum.*
Pſal.134 *Deus dicitur habitare in Hieruſalem,alibi.*

Si cœlum Deus inhabitat, quomodo Hieruſalem erit ſua habitatio? Et huic quæ ab omni oppoſitione aliena perſpicitur, dicendum placuit vtrunque verum eſſe: Cœlum enim idcirco deus inhabitare dicitur, quia in illo ab æterno ſuam locauit ſedem, iuxta illud: Cœ- *Hiere.33* lum mihi ſedes eſt: in quo cœlo, & Hieruſalem illam

ſupernam pariter eſſe nouimus, quam & Paulus matrẽ noſtram eſſe dixerat, ex viuis lapidibus fabricatam, in qua & illi beati ſpiritus ac animæ iuſtorum perpetuò fœlicitandæ ſunt, vti Ioannes in ſuis depoſuit Reuelationibus. Quanquam aliter explanantes præmiſſa, poſſemus dicere, quòd per Hieruſalem hoc in loco fidelis anima poſsit intelligi, quam Deus inhabitare dicitur, dum illam per gratiam ingreditur, in qua ſicuti rex in ſolio ſedet diuinitus, iuxta illud: Anima iuſti ſedes eſt ſapiẽtiæ. Quæ anima pariter cœlum dici poteſt ob multas virtutes in illa contentas. Nam ſicuti cœlum ſtellis & luminaribus decoratur, ſic fidelis anima, his ornata virtutibus in ſe ſplendentibus ſicuti luminaria cœli. Hinc calumniandus eſt pernicioſus error quorundam Talmudiſtarum aſſerentium in libro Berachot, quòd Deus poſt domus ſanctæ deſolationem, alium locum non habet in terris præter illum in quo legitur eorum Talmud. Et ſic præmiſſa ſeruantur abſque contradictione aliqua illæſa.

Gala. 4. *Apoc. 12* *Anima quãdo dicatur Hieruſalem.* *Sap. 7.*

CONTRAPO. CXXVI.

C*Lamabo per diem & noctem, nec exaudies.* *Pſal. 21.*
Dum clamarem ad eum exaudiuit me. *Pſal. 26.*

Quomodo non fuit exauditus ille, qui in ſequenti teſtatur oppoſitum? Sed ſi diuerſitatis cauſam cõtemplari velimus, proculdubio agnoſcemus ſuo loco & tempore eſſe vera præmiſſa: Stat enim, vt quiſpiam in peccatis exiſtens, ac clamans ad dominũ, dum vexatur non exaudiatur: emẽdatus verò, ac elongatus à peccatis exaudiatur poſtea. Sed præmiſſas allegoricè exponentes dicamus, quòd de Chriſto intelligendæ ſunt, qui clamans in nocte poſitus in agonia orauit ad patrem, dicens: Pater mi, tranſeat à me calix iſte, nec exauditus fuit: pariter in die poſitus in cruce clamans, minimè exauditus eſt. Idcirco conqueſta humanitas ait ad patrem cõuerſa: Deus Deus meus, quare me dereliquiſti? Nec obſtat, quod ecõuerſò dicitur in ſequenti, quòd dum clamaret ad Deum fuerit exauditus, quia iſta precatio pro qua fuerat exau-

Chriſtus quãdo nõ exauditus orans. *Mat. 26.* *Ibidem.* *Heb. 5.*

ditus, non pro ſeipſo, ſed pro in ſe credituris facta fuit. pro quibus intentiſsimè patrem deprecatus eſt, & exauditus. Et ſic patet quid ad præmiſſa fuit dicendum.

CONTRAPO. CXXVII.

Pſal. 43. EXurge quare obdormis Domine.

Pſal. 120 *Ecce non dormitabit neque dormiet.*

Si non dormitabit neque dormiet qui ſemper vigilare dicitur, cur ſi tanquã eſſet dormiens, excitatur in ſequenti, vt vigilet? Huic quoque, quæ nil contradictionis in ſe habet, dicendum placuit, quòd illis dominus quaſi dormire dicitur, quibus pœnitentibus de cõmiſsis culpis peccata tegit ac delet, illa diſsimulans: quod & ille nouerat, qui ait: Diſsimulans peccata hominum propter pœnitẽtiam. Sed econuerſò excitari dicitur, dum ſua nimia bonitate debellatis impiis ac confuſis opem fert ex inſperato afflictis, ac poſitis in tribulatione. Quamuis & dormire pariter dicitur dum horum peruerſorum hominum vitam per patientiam ſuſtinet atq; tolerat, differẽs, vt ad pœnæ terminũ protrahantur culpæ. Quod & Propheta admiratus, ait: Quare non reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorẽ ſe? Sed pariter & excitari dicitur ac vigilare, dum in cordibus ſuorum fidelium per gratiam inhabitare dignatur. Sed quia ipſe quaſi in occulto latere dicitur, idcirco dormire putatur, licet vigilet, iuxta illud Canticorum: Ego dormio, & cor meum vigilat. Nec obſtat, quod in primo dicitur, quia incertum eſt nobis plerũque an eius dormitio ſuper nos fiat ex ira, aut ex miſericordia, vel an velit nos probare ad tempus, an ex toto relinquere nil amplius curans de nobis. Et ſic patet quid dicendum.

Dormire Deus dicitur, & quibus.

Sap. 11.

Rom. 9.

Cant. 5.

CONTRAPO. CXXVIII.

Pſal. 17. CLamauerunt ad Dominum, nec exaudiuit eos.

Pſal. 85. *Inuocantibus te ſemper miſericors es.*

Quomodo erga inuocãtes ſe miſericors dicitur ille qui exaudire renuit clamantes ad ſe? Et huic præter illa quæ diſcuſſa reliquimus in præcedentibus, ſuper-

addendum placuit, dicentes quòd Deus semper misericors dicitur his quos à viis suis malis recedentibus ad se conuersos nouerit corde perfecto, ac animo volenti, potissimè tamen dum petunt ab illo bona pertinentia ad salutem non imitantes sensum, sicuti & filiorum Zebedæi matrem nouimus fecisse, quæ veluti carnalis petierat à Domino, vt alterum filiorum ad dexteram, alterũ verò ad sinistram faceret concedere in regno suo, cùm hoc non esset expediens ad salutem. Nēpe ad sinistram iudicis locandi sunt duntaxat reprobi. Paulus pariter exaudiri non meruit, dum rogauit instanter carnis stimulum à se amoueri, cùm hoc non deceret. Petierat etiã Christus calicem passionis à se transire, nec obtinuit, quia saluti nostræ non erat expediens: sed qui ecõuersò corde contrito clamant ad Dominum bona salutis petētes, hos proculdubio semper exaudit Dominus, dummodo hæc petitio in nomine illius fiat qui se sequentibus dixit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Nec diffidendum est, dum rem petitam differt aliquando dare, quia hoc facit vt petentis desideriũ magis ac magis augeatur. Et sic patet.

Mat.10.

2.Cor.12.

Luc.22.

Christus cur nõ exauditus.

Mat.18.

CONTRAPO. CXXIX.

Non est inuenta in me iniquitas. Psal.16.
Iniquitatem meam ego cognosco. Psal. 50.

Quomodo in illo non fuerat inuenta iniquitas, si in altero psa. suam accusans iniquitatem ait, Quoniam iniquitatem meam ego cognosco? Quibus nouimus respondendum dicētes, primam esse intelligendã de Dauid mystico & non carnali: in primo enim nulla fuit iniquitas, nec vllus dolus inuentus fuit in ore eius, quanquam flagellis & cruciatibus acerrimis pro nobis examinatus fuerit: licet Hebraica veritas non sic contineat sicut nostra traductio, sed sic habet: Examinasti me nec inuenies, cogitaui non pertransibit os meum: sed alteram de seipso locutus est Propheta post commissum adulterium cum homicidio. Idcirco vt indulgentiam sibi largiri mereretur, rogauit supplex ac humilis, dicens

1.Pet.2.

2.Reg.11.

Psal. 50. conuersus ad Deum: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: quasi dicat, quoniam iniquitatẽ meam detestandam ego cognosco, ob hoc tanquã verè pœnitẽs nõ dissimulo illam: sed supplex peto vt tu illi clementer ignoscas, quia ego dolens, idcirco illam punio, ne tu punias illam, ego video ad pœnitendum, ne tu illam consideres ad puniendum. Quare diligenter attendamus quid Deus facit. Dum enim memor sis peccati tui, ille non erit memor: si tu oblitus fueris, Deus eius memorabitur. Agnosce ergo, emenda, purga, & castiga, ne Deus contra te indignatus, seuerius te puniat.

Deus quãdo peccati nõ dicitur memor.

CONTRAPO. CXXX.

Psal. 118. *IVdicia tua doce me, ait psalmus.*
Ibidem. *A iudiciis tuis non declinaui.*

Mirum quippe videtur, vt in eodem Psal. Propheta edoceri petat iudicia à quibus eo in loco dixerat se non declinasse. Nam si ab illis non declinauerat, cur illa edoceri petiit? Sed si verborum seriem contemplari placuerit, proculdubio agnoscemus quòd forsan alterum non obtinuerat dum iudicia se edoceri petiit. Vel dicamus, quòd licet iustificatus à reatibus non amplius declinauerit à iudiciis Dei in operando, tamen quia nouerat illa esse abyssus multa, idcirco adhuc petit efficacius illa edoceri, vt sic in cognitione perfectus, noscat. Cur peccatoris vita prolongetur? cur iustus egens iaceat mendicus? & cur iniustus sit opulentus? sunt ergo prima verba proficientis & cupientis perfici, & addi ad id quod iam prius acceperat, vt illa magis & melius cognita, magis diligat Deum, sitque in bono opere promptior & perfectior. Et sic seruantur præmissa absque cõtradictione aliqua illæsa.

Psal. 35.

CONTRAPO. CXXXI.

Psal. 118. *IVdicia oris tui pronunciaui, ait psalmus.*
Ibidem. *In corde meo abscondi eloquia tua.*

Quomodo eloquia Dei in corde suo absconderat Dauid si illa iam pronunciauerat? Et huic præter illa

quæ in præcedentibus nos ad plenum dixiſſe recolimus, & illud ſuperaddendum nouimus, dicentes,quòd ex receptis ab ore Dei, partim pronuntiauerat, plebem inſtruens tanquam Domini prædicator & præco, partim apud ſe retinuerat. Nam quæ populis aperienda receperat,indifferenter propalauerat omnibus iuſſu Dei,plebem ſibi creditam corrigens & commonefaciens.Sic enim nouerat feciſſe Eſdram ſcribam,qui ea quæ ad ſalutem neceſſaria fore nouerat,tam dignis quàm indignis manifeſtauit:illa verò quæ apud ſe conſeruanda acceperat,hæc in armariolo ſui cordis tanquam precioſum theſaurum cuſtodita ſeruabat ne tranſgreſſor diuini mandati haberetur,incerta & occulta ſapientiæ aperiens indignis. Quod & pariter pro ſalubri conſilio reliquerat ille qui filium edocens,ait: Sacramentum regis abſcondere bonum eſt.Ex quibus liquidò patet quę iudicia abſconderat qúæue pronunciauerat. *Pſal.118.* *Eſdras.* *Pſal.50.* *Tho.12.*

CONTRAPO. CXXXII.

Pſal.36. *Pſal.21.*

IVſtum nunquam derelictum nouit pſal.
Iuſtum Chriſtum in cruce derelictum legimus.

Si iuſtum nunquam derelictum fuiſſe nouerat Propheta,cur Chriſtus qui ſummè fuit iuſtus, ſic derelictus fuit in cruce,vt diceret ad patrem conuerſus,Quare me dereliquiſti?Et hãc quam aliâs ad plenum expoſuimus, rurſus ſoluentes placuit dicendum, quòd derelictus fuiſſe non eſt dicendus ille, qui vt noſtram operaretur ſalutem, per aliquam morulam in ſola humanitate derelictus fuit.Nam licet poſitus in agonia,ac pro ſe clamans ad patrem, vt ab illis cruciatibus eriperetur, non fuerit exauditus, ſed derelictus ſub illo ſeueriſsimo tribunali iuſtitiæ vindictam expetente pro reatu primorum parentum, fuit tamen exauditus dum in cruce poſitus rogauit pro ſuis fidelibus, vt cœleſtibus reconciliati indulgentiam conſequerẽtur. Licet illa derelictio ſui nobis conuerſa fuerit in refrigerio, quia ex eius morte vitam conſecuti ſumus. Quod & in myſterio præuiderat ille, qui dixit: Et ſi iuſtus morte præoccupatus fue- *Chriſtus quomodo non derelictus fuit* *Heb.5.* *Sap.4.*

rit, in refrigerio erit. Sic ergo intellectis præmissis in nullo contrariantur.

CONTRAPO. CXXXIII.

Psal. 118. *Legem sibi poni rogauit Propheta.*
Ibidem. *Legem sibi positam, alibi nouerat.*

Quam enim legem sibi poni petierat Propheta, si infrà iam legem sibi fuisse positam nouerat, vt in altero dicitur? Et huic pariter placuit respondendnm dicentes, quòd typum proficientis repræsentauit in primo: hîc enim ad culmen perfectionis deuenire cupiens, legẽ illã sibi poni petit, qua hunc gradum valeat consequi vt in omnibus perfectus omnem sufficientiam contineat & sit abundans in omne opus bonum, quemadmodum A-
1. Cor. 9. postolus monuerat scribens Corinthiis. Sed & alibi cupiens omnem hominem ad hunc gradum deducere ait:
Coloss. 1. Vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu. Idcirco hoc instanter præmemoratus Propheta rogauerat, sciens non reperiri posse hominem tam iustum, támque innocentem, qui lege directionis non indigeat continué. Ob quod hanc legem postulans si-
Psal. 5. bi dari dixit alibi: Dirige Domine Deus meus in con-
Psal. 18. spectu tuo viam meam. Profectò iste Euangelicus iu-
Exod. 20 stus cuius typum gerit Propheta regius, videns non fore sibi sufficientem ad salutem legem illam Mosaicam collatam in lapidibus, rogat supplex & humilis illam sibi poni legem in tabulis carnalibus cordis, qua spiri-
Rom. 2. tu & non litera Deo (vt Decet) feruenter seruiat, sicuti postmodum docuerat Paulus scribens Romanis. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CXXXIIII.

Psal. 113. *Non mortui laudabunt te Domine.*
Psal. 144 *Laudabo nomen tuum in æternum.*

Si se laudaturum nomen Domini in æternũ, præuiderat Propheta, cur aliud præmisit in oppositum? Profectò qui Deum in ęternum laudaturus est, laudabit etiã illum ex hac vita migrans. Idcirco & huic quæ ab omni oppositione aliena est, dicendum placuit, quòd prima

de æternaliter mortuis intelligenda eſt: hi enim in gehennalibus ſuppliciis exiſtentes Deum nequaquam laudare poterunt, cùm ſint extra ſtatum merendi. Quem enim in mundo viuentes oderant, quomodo in alia vita laudare ſeu benedicere poterunt? Quinpotius in illum ſuperbientes maledicent in æternum, iuxta illud: Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper. Quanquam prima de morte peccati pariter poſsit intelligi: qua impij & peccatores adhuc viuentes in carne, mortui dicendi ſunt, cùm non viuant Deo. Hi verò qui econtrariò in mandatis Domini incedentes, bene ſe geſſerunt in mundo, Deum laudare queunt in hoc ſæculo: pariter, & in alio illũ perpetuò laudaturi ſunt, iuxta illud: Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

Mali cur Deũ laudare nequeunt.
Pſal. 73.
Pſal. 118.
Pſal. 83.

CONTRAPO. CXXXV.

Mendacem eſſe omnem hominem pſal. nouerat.
Dauid non mendax talia pronuntians.

Si omnis homo mendax dicendus eſt, profectò & quæ de Chriſti fide à Prophetis fuêre prænunciata, necnon & ſuſcepta ab Apoſtolis, tanquã mendacia ſunt æſtimanda, quod abſit à fidelium mentibus. Idcirco ne in erroris ſyluã remaneamus, dicendum placuit, quòd verba prolata ab homine, dupliciter conſideranda ſunt, vel in quantum videlicet à ſpiritu ſuggeſta ſunt, vel in quantum ab ipſo homine cogitata ſunt: ſic primo modo nulli dubium eſt, quòd verba huiuſmodi prolata ab ipſo homine non ſint omni veritate plena, quia à ſpiritu veritatis procedẽtia. Idcirco Chriſtus de Apoſt. vera denuntiantibus locutus ait: Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Nã homo proferens verba à ſpiritu ſuggeſta, ſuper hominẽ dici poteſt. Idcirco & prænotatus Propheta, vt hanc veritatẽ poſſet exprimere, ſuper ſe eleuatus eſt ab iſto ſpiritu, quod & ſentiẽs ait, Ego dixi in ectaſi mea. Ob quod agnoſcens ſe conſecutum fuiſſe hoc munus, vt videlicet

Pſal. 115.
Ibidem.
Homo quãdo verũ dicat.
Mat. 10.
Ioan. 15.
Pſal. 115.

vera diceret, timens ne priuaretur illo, instanter rogauerat conuersus ad Deum, & dicens: Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque. Si verò homo consideratur inquantum quod loquitur ex se cogitat, sustentari non potest quòd illud quod loquitur non sit vaniloquium & mēdacium. Quid enim boni ab illo cogitari potest, aut ab eius ore proferri de quo dicitur: Prauū est cor hominis? Profectò & de humanis cogitationibus illud scribitur apud Prophetam: Nouit dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Idcirco, vt tam Prophetæ, quàm Apostoli, & cæteri sancti vera denuntiarent populis, relinqueréntque in libris suis tradidit illis Deus spiritum sanctum, vt Petrus posset confidenter dicere: Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Et sic liquidò patet quid dicendum.

Psal. 118. *Hiere. 17* *Psal. 13.* *2. Pet. 1.*

CONTRAPO. CXXXVI.

Psal. 104 *Psal. 10.*

MVltiplicati valde leguntur Israëlitæ.
Pauci facti fuêre prænotati, dicitur infrá.

Si pauci facti fuerūt, quomodo multiplicati? & si multiplicati, quomodo pauci fuerunt effecti? Idcirco & huic quæ nil in se contradictionis videtur includere dicendum placuit, quòd non obstat, quòd alia causa alióue tempore, & multiplicati, & pauci facti fuerint prænotati. Quanquam aliter explanantes præmissa, possemus dicere, primam esse referendam ad populum fidelem in Christo crediturum, quod & longè antea Deus promiserat Abrahæ fideli. Quod & demum adimpletum nouimus in primitiua Ecclesia. Idcirco Lucas in Actibus deposuit, dicens: Et multiplicabatur numerus discipulorum in Hierusalem valde, quanquam pluries expugnati ob rabiem persecutionum tyrānorum principum pauci efficerentur aliquando. Idcirco Ecclesia prophetali spiritu præuenta, conquesta fuit in Psalm. dicens: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. Vel aliter dicamus ad præmissa, quòd tunc carnalis Israël fuerat diminutus numero, quando spiritualis creuit multiplicatus in fide. Quod & illa prophetissa liquidò præfigurauerat

Gene. 13. *Act. 6.* *Psal. 128* *Carnalis Israel quando diminutus fuit.*

dum in suo cantico cecinit, dicens: Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est. Vtique aucta Ecclesia, infirmata est synagoga. Licet ad hanc secundam adhuc possemus dicere, & non ab re, ꝙ videlicet non minus referenda sit ad peruersos hæreticos, qui suis nugis, buccis, ac doctrinis erroneis & suspectis totum repleuerunt orbem, subuertentes simplicem ac fidelem populum suis venenatis dogmatibus & traditionibus, & taliter vt aliquando fideles pauci efficerentur. Et sic patet quid fuerat dicendum. 1. Reg. 2.

CONTRAPO. CXXXVII.

MIsericordia Domini præueniet me. Psal. 58.
Misericordia Domini subsequetur me. Psal. 22.

Profectò si misericordia Domini nos præuenire dicitur, quomodo nos subsequitur? Quod enim præuenit, subsequi non dicitur? Idcirco & huic pariter nouimus respondendum, dicentes, quòd Deus sua vnitissima misericordia, & nos aliquando præuenit, & aliquãdo subsequi dicitur: præuenit quidem, dum dona sua naturalia gratis cõfert, pariter & gratuita, & hoc absque vllis meritis nostris, dum lumen suæ gratiæ abundanter expandit super nos, vt illo mediante bona cogitare valeamus: subsequitur verò dum bona cogitata, vt opere compleamus, opem fert nobis & adiuuat. Quorum neutrũ sine illius præsidio possemus facere, iuxta illud: Sine me nihil potestis facere. Idcirco mater Ecclesia sacro præuenta spiritu rogabat supplex, vt sui fideles nõ solùm essent præuenti cogitantes bonum, sed pariter vt bonum ab illis incœptum Dei munere, eodem prosequerẽtur fauore. Dicit enim in illa oratione cuius exordium tale esse nouimus, Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Sit ergo harum præmissarum sensus, ꝙ Deus illa sua vnica misericordia, qua ad conferendam gratiam nos præuenire dignatur, illa eadem non deest cooperans & subsequens ad custodiam, quæ non minus ne-

Deus quãdo nos præuenit, & quãdo subsequitur.

Ioan. 15.

cessaria agnoscitur ad conseruandum, quàm illa præuẽtrix ad bonum inchoandum. Hæc autem misericordia præueniens, quamuis donum Dei sit, est tamen donum minus perfectum, & variis naturæ casibus expositum: sed illa subsequens qua statim nullo mediante iustificamur, est donum perfectum, & datum optimum desur-
August. sum veniens, & descendens à patre luminum, per quam Dei dilectionem, ac peccatorum remissioné consequi-
Philip. 2. mur. De hac enim misericordia Augustinus locutus ait: Misericordia Domini aliquando nolentem præuenit, vt bonum velit: volentem adiuuat, vt perficiat: subsequitur operantem, vt perseueret. Et hoc est quod Paulus vnico sermone clauserat, dicẽs: Deus est qui in nobis operatur, & velle, & perficere. Et sic præmissæ intellectæ seruantur absque vlla contradictione illæsæ.

CONTRAPO. CXXXVIII.

Psal. 54. MOrtem venire super impios precatur *Psal.*
Ibidem. *Descendant impij in infernum viuentes.*

Si mortem venire super impios precatus fuerat Vates, cur infrà in prænotato Psal. vt præfati descendant in infernum viuentes, rogans subiunxit? Quibus pro responsione dicendum placuit, quòd quamuis de morte peccati posit primum intelligi, quam idcirco super impium venire precatur, quia super illum dominium habere dicitur, iuxta illud: Qui facit peccatum, seruus est pec-
Rom. 6. cati: nihilominus & de diabolo potissimùm litera intelligenda est, qui pariter ob peccatum commissum, impe-
Ibidem. rium habere dicitur in hominem impium. Idcirco Apo-
Psal. 54. stolus hoc agnoscens, ait: Serui estis, cui obedistis. Hunc enim, vt in vltionem diuinæ iustitiæ veniat super impios precatur memoratus Vates, vt sic cum illo gehennalibus flammis cruciandi in infernum descendentes
Her. ver. detrudantur. Quamquam Hebraïca veritas non contineat in infernum, sed in foueam, quam supple ipsimet foderunt peccantes, iuxta illud alterius Psalm. dicentis:
Psal. 7. Et inciderunt in foueam quam foderunt. Licet ad alteram, quam & monitoriam esse nouimus possemus dice-

re, quòd Vates idcirco hortatur impios, vt dum viuentes ſunt, & tempus pœnitentiæ habent, in infernum deſcendant per contemplationem, ne impœnitentes ibidem deſcendant per æternam damnationem: deſcendant per timorem, ne deſcendant per rigorem: deſcendant per voluntatem, ne deſcendant delati per diabolum violenter. Qui ſi ſic deſcenderint prophetali moniti conſilio, vtilius illis erit quàm ſi non correcti viuentes, deſcenderint morte cruciandi perpetué. *Pſal. 54.*

CONTRAPO. CXXXIX.

Miſericordia & veritas vniuerſæ viæ Domini. *Pſal. 24.*
Omnes viæ Domini veritas, alibi. *Pſal. 118.*

Si omnes vias Domini veritas cõtinere dicitur, quas continebit miſericordia quæ veritati in prima fuit addita? Et huic pariter quæ nullã prorſus in ſe contradictionem videtur cõtinere, dicendũ placuit, ꝙ illud quod in vna non expreſſerat Vates, in altera addit. Hæc enim duo, miſericordia videlicet & veritas, ſunt vnũ in Deo, ſemper concurrentia pari paſſu in eius opere, altero videlicet condonando peccata, altero iudicando merita. Profectò Deus quicquid facit, aut miſericorditer facit condonans, aut iuſtè demerita puniens, quod & liquidò patet teſtamentum Domini requirentibus. Nec conſueuit Deus gladium ſuæ iuſtitię ſuper peccatores euaginare, niſi prius illum immergat in fonte ſuæ miſericordiæ. Quod & nouerat ille, qui in ſuo cantico cecinerat, dicẽs conuerſus ad Deum: Cùm iratus fueris, miſericordię recordaberis. Hoc autem prouenit, quia ipſe pronior ad miſerandũ cernitur quàm ad puniendum, cùm non puniat ſecundum demerita, ſed citra condignum. Nam ſi ſecundum quantitatem delictorum puniret hominem, quis ſuſtinere poſſet rigorem ſuæ iuſtitiæ? Concludentes igitur placuit dicere, ꝙ licet prænotata non agnoſcãtur in Deo diſtincta, apparent tamen illarum diſtincti effectus (miſereri videlicet & iraſci) quamquam alterũ, videlicet miſericordia, ſuperexaltet iudicium quod irę ſuę effectum eſſe agnoſcimus, ſed miſericordiæ proprium.

Miſericordia & veritas pari paſſu currunt in Deo.

Abac. 1. *Pſal. 118.* *Pſal. 129.*

Miſereri proprium Dei. *Iaco. 2.*

CONTRAPO. CXL.

Psal.113. *Omnes declinauerunt à lege Dei.*
Psal.118. *David à lege Dei non declinasse dicitur.*

Si taliter declinauerant omnes à lege Dei post Adæ lapsum, vt non esset qui bonum faceret vsque ad vnum, quo fauore seu quo præsidio exemptus fuit memoratus Propheta, vt à lege Dei se non declinasse diceret? Huic quoque quam absque contradictione vlla esse cernimus, dicendum placuit, quòd nõ de David carnali, sed mystico altera est intelligenda, qui solus inter homines sic ambulauit, vt non declinauerit à recto calle, sed in lege
Ioan.14. ge Domini semper incedens seipsum tradidit in via, &
Psal.113. exemplar imitandum, ita vt diceret: Ego sum via: sed de cæteris aliis prima intelligenda est, qui viam peccatorũ
Rom.3. incedentes declinarunt à lege Dei, Quod & ille nouerat, qui ait: Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei. Idcirco modò erecti & deducti in recto itinere per Saluatorem nostrum, sequamur ipsum, ne rursus claudicantes, in peccatorum foueam submergamur. Viæ autem quas debemus sequi sunt illæ de quibus dicitur: Nouit Dominus vias iustorum. Hæ enim semper à dextris sunt, condu-
Psal.1. centes nos recto cursu ad patriam, vt lętemur cũ sanctis angelis Dei. Et sic patet quid ad pręmissa fuit dicendum.

CONTRAPO. CXLI.

Psal. 44. *Patrem audire iubetur anima.*
Ibidem. *Patrem obliuisci hortatur infrà.*

Si vt patrem obliuiscatur, iubetur anima, quomodo vt illũ audiat pręmittitur in alia? Idcirco & huic, quæ nil contradictionis videtur includere, placuit dicendum, quòd illum patrem præcipitur obliuisci anima, cuius fi-
Diabolus quomodo in anima regnet. lia per peccatum fuerat effecta. In illa enim tunc tanquam in propria domo regnat diabolus: quem nisi per pœnitentiam à se expulerit anima, vocem cœlestis minimè audire poterit sibi loquentis dulciter, & dicentis:
Psal. 44. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, supple ad me verum & vnicum patrem tuum per creationem, dilectũ

sponsum

ſponſum per fidem,& verum fratrem per carnem aſſumptam:inclina inquam,aurem tuam interiorem quam tibi ſynceram tradidi,& audi verba mea & ſupplex effecta dic cum Propheta regio : Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.Sed ſcito , quòd me audire non poteris niſi illum obliuiſcaris, cuius per fraudem effecta fueras filia. Audi dico me patrem tuum , & illum obliuiſcere, cui prius renuntiaſti veniens ad baptiſma, vt totam tuam ſpem in me locares, qui mundo renuntiantibus mãſionem paro in cœlis.Et ſic patet quid dicendum. *Pſal.84.* *Pſal.44.*

CONTRAPO. CXLII.

SAcrificium Deo immolare mandamur. *Pſal.49.*
Sacrificium dediſſem ſi voluiſſes. *Pſal.50.*

Mirum quippe videtur,vt ille qui aliis ſacrificium immolare mandauerat,ſeſe idoneum non eſſe ſacrificium offerre iudicauerit.Nam ſi ſacrificium non eſſe Deo gratum nouerat,cur alios vt illud immolēt hortatus eſt? Quibus ſic nouimus reſpondendum,dicentes,quòd nõ obſtat,vt quis hortetur alterum aliquid facere quod ipſe prępeditus facere nequit.Nouerat enim Vates ſe nullatenus eſſe idoneum,ſacrificium offerre ob adulterium commiſſum cum homicidio, cùm adhuc pacatum non eſſet tribunal iuſtitiæ,nec poſſe pacari nouerat oblatione pecoris trucidati,ſed duntaxat propria interueniente morte,vt lex mandabat.Peccauerat enim (vt aliâs præfati ſumus) peccato Auon,quod & expiari non poterat niſi morte propria. Sit ergo alterius ſenſus,Sacrificium ego dediſſem pro reatu commiſſo,ſed noui te nolle pacari animalium holocauſtis.In altero verò illud ſacrificiũ offerre hortatus eſt,quod in interiori homine perficiendũ nouerat, de quo & poſtmodũ Paulus Epheſios alloquẽs, ait : Obſecro vos per miſericordiam Dei vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem , &c. Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque vlla contradictione. *2.Reg.11.* *Verum ſacrificium vnde perficiatur.* *Epheſ.3.*

CONTRAPO. CXLIII.

VEſpere,mane,& meridie narrabo. *Pſal.54.*
Septies in die laudem dixi tibi. *Pſal.118.*

Si laudes Domino persoluendas in septem distinxerat horas, cur ad minorem numerum postea se restrinxerat? Et huic quę nullam penitus sapit contradictioné, placuit dicendũ, quòd per illa tria diei spacia totam ętatem hominis mysticè intelligi placuit. Nam per mane pueritia, per meridiem verò iuuentus, sed per illud vespere, senectus forsan intelligenda est, quibus homo fidelis in laudem omnipotentis Dei se exponere debet, vt *Mat. 20.* nulla hominis intelligatur ætas huiusmodi obsequio nõ idonea esse. Ex denario enim diurno tã primi, quàm nouissimi remuneraturi sunt à patre familiâs. Quanquam possemus dicere, quòd non obstat, quòd Propheta illa tria tempora vnà cum nocte media potissimũ elegerit ad enarranda Dei iudicia & testimonia, & quòd etiam totam hanc diem in septem distinxerit horas ad persol- *Psal. 118.* uendas diuinas laudes in tẽplo. Sic enim forsan (vt credimus) instructus à spiritu sancto fieri nouerat ab angelis in illis supernis choris. Vel si placet, dicamus, quòd illa tria tempora Propheta elegerat ad Deum laudandũ, vt influxum solaris luminis in se attraheret, qui (vt experimento nouimus) in quatuor cœli cardinibus diebus singulis circũuoluitur. Quanquam, & de supramundano isti cœlesti correspondenti potissimũ sit sensus intelligẽ- *Cabalistæ* dus, vt Cabalistæ norunt. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CXLIIII.

Psal. 33. S*Emper laus eius in ore meo.*
Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.*

Efficax enim desiderium quod cõtinuum semper habebat laudandi Deum designatur in primo, licet (vt *Horæ planetanæ.* in præcedenti prętulimus) in septem deputauerit horas: septenario enim numero totum circunuoluitur tempus. *Planetarum ordo.* Nam sicùti toto anni tempore dies continet horas duodecim, quas & planetas vocant: sic post quodlibet septe- *Sol.* narium horarum istarum mutatur ordo præsidentium *Venus.* planetarum. Nam, vt aiunt, qui scientię astrologicæ non *Mercurius.* sunt ignari, prima hora diei naturalis dominici Soli debetur, secunda verò Veneri, tertia autem Mercurio,

quarta Lunæ, quinta Saturno, sexta Ioui, sed septima Marti debetur. Demum à Sole rursus inchoandum est aliud septenarium, quousque dies ista dominica in suo ordine compleatur: pari modo arbitramur procedēdum in aliis diebus hebdomadæ. Vel dicamus, vt Augustino placet, quòd secunda sententia per figuram synecdochen est explananda, videlicet procedentes à parte ad totū. Valet nanq; secunda iuxta præfatum Aug. ac si diceremus, Septies in die laudem dixi tibi, id est, semper laus tua sit in ore meo. Profectò prima secundum ipsum, secundam infert. Vel si ad sublimiora velimus cōscendere, dicemus ꝙ Vates regius non ab re statuit laudem dicere in septenario numero. Nouerat enim cū esset diuino flamine plenus, septenarium numerum ex quaternario, & ternario constare, quæ partes ipsum septenarium honorabilē reddunt. Habent enim istę partes maximā excellentiā, quia artificis, & materiæ vidētur exprimere & distinguere primas substantias. Nam ternarius numerus Creatorē, propter trinitatem enūtiat. Et quaternarius creaturam propter quatuor elementa, quæ rerum omnium causæ sunt, & semina. Vel dicamus ꝙ idcirco septenarius numerus tanquam sacer & idoneus fuit electus ad persoluendas diuinas laudes, quia solus iste numerus hoc gaudet priuilegio ꝙ septies reuolutus quinquagesimum efficit, addito monade, qui præsentis sæculi meta, & futuri initiū sub octauæ nomine continens sic præsentia terminat, vt nos ad perpetua introducat. Nam sanctus hic numerus à Conditore mundi auctoritatem obtinuit, quoniam in sex diebus Dei opera patrata sunt, & septima consecrata quieti, quasi sancta: ob quod præceptum fuit vt ociamur in eo corporaliter quantum permittit viuēdi necessitas, & mentaliter post voluptatis purgationem diuinis intenti simus, & festiuiter cum omni tranquillitate res sacras laudemus. Et sic patet quid erat dicendum.

Luna. Saturnus Iuppiter. Mars.

Septenarius numerus honorabilis.

CONTRAPO. CXLV.

SVper solium Dauid filius sedere debebat in æternum. *Psal. 131.*
Super præfatum solium filium sedere minimè videmus.

Si teste Deo filius Dauid sessurus erat in æternum super solium Dauid, cur hoc non habuit locũ? Nónne dici-
Psal. 118. tur quod verbum domini manet inęternum? Idcirco & huic quæ omni caret controuersia placuit dicendum, de spiritali regno primam intelligendam esse, in quo per fidem & charitatem sedere dicitur ille, qui filius Dauid,
Mat. 1. secundum carnem, vbique in scripturis dictus est. Profectò de hoc spiritali regno & sede locutus Euangelista ait: Et dabit illi dominus sedem Dauid patris eius. Nam
Luc. 1. quos carnalis Dauid temporaliter rexerat, hi aliquando seruabantur regendi à Christo spiritualiter, quo regno illustrandus est quousque inimicos suos ponat scabellũ
Psal. 109 suorum pedum: tunc enim, vt Paulus aperuit, traditurus
Heb. 10. est istud regnum Deo patri suo. Quanquam possemus dicere ad primam, quòd si filij Dauid carnalis bene se gessissent in regno, forsan quòd Dei promissio locum pariter habuisset in temporali regno, vt verba sequentia
Psal. 113. prænotati Psal. vidẽtur innuere. Et sic patet quid ad præmissa fuit dicendum.

CONTRAPO. CXLVI.

Psal. 2. *Seruite Domino in timore.*
Psal. 99. *Seruite Domino in lætitia.*

Si in timore domini, seruitus nostra perficienda est, quomodo in lætitia fieri poterit? Nam lætari nequit, qui seruiendo timet. Et huic præter alia quæ nos dixisse recolimus, & illud superaddendum nouimus, dicentes, ꝙ de timore casto & filiali prima est intelligenda: qui quidem timor tantæ perfectionis esse dicitur, vt si fidem vnà cum dilectione Dei sequatur, animæ puritatem operari dicitur: eò quòd animæ purificatio in nullo alio cõsistit quàm in tergẽdo terrenarum cogitationum sordẽ atque rubiginem, quæ animam suapte natura purã maculant ac coinquinant, vt in ea relucere nequeat æternæ veritatis imago: omne enim peccatum, inquit Sapiens, Dei timor expellit. Hic autem timor nunquã sine lætitia potest reperiri. Sed & seruitus cum hoc timore peracta, taliter munit hominem, ac audacem facit, vt illum

Timor castus nunquã sine lætitia.

peccare nõ ſinat:quin potius illum ab omni peccato retrahit, ſicuti frenum retrahit equum à præcipitio, vt qui ſtat videat ne cadat. Idcirco de huiuſmodi ſeruitute documentum tradens quiſpiam, ait: Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore. Dicitur verò in lętitia & hilaritate animi fieri hæc ſeruitus, dum non neceſsitudine ſeruiuitè, ſed ſponte ac lęto animo à nobis perficitur, vt ſic Deo noſtra ſeruitus efficiatur grata nobíſque proficua, iuxta illud Pauli dicẽtis: Hilarem enim datorem diligit Deus: ſecus autẽ illam faciẽtes, minimi valoris erit. Nec obſtat ſi aliquando in huiuſmodi diuino ſeruitio aliquid moleſtiæ patimur propter Deũ, quia illud poſtmodum in lætitia conuertendum eſt, iuxta illud Saluatoris apoſtolis dictum, Triſtitia veſtra cõuertetur in gaudiũ. Rogandus eſt ergo Deus, vt ſic hanc lætitiã aſpergat in nobis, & timorem incutiat, vt de dulcedine iocũditatis perducat nos ad ſedem ſecuritatis. Sit ergo ſeruitus noſtra cum timore, vt noſtram operemur ſalutem.

1. Cor. 10. *Eccle. 2.* *Ibidem.* *Pſal. 53.* *1. Cor. 9.* *Ioan. 16.*

CONTRAPO. CXLVII.

Tempeſtas demerſit me. *Pſal. 98.*
Non me demergat tempeſtas. Ibidem.

Si tempeſtas demerſerat illum, cur in altero, ac ſi tẽpeſtas illum non demerſiſſet, rogat ne demergatur? Anne forſan in primo ſuam accuſauit iniquitatem, qua taliter fuerat demerſus, vt diceret in alio Pſalm. Quoniam iniquitates meæ grauatæ ſunt ſuper me? Profectò hoc in loco per tempeſtatem, iniquitatem non incõgruè intelligi placuit, à qua poſtmodum ſentiens ſe fuiſſe ereptum Dei clementia, rogabat ſupplex, ne rurſum demergere ur in illa. Quanquã forſan præmiſſa de Dauid myſtico, non ab re poſſent int-lligi, qui perſecutorum rabie taliter in primitiua Eccleſia perpeſſus fuerat in ſuis mẽbris, vt pene videretur demerſus: ſed patris p:æſidio adiutus, fuit ereptus. Idcirco ne in huiuſmodi membris prorſus deficeret, rogauit patrem in cruce poſitus ne demergeretur, & exaudiri meruit pro reuerẽtia. Profectò quicquid in ſuis membris illatum nouerat, hoc in ſeipſo

Pſal. 37. *Pſal. 68.* *Chriſtus valde perpeſſus in ſuis membru.* *Heb. 5.* *Mat. 25.*

illatum iudicabat. Idcirco dixerat Paulo sua persequen-
Act.9. ti membra: Quid me persequeris?

CONTRAPO. CXLVIII.

Psal.144 TRibulationem & dolorem inueni.
Psal.118. *Tribulatio & angustia inuenerunt me.*
Si Propheta inuenerat tribulationes, quomodo ex aduerso dicitur ꝙ tribulatio illum inuenerit? Idcirco & huic sic respondendum arbitramur, dicentes, & contemplantes geminam esse tribulationem in mundo, alteram
Tribulatio duplex. quippe nos inueniens, qua probamur non minus quàm aurum in fornace: ipsa enim propter quatuor nobis datur, scilicet, aut vt in nobis Christus glorificetur, vt patet
Eccle. 27 in cæco à natiuitate, aut vt meritum cumuletur datur ali
Ioan.9. quando, vt in Iob, aut idcirco datur, vt fastus non domi-
Iob 2. netur, vt in Paulo patet: aut verò datur, vt culpa huiusmo
2.Cor.12. di pœnis expietur, vt exemplum habemus Mariæ lepro-
Num.12. sæ. Hanc si pro Dei amore tolleramus patienter, ma-
Tribulatio quàm vtilis. gnum ex illa reportamus emolumentum, scientes illam pati nos oportere, si regnum cœlorum nobis paratū adipisci desideramus, (vti Paulus nouerat) cuius tribulatio-
Act.14. nis virtutem in se agnoscens, in illa potissimùm didice-
Rom.5. rat gloriari. Hanc nec iustus homo potest effugere, iux-
Psal.33. ta illud Psalm. Multæ tribulationes iustorum. De hac pa
August. riter Augustinus locutus, dicebat: Quando hîc bene est, tribulatio statim adest, quæ in homine proficere nequit si mentis prauitas non corrigatur in illo. De hac enim
Isidorus. Isidorus sermonem faciens, ait: Semper Deus hîc hos vulnerat tribulationibus quos ad salutem perpetuam
Grego. præparat. Et Gregorius pariter dixerat in Moralibus: Aurem cordis tribulatio aperit, quàm sæpe prosperitas huius mundi claudit. Hac pariter Deus coronat homi-
Esa.22. nem, sicuti nouerat ille qui dixit in Psal. Coronans coro-
Homo quam tribulationē inueniat. nabit te dominus tribulatione. Sunt verò & aliarū tribulationum species, quas quodāmodo homo dicitur inuenire, dum videlicet suam humiliter culpam agnoscens tristatur, & dolet, & Deum festinanter adiens disponit se ad tollerandum patienter omnia aduersa, dicens cum

Propheta regio: Quoniā ego in flagellis paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Sic ergo præmissis intellectis, in nullo prorsus cōtrariari cernuntur. *Psal.* 37.

CONTRAPO. CXLIX.

Vim faciebant quærentes animam meam. *Psal.* 37.
Non est qui requirat animam meam. *Psal.* 141.

Si non erat qui animam suam quæreret, cur in altera conquestus dixerat, quòd vim faciebant quærentes animam suam? Et huic pariter nouimus respondendum, dicentes, quòd de Dauid mystico, & non de carnali præmissa intelligēda sunt, in quem frementes impij Iudæi, sicut frenetici, quærebant illum præcipitem dare. Sed ille plerunque per medium illorum transiens ibat, quousque veniret hora in qua sponte se offerens quærētibus, permisit se capi, percuti, & crucifigi. Sicuti vaticinio præmiserat, dicens ore Prophetico: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Quanquam & alios agnoscamus diuersimode quæsiuisse animā Christi. Sunt nanque illam quærentes, vt conseruent & saluent, & sunt qui illam quærunt, perdant & mactent. Quærunt vt saluent hi, qui carnem suam crucifigunt, & macerant cum vitiis, & concupiscentiis, vt sic castigati in carne tanquam purgata, idonea membra incorporētur illi spiritualiter. Hi enim sic illum quærentes inuenire merentur, quibus dum pulsant aperit, vt intrantes inueniant. Sic enim illum quæsierat sponsa in canticis & inuenire meruit. Sed non prius illum reperit quàm custodes murorum transierit, quibus carnales sensus nobis figurantur. Quæsierat illum pariter & Magdalena, & inuenit. Sed cæcutientes Iudæi eum quærentes neci dare, non sic inuenerunt spiritualiter, licet occiderint corporaliter. Idcirco ipse de illis conquestus ait: Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam. Sic pariter illum in vanum quærere dicuntur, qui suis blasphemiis, & obtrectationibus eum continuè lacerant malè viuentes. Et sic seruantur præmissa absque vlla contradictione illæsa.

Psal. 2. *Luc.* 4. *Esa.* 50. *Animā Christi quærētes.* *Ioan.* 10. *Galat.* 5. *Mat.* 7. *Cant.* 3. *Ioan.* 20. *Ioan.* 7. *Psal.* 62.

CONTRAPO. CL.

Psal.118. VIam mandatorum cucurri.
Ibidem. Deduc me in semitam mandatorum tuorum.

Si viam mandatorum se cucurrisse gaudebat Propheta, cur ac si illam non cucurrisset, rogauit in illam deduci? Huic autem quæ omni controuersia caret dicendum placuit, contemplantes in præmissis duos gradus concurrentium istam viam, proficientium videlicet, & perfectorum. Qui enim communi cursu hanc viam mandatorum Dei perrexerat, hic proculdubio, vt potiora probet, in semitam petit deduci in altero, vt sensus sit ei profundior. Profectò per semitam hoc in
Mat.7. loco viam illam significari non hæsitamus, quæ arcta & angusta dicitur, viatorem deducens in cœlum, quam Saluatore atteſtante pauci perambulant. Quanquam præmissas aliter exponentes possemus dicere ad primã, Christi verba illa fuisse, qui solus inter omnes viam
Allegoria. hanc mandatorum Dei recto cursu cucurrerat, qui pro suis membris rogauit in altera, vt & illi in hanc semi-
Psal.118. tam deducerentur pariter. Ex quibus elicimus, quòd non sufficit ad salutem viam cucurrisse decalogi, sed oportere currentem huiusmodi, Christum secum habere comitem in cursu, qui vt ostenderet se viam esse cur-
Ioan.14. rentibus, seipsum in formam tradidit, vt diceret, Ego sum via. Nouerat enim legem illam veterem, hominem non posse iustum facere, cùm ad hoc non se extendat,
Legis effectus. sed duntaxat illum bonis operibus plenum ad se iustificatorem transmittit. Quod mysterium aperuerat ille
Rom.10. qui ait: Finis legis Christus in iustitiam omni in se credenti.

CONTRAPO. CLI.

Psal.18. DElicta quis intelligit?
Psal.31. Delictum cognitum tibi feci.

Quomodo delictum suum cognitum Deo fecerat Vates, si non est qui delicta intelligere posit? Arbitramur in primo numerositatem delictorum intelligendam esse, quam sub humana computatione minimè cō-

tineri iudicauerat. Quis enim hominum tam ſagax, tam prudens, támque memorali prædiṫus virtute inueniri poteſt, qui omnium ſuorum delictorum multitudinem dinumerare valeat, cùm non ſit danda dies, momentum, vel hora, qua quis corde, ore vel opere non offendat Deum? Quod verò in altera ſubnexum eſt, hoc de adultero perpetrato cum Berſabeæ, & homicidio Vriæ coniugis intelligendum placuit. Hinc calumniandus eſt error quorundã inſipiẽtium Talmudiſtarum dicentium in libro Sabath, quòd rex Dauid non peccauit dum ſe coëunte cum Berſabeæ miſit Vriam coniugem ad mortem. Ipſe enim humili ac accuſatoria confeſsione Deum præueniens, culpam ſuam agnoſcens, ait: Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper: vel melius dicas ſecundum Hebræum, Coram me. Ob quod quia ſic humiliter & lachrymabiliter Deo notum fecerat reatum ſuum, idcirco indulgentiam illius meruit obtinere, dicente illi Nathan Propheta: Dominus tranſtulit peccatum tuum. Et ſic patet quid dicendum.

Homo ſemper Deum offendit.
2. Reg. 1.
Pſal. 50
Pſal. 31.
2. Reg. 12.

CONTRAPO. CLII.

Pſal. 17.
Deut. 32.

DEus qui das vindictas mihi.
Mihi vindictam, & ego retribuam.

Si Deus ſibi tanquam iuſto & veraci iudici omnium tranſgreſsionum vindictam reſeruat, vt vicem tribuat, cur Vates regius vindictam ſibi fuiſſe datam à Deo atteſtatus eſt? Idcirco & huic, quæ nil contradictionis in ſe continet, placuit dicendum, quòd non obſtat, quòd Deus aliquam vindictam ſibi reſeruare dicatur, & quòd pariter poteſtatem dederit Prophetæ vindictam facere: illam enim vindictam potiſsimùm nouimus Deum ſibi reſeruare faciendam quæ contra oppreſſores pauperum, pupillorum, ac viduarum verſatur, qui aliunde non habent vnde ab oppreſsionibus releuentur: quod & vaticinio præcognouerat ille, qui de huiuſmodi oppreſsis locutus, ait: Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.

Deus quã vindictã ſibi reſeruat.
Pſal. 139.
Pſal. 145.

Quanquam & de alia vindicta non expurgata in hoc sæculo litera posset intelligi, cùm non permittat Deus malum esse impunitum, qui non secundum visionem oculorum, neque secundum auditum aurium, iudicium habet inferre, sed prout in corde versari cognouerit. Nam cùm crebris, immo continuis offensis irritetur Deus, indignationem suam tamen temperat, & præstitutũ semel retributionis diem pariter expectat, cúmque habet in potestate vindictam, mauult diu tenere patiẽtiam sustinens, vt si fieri potest, multum malitia protracta aliquando mutetur, & homo in errorum & scelerum cõtagione volutatus, vel serò ad Dominum conuertatur. Ad aliam verò dicendum placuit, quòd de
Psal. 2. iudicio præsidentiæ intelligenda est. Quam illi, tãquam regi, Deus tribuerat vicem suam in terris gerenti. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CLIII.

Psal. 88. NEmo hominum viuens qui mortem non videat.
Psal. 117. *Non moriar, sed viuam, & narrabo, &c.*

Mirum quippe videtur, vt ille qui iam experimẽto didicerat omnem hominem necessariò moriturum esse, putauerit se non mori: ait enim in altero: Non moriar. Sed si verborum seriem contemplari placuerit, proculdubio inueniemus vtrunque maxima cum veritate
Psal. 88. fuisse prolatum. Profectò quando dixit: Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem? hoc de corporali morte intelligi voluit, quam incursurum nouerat omnem hominem ob Adæ lapsum. Sed de peccati morte locutus est in sequenti, quam iustus homo nullatenus est incursurus. Quem gradum forsan se cõsecutum esse agnoscens Propheta iudicauit se moriturũ non esse amplius æternaliter. Idcirco addiderat in prænotato loco:
Psal. 117. Sed viuã, vita gratiæ videlicet in præsenti, & vita gloriæ in alio sæculo, dum constitutus in patria sumens cytharam decem cordarum decantabit vnà cum sanctis angelis enarrans mirabilia Dei, iuxta illud quod alibi di-
Psal. 83. xerat: Qui habitãt in domo tua Domine in sæcula sæculorum laudabunt te. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CLXIII. *Psal. 46.* *Psal. vlti.*

R*Ex omnis terræ, Deus dicitur.*
Reges terræ, &c. dicitur infrà.
Profectò si totius vniuersi, ac omnis terræ Deus dicitur esse rex & Dominus, cuius terræ dicendi sunt reges, qui in sequenti commemorantur? An forsan extra vniuersum datur alia terra, cuius isti sint reges? Idcirco, & huic pariter sic respondendum arbitramur dicentes, quòd alia relatione Deus dicitur rex vniuersæ terræ, & alia homines in regia constituti dignitate. Vtique isti limitatè & diffinitè dicuntur reges, regnantes videlicet super vnum regnum tantùm: qui tunc fœliciter super regnum regnare dicuntur, si iustè imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, & salutantium non extolluntur, sed homines se esse recolunt, si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum maiestati eius famulam faciunt, si Deum timent, diligunt, colunt, si plus amant illud regnum vbi non timent habere consortes, si tardius vindicant, & facilè ignoscant, si quod asperè coguntur plerunque discernere, misericordiæ lenitate & beneficiorum largitate compescunt. Et hæc omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem fœlicitatis æternæ: tales quippe fœlices dicimus esse reges, interim spe, postea re ipsa futuros. Sic enim agentes & regentes: conformes redduntur illi, qui omnium regnorum dominium illimitatum continet, à quo & prænotati reges potestatem accipiunt, vt reges dicantur. Vtique (teste Paulo) Omnis potestas à domino Deo est. Illi quoque præsentis ac terreni regni potestatem continent, sed Deus omnium sæculorum principatum tenet, illi post regimen suis expletis diebus, vt homines moriuntur. Deus verò tanquam immortalis perseuerans regnaturus est in perpetuum. Idcirco illi soli tanquam primo, ac omnium regi, & Domino debetur honor, & gloria in sæcula sæculorum, vti Paulus docuerat vnà cum Ioanne, qui eum regem regum, & dominum dominantium esse confessus est.

Deus quo modo rex vniuersæ terræ.

Conditiones regum regnātiū.

Rom. 13.

Apo. 10.

1. Thi. 1.

Apoc. 10

CONTRAPO. CLV.

Psal. 94 PLorandum coram Domino psal. docuit.
Psal. 99. *Intrandum in exultatione, dicitur alibi.*

Si coram Domino plorandum Propheta docuerat, cur infrà cum exultatione intrandum ad illum præcepit? Non enim, vt cernimus, simul stare potest, vt quis plorans exultet coram aliquo. Vtique si plorat non exultat, & econuerso si exultat non plorat, nisi forsan alterum fingeret. Et huic quæ nonnihil sapit in se contradictionis, quam & pariter aliâs nos explanasse recolimus, nihilominus & modò arbitramur dicendum, vtrunque suo loco, & tempore nobis fore necessariū. Vtique plorandum nobis est & lugendum, dum plenos peccatis nos conspicientes coram illo prostrati effundimus corda nostra, vt ab illo indulgentiam obtineamus, sicuti edocemur ab illo qui in gemitu suo laborans per singulas noctes lectum suum lauabat. *Psal. 6.* Nouerat enim se dicturum alibi, quòd qui seminant in lachrymis in hoc mundo, iidem metent in exultatione in alio. Profectò sic agentibus nobis, tribunal iustitiæ Dei, quod ob peccata iratum fuerat aduersum nos, pacatum reddimus. Sed tunc exultare ac lætari debemus dum hanc indulgentiam quam precabamur donari nobis, consecuti sumus. Nam & de talibus sic exultantibus pro venia obtenta, illud alibi dicitur: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. *Psal. 31.* Vel dicamus si placet, quòd pariter lætari & exultare debemus totis cordis visceribus, dum ad illum accedimus, vt ei diuinas laudes die noctúque impendamus, & sic videtur esse verior sensus secundæ. *Psal. 99.* Sic ergo præmissis intellectis nulla in illis erit contradictio, cùm non sint intelligendæ respectu vnius, & eiusdem.

Homo quādo lætari debet, & exultare.

CONTRAPO. CLVI.

Psal. 88. M*Agnus super omnes qui sunt in circuitu eius.*
Psal. 144 *Magnitudinis Dei non est finis, alibi.*

Si magnitudo Dei talis videtur esse, vt non sit ei

finis, quos in circuitu ſuo patietur ſecũ eſſe? Profectò ſi quos patitur,non vtique infinitus eſt,quinpotius finitus eſſe agnoſcitur & terminatus,vt ipſe quaſi in medio poſitus ab aliis ſit circundatus.Idcirco ne inconcuſſam hãc quæſtionẽ relinquamus, dicendum placuit huic primæ, quam licet aliâs explanauerìmus, nihilominus & illud ſuperaddendum nouimus, dicentes, quòd per illam non excluduntur angeli,hanc(vt decet)maieſtatem circundantes, quibus ipſe Deus infinities maior eſt. Sunt enim angeli vnà cum ſanctis animabus ſtipatores Dei, qui& illi dono eius approximantur & cohærent.Ipſe verò Deus non ſolùm magnus dicitur in eſſentia,ſed pariter poteſtate,& maieſtate, non molis magnitudine, ſed infinitæ & immenſæ virtutis, cuius finis nuſquam eſt, incomprehenſibilis ab omni virtute creata. Idcirco caue præmonitus ne corruas, vt Deum exiſtimes alicuius menſuræ limitem quantitatémque,noſtri inſtar,ſubire. Sic igitur intellectis præmiſsis prima non contradicit alteri. *Deus quomodo magnus.*

CONTRAPO. CLVII.

Sede à dextris meis.
Sedet Dominus à dextris tuis.

Si pater(vti Propheta atteſtatus eſt)dixerat filio, Sede à dextris meis, quid eſt quòd quaſi econuerſo in ſequenti dicitur, quòd pater videlicet ad dexteram filij ſedeat? Vtique ſi pater ad dexteram filij ſedet, non ſedebit filius ad patris dexteram. Idcirco & harum primæ placuit dicendum, quòd dum pater introducitur dixiſſe filio:Sede à dextris meis, intelligendum eſt eum collocaſſe(vti Theologicè loquamur)in potioribusbonis ſuę diuinitatis, quod & adimpletum fuit poſt humanitatem aſſumptam,quando cœlos aſcendit. Ipſa enim beatitudo,dextera patris dicitur. Nec carnaliter intelligas, quia à dextris patris ſedeat,quia quicquid ibi eſt, dextera Dei eſt:Sedet autem ad patris dexteram, non vt maior, ſed vt æqualis patri. Sed & tu ſi vis eſſe ſedes Dei, *Pſal.109. Ibidem. Pſal.109.*

para locum in corde tuo, vbi Deus ſedeat, qui non ſedet niſi in dextera, hoc eſt in conſcientia piorum, quos & poſtea facit ſecum ſedere in dextera. Sedes ergo Dei tunc eris dum te purgaueris à terra, ſedes Dei eris quando in te fuerit plenitudo ſcientiæ. Sed ad alteram dum ſubinfertur, quòd pater ad filij dexteram ſedere dicitur, hoc eſſe intelligendum arbitramur de patris protectione, qua nuſquam caruit filius dum nobiſcum viator extitit, quod liquidò deſignauit, dum ait in Euangelio: Et qui miſit me non reliquit me ſolum. Quod & longè antea Prophetali vaticinio præmiſerat, dum dixit, Dominus mecum eſt tanquam bellator fortis, pariter & alibi dum ait: Quoniam tu es protector meus Domine. Sic ergo (vt præfati ſumus) intellectis præmiſſis, in nullo prorſus contrariantur.

Filius quomodo ſedeat ad patris dexteram. *Ioan.* 8. *Hie.* 20. *Pſal.* 30.

CONTRAPO. CLVIII.

Pſal. 67. *Pſal.* 102.

DEum Dominum in Eccleſiis benedicendum fore legimus. In omni loco dominationis eius benedicendus alibi.

Si mandatur animæ, vt in omni loco laudet & benedicat Dominum, cur alibi ab eodem reſtrictũ nouimus hoc mandatum, vt videlicet duntaxat in Eccleſiis benedicendus ſit Dominus? Et huic ſic nouimus reſpondendum, dicentes, quòd licet in omnni loco omníq; tẽpore Deum benedicere teneamur, quia vbique præſens vbique totus eſt, iuxta illud: Cœlum & terram ego impleo, nihilominus in Eccleſiis ſuo nomini conſecratis, potiſsimùm id perficiendum eſt: eo quòd Eccleſia tanquam domus ſua ſit locus aptus & idoneus orationi & benedictioni, quod & Saluator liquidò oſtẽdit, dum ait in Euangelio: Domus mea domus orationis eſt cunctis gentibus. Diligens autem ſui ſit qui orare proponit, cogitationéſque rectè diſponat, ne orando aut benedicendo perturbatione mens fluctuet, ad nihilúmque ei redigatur imploratio. Idcirco placuit dicendum, quòd ſpiritualis Eccleſia potiſsimùm hoc in loco intelligenda eſt, hoc eſt mens hominis, in qua per gratiam tota ſancta Trinitas ſedet & habitat tanquam in templo à ſe ſan-

Hier. 23. *Locus idoneus orationi.* *Mat.* 11. *Ioan.* 14.

ctificato,& excellentius quàm in templis manu artificis fabrefactis.Nam de ſpiritali Paulus allocutus Corinthios,ait:Vos enim eſtis templũ Dei,& alibi: Neſcitis,quia membra veſtra templum ſunt ſpiritus ſancti.De hoc tẽplo pariter locutus fuit,dum ſcribens ad diſcipulum Timothæum ait:Volo ergo viros orare in omni loco.Inde calumniandus eſt error quorundam inſipientium Talmudiſtarum dicentium in libro Bauabana non eſſe licitum orare hominem niſi facie verſa ad Aquilonem,ſeu ad meridiem, quia per primum diues efficitur, ſed per alterum euadit ſapiens.Et ſic ſeruantur pręmiſſa abſque contradictione vlla illæſa.

2.Cor.6. *1.Cor.6.* *1.Tim.2.*

CONTRAPO. CLIX.

DEus Syon inhabitare dicitur.
Deus qui habitat in hieruſalem.

Cur enim Syon inhabitare dicitur, qui in Hieruſalem ſuum thronum locauerat? Quibus pariter nouimus reſpondendum, dicentes præmiſſa nil in ſe contradictionis continere. Nam bene ſtat, vt illam ſupernam Hieruſalem dicatur Deus inhabitare, & quòd locus potiſsimus ſuæ habitationis ac reſidentiæ ſit Syon. Vtique in Archetypo vtranque eſſe nouimus, Hieruſalem videlicet & Syon. Quarum altera pacis viſio, altera verò ſpeculum interpretatur. De Syon enim, vt vaticinio præuiderat Eſaias, deſcendit lex, dum ait: De Syon exibit lex, ſed ab Hieruſalem diſſeminandum fuerat verbum. Quanquam & de fideli anima poſſent præmiſſæ intelligi, quæ tunc nomine Syon decoranda eſt, dum lucens & ſplendens vndique cernitur à peccatorum tenebris abſoluta, quam & tunc Deus inhabitare dicitur, iuxta illud: Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ.Hieruſalem verò pariter tunc efficitur,dum pacatis ſenſibus cum ratione, nulla rebellio ſentitur inter carnem & ſpiritum. Hæc enim anima ſic compoſita quanuis corpus viuificet & informet,Deo nihilominus duntaxat per gratiam viuere dicitur. De hac enim ani-

Pſal.131. *Pſal.124.* *Syõ locus reſidentiæ Dei.* *Eſa.2.* *Sap.7.* *Anima quomodo Hieruſalem efficiatur.* *Ephe.1.*

Ephes. 3. ma seu vita,& conuersatione in cœlo viuente dixit Apostolus:Nostra conuersatio in cœlis est. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CLX.

Psal.15. *Psal.24.* NOtas mihi fecisti vias vitæ.
Vias tuas Domine demonstra mihi.
Non enim à nobis hæsitandũ est,quòd viæ Domini nõ sint viæ vitæ. Sed cur Propheta illas sibi ostẽdi petiit,quas Deus sibi notas fecerat,vt in primo præmittitur? Huic quoque sic respondendum nouimus, dicentes ad præmissa,quòd licet Deus notas illi fecisset vias vitæ, non forsan plenè, sed semiplene duntaxat. Idcirco, vt ad plenum illas intelligeret, adhuc rogauit dicens:Vias tuas,&c.vt sic illis ad plenum cognitis, facilius declinaret à malis.Petiit ergo non vt indagator curiosus,sed vt Dei clementiam in illis cognitam,cęterispostmodum vias has palàm faceret tanquam tubicen & p̃co Dei. Vtique scire cupierat, cur peccatoris vita,tanta Dei sufferentia prolongaretur, cur opulentus est iniustus, & cur econuerso iustus tot pressuris & angustiis subiiciatur,cur hæc quidem condemnata,illa verò econtrariò beneficio sint affecta:vt & sic talia clarius cognoscens, Deum esse iustum iudicem pariter reuereatur, pariterque timeat, noscátque magnam erga pios esse misericordiam, & econtrariò summam esse æquitatem contra impios.Vel dicamussi placet,quòd Propheta hoc in loco in persona hominis cupientis incedere in mandatis Domini, illas vias sibi ostendi petiit per quas viator recto incedens itinere,ad illam terram promissionis peruenit, quæ viuentium terra dicitur. Sunt autem hæ tres viæ,Bonum cogitare,Bene loqui, & Bonum operari. Nam sicuti amatores mundi per malum cogitare, malum dicere,& malum facere ad infernũ perueniunt: sic ex aduerso per tres bonas deducuntur ad patriam, hi qui Deum diligunt, quem secum habent comitem in itinere.Hæ autem tres viæ figuratæ fuerunt per illam vnicam trium dierum,quam à Pharaone sibi concedi petierant

Ibidem.

Dauid tubicẽ Dei.

Abac.

Exod. 3.

tierant Israëlitę, vt in deserto sacrificarent Domino. Hāc quippe viam pariter petierat Salomon populo ostendi, dum orans in templo Deum deprecatus est, dicens: Et ostende eis viam bonam, per quam ambulent. Et sic patet quid fuerat ad præmissa dicendum. 2. Pa. 4.

CONTRAPO. CLXI.

Quare recessisti longe.
Propè es tu Domine. *Psal. 9.* *Psal. 118.*

Si Deus propter sui illimitationem totus vbique est præsens (vti omnis Scriptura attestatur) cur eum longè recessisse Propheta nouerat? Idcirco, & huic quæ nil prorsus contradictionis in se videtur includere, placuit dicendum, quòd licet Deus (vt præfati sumus) ob suam infinitam maiestatē sit semper omnibus præsens, tamen potissimum præsens dicitur omnibus se inuocantibus, sed non quibuslibet, sed se inuocantibus duntaxat in veritate, vt Vates in Psal. alio dixerat, qui videlicet ita prudenter & castè viuunt, vt semper ab illo mereantur exaudiri, dum clamant. Qui verò in peccatorum longinquitate ab illo recesserit, huic proculdubio non præstabit auditum, quia scriptum est: Longè à peccatoribus salus. Sunt tamen prope Deum, & non longè illa corda, quæ non sibi, sed Deo viuunt: non carni, sed animę: non sæculo, sed creatori omnium famulantur. Quāquam aliquando vexati & angustiati, ac spiritualibus non assueti putant eum elongatum habere præsidio, dum non sic citò iuxta illorum desiderium liberantur. Hi enim eum longè à se esse arbitrantur dum illis clamantibus subuenire retardat, occultè tamen, & quasi ex insperato tunc superueniens, fideles suos adiuuat, & defendit. Licet econuerso elongari dicatur ab impio non passibus, seu gressibus, sed protectione, & suffragio. Venit tamen econuerso ad eos qui conuertuntur ad illum: non facie, sed fide: non verbis, sed opere, & accedunt non carne, sed mente. Et sic patet quid fuit ad præmissa dicendum.

Deus quibus præsens dicitur. *Psal. 144* *Psal. 118.* *Homo quādo ppe Deū esse dicatur.* *Psal. 45.*

CONTRAPO. CLXII.

Psal.48. *INiquitas calcanei mei circundabit me.*
Psal.58. *Sine iniquitate cucurri, & direxi.*

Quomodo sine iniquitate cucurrerat ille, cuius calcanei iniquitas iã circundederat illũ? Et huic sic respondendum nouimus, dicentes, quòd non de Dauid carnali, sed de spirituali præmissa intelligenda sunt, contra quem Iudas calcaneũ leuauit, dum Pharisæos & Scribas adiens tradidit illum pro triginta argenteis. Iudas enim (vt quidam non ab re sentiunt) corporis Christi mystici fuit calcaneum. Idcirco ne diminuto pede homo mysticus claudicaret, Matthias loco eius suffectus est. Hic enim Dauid mysticus taliter sine iniquitate cucurrerat in stadio huius mũdi, & gressus direxerat in via mãdatorũ Dei, vt nunquam claudicauerit in peccato. Idcirco solus dicere poterat: Sine iniquitate cucurri. Quod nequaquã de carnali Dauid dicendum est, qui alibi suũ agnoscens reatum suámque accusans iniquitatem, dixerat: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Et sic seruantur præmissa absque contradictione vlla.

Ioan.13. *Iudas calcaneũ corporis Christi.* *Acto.1.* *Psal.58.* *Sol⁹ Christus sine iniquitate.* *Psal.50.*

CONTRAPO. CLXIII.

Psal.18. *DElicta quis intelligit?*
Psal.50. *Iniquitatem meam ego cognosco.*

Si vates suã agnoscẽs iniquitatẽ humiliter corã Deo se accusauerat, quid est, quòd delictorũ notitiã haberi fore impossibilem demonstrauit in altero? Et huic quanquam aliâs illam explanauerimus, nihilominus & in proposito illud adiiciendũ nouimus, ponentes primò differentiã inter peccatũ & delictũ. Nam peccatũ (vt Augustini vtar sentẽtia) est perpetratio mali, sed delictũ est desertio boni. Et quẽadmodũ in laudabili vita, aliud est declinare à malo, & aliud est facere bonũ: ita in dãnabili, aliud est declinare à bono, & aliud est facere mala: illud enim delictũ, hoc autẽ peccatũ est. Nã & ipsum vocabulũ si discutiatur, quid aliud sonat delictũ nisi derelictum: & qui delinquit, quid delinquit nisi bonum? Qui ergo peccatum facit prius delinquendo à bono cadit.

Delictum quid sit.

Possumus ergo dicere,& clarius,quòd illud delictum esse dicitur,quod imprudenter seu ignoranter quisque facit. Peccatum verò illud dicitur, quod à sciẽte committitur. Indifferenter tamen plerunque dicũtur, vt & peccatum nomine delicti, & delictum nomine peccati appellatur. Neque enim cùm dicitur in baptismo fieri remissio peccatorum,mentio fit delictorum. Et tamen vtrunque intelligitur. Dicamus ergo ad primam,ꝙ delicta difficilia dicuntur esse intellectu ob causas multiplices,videlicet,aut quia forsan non sunt homini in memoria, vel si sunt, aut quia reputat parua quæ magna sunt, aut quia forsan non reputat delicta quæ sunt, vel quia forsan(vt euenit plerunque)non vult illa intelligere, vt ab illis declinans bonum agat.Nec primæ obstat sequẽs, quia bene stat, vt suam iniquitatem Dauid agnosceret, qua Deum offenderat adulterium committens cum homicidio,& quòd suorum delictorum numerum inttelligere nõ valeret præ nimia multitudine.Et sic patet quid dicendum fuit ad præmissa.

Homo cur sua delicta nõ possit dinumerare. *Psal.35.*

CONTRAPO. CLXIIII.

QVi finxit oculum non considerat. *Psal. 93.*
Deus considerat omnes gressus hominis. *Psal.36.*

Si omnes gressus hominis Deus considerat, quomodo verum erit, quod ex aduerso dicitur in altero? Et huic pariter nouimus respondendum dicentes, primam esse quæsitiuam locutionem, tanquam si Propheta conuersus ad huiusmodi incredulos diceret:Nunquid sic stulti facti estis, vt non sciatis, quòd qui finxit oculum non consideret, cum ipse nulli tantum dederit quantum in se continet? Si ergo finxit oculum verbum, si plantauit aurem verbum, quia omnia per verbum non possumus dicere,non videt verbum: nec ergo obiurget nos Psalm. & dicat:Stulti aliquando sapite.Altera verò quanuis verum in se contineat sensum,nihilominus, & illam adhuc explanantes, vt clarius elucescat, dicendum placuit, quòd licet Deus omnes gressus consideret hominis non tamẽ æquanimiter. Nẽpe boni viri *Psal. 36.*

Psal.93.

Gressus hominis qualiter Deus cogitet. gressus cogitat, vt remuneret in æterna patria: mali verò & impij idcirco gressus considerat, vt in æternis cruciatibus recompenset, nisi emendatus ab illis, & expurgatus fuerit homo. Vtique quem oleo suæ clementiæ lenire non valuit, hunc rigore suæ iustitiæ ad æterna supplicia deputandum cernit, vt æqua retributio fiat bonis videlicet ad vitam, malis autem ad mortem.

CONTRAPO. CLXV.

Psal. 43. *MAnus tua Deus gentes disperdidit.*
Ibidem. *Manus tua Deus plantauit gentes.*
Quomodo manus domini gentes plantauerat, si illas disperdiderat? nō enim plantari dicitur quod disperditur. Quibus pariter respondendum nouimus, nullam in præmissis contradictionem agnoscentes. Stat enim ꝙ *Psal. 105* manus domini plantauerit prius gentes, vt fructum bonum producerent, & quòd postmodum illis demerentibus disperdiderit, licet hoc in loco per huiusmodi gentes, populum terram promissionis inhabitantē intelligamus, qui ex fideli Abraham trahentes originem, plātati *Ibidem.* fuerunt & locati in illa iam totiēs benedicta terra, vt fructificarent domino: sed increduli effecti, meritò ex illa expulsi sunt, & vndiq; per vniuersum orbem dispersi, vt experiētia didicimus. Quanquā præmissa moraliter exponentes possemus dicere quòd per gentes has, vitia & *Deut. 7.* peccata intelligenda sunt, quę prius dispergenda ac euellenda erāt radicitus, antequam gratia in fidelium cordibus plantaretur per Christum: quam potestatem postea ministerialē ipso ascendente in cœlis concesserat Paulo, *2. Cor. 9.* & Apostolis sed longè antea Hieremię Prophetæ, cui di- *Hiere. 1.* xerat Deus: Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Et sic patet quid fuit dicendum.

CONTRAPO. CLXVI.

Psal. 21. *FAciem suam Deus non auertit à me.*
Psal. 29. *Auertisti faciem tuam à me, infrà.*

Si faciem ſuam Deus non auerterat à Propheta, quid eſt quòd in ſequenti tanquam dolens & triſtis cõqueritur de faciei auerſione? Hæc enim (vt cernimus) contrarium in ſe ſenſum continere cernuntur, cùm ſint prolatæ reſpectu vnius, & eiuſdem. Nam per faciem Dei, hoc in loco potentia eius qua dignis innoteſcit, intelligenda eſt: Vel dicamus æquitas eius, qua ipſe non ſe præbet cognoſcendum malis, niſi vindicta & vltione. His itaque præmiſſsis, ſi harum myſterium contemplari placuerit, clara luce videbimus quòd licet pręmiſſa de eodem Dauid intelligenda ſint, cui Deus ob Berſabeæ adulterium, *1. Reg. 11.* & Vriæ homicidium, faciem ſuam auerterat, ſibi tamen poſtea pœnitenti & dolenti, ſuam conuertit faciem, non iratam ſicut prius, ſed hilarem & iocundam, reatum illi indulgens. Sed quia aliquod ſpacium temporis fuerat inter primum & alterum, idcirco ſeruatur litera à contradictione. Quanquam forſan ſecundum veriorem ſenſum præmiſſa intelligenda ſint de Dauid myſtico, cui *Mat. 5.* Deus pater faciem non auerterat dum in cruce extenſus *Heb. 42.* pro ſuis fidelibus exorauit. Quinpotius exauditus fuit pro ſua reuerentia vt Paulus ſenſerat: faciem verò paternam ab illo auerſam fuiſſe intelligimus, dum poſitus in agonia rogauerat calicem à ſe tranſire, & non obtinuit, *Mat. 26.* quinpotius (vt aliâs prætulimus) in ſua paſsibili ac mortali natura ſe derelictum agnoſcens, conqueſtus fuit dicens, conuerſus ad patrem: Quare me dereliquiſti? Tunc *Mat. 27.* enim derelictus à clementi & pio tribunali pietatis, ab illo tribunali iuſtitiæ ſeuerisſimo ſententiatus fuit ad horribilem mortem crucis, vt ſic illam patienter ſuſtinens noſtram operaretur ſalutem, quam aliter conſequi nequiueramus. Et ſic ex prædictis patet quid dicendum fuerat ad præmiſſa.

CONTRAP. CLXVII.

Dominus nouit abſcondita cordis. *Pſal. 43.*
Dominus non videbit, infrà dicitur. *Pſal. 94.*

Si abſcõdita cordis humani (teſte Propheta regio vnà cum Paulo) ſunt Deo patentia & aperta, cur aliud

idem Propheta ſentit in altero? An forſan ſomniat oppo ſita pronuntians? Idcirco ne præmiſſa inconcuſſa rema-
Pſal. 94. neant, dicendum placuit, verba in ſecundo poſita, non fuiſſe Dauid, ſed aliquorum inſipientium hominum ratione carentium quos nouimus ad tantum deueniſſe inſaniam, vt putarent Deo fuiſſe abſcondita, quæ ab illis in occulto committebantur, quorum vice locutus eſt Propheta in illo Pſalmiſta, dum ait: Domi-
Ibidem. nus non videbit nos. Hoc enim & militare cognoſci-
Mat. 10. mus contra illud quod in Euangelio dicitur: Nihil occultum, quod non ſciatur. Hi enim ſic increduli infidelibus deteriores æſtimandi ſunt, qui licet Deum non reuereantur vt decet, ipſum tamen confitentur fuiſſe creatorem cœli & terræ: & ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

CONTRAPO. CLXVIII.

Pſal. 16. *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte.*
Pſal. 134 *Proba me Deus, & ſcito cor meum.*

Profectò ſi Deus cor Prophetæ probauerat, cur rurſum rogat Deum, vt cor ſuum probet, ac ſi probatum non eſſet? Et huic præter id quod aliâs nos dixiſſe recolimus, & illud in propoſito ſuperaddendum noui-
Mat. 27 mus, dicentes, quòd non de Dauid carnali, ſed de Chriſto prima intelligenda eſt, quem Deus pater ſic permiſit probari flagellis, ludibriis, & contumeliis, vt rectè
Pſal. 72. dicere poſſet: Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio
Chriſtus fuit lapis angularis mea in matutinis. Idcirco ſic probatus, & conquadratus tanquam lapis electus & angularis fuit locatus à Deo pro fundamento ſupernæ Hieruſalem, vt de il-
1. Pet. 2. lo pater diceret: Ecce pono in Syon lapidem ſummum, angularem, electum, & precioſum, & qui crediderit in illo non confundetur: Super quem lapidem noſtra ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, vti Paulus in ſuis depoſuerat
Epheſ. 2. Epiſtolis. Et ſic patet quid ad præmiſſa fuerat dicendum.

CONTRAPO. CLXIX.

Tribulationi proximæ non est qui adiuuet. Psal. 21.
Iuxta est Dominus, his qui tribulato sunt corde. Psal. 33.

Quomodo tribulatis corde iuxtà est Dominus, si idẽ Propheta præmiserat nõ fuisse qui adiuuaret tribulationi proximæ? Idcirco & huic quę nil prorsus cõtrouersiæ in se continere cernitur, dicendum placuit, quòd per primam non eximuntur fauores Domini, sed cæterorum hominum: quasi si vexatus angustiis, & tribulationibus diceret conuersus ad Dominum, talis est acerbitas tribulationis, quam ego patior, quòd nõ est qui adiuuet, supple neque angelus, neque homo: [illegible] nisi tu adiuues, quis me adiuuare poterit? Nónne tu qui solus diceris adiutor in tribulationibus, cui pauper derelictus est? Noui enim variis modis tribulari homines in hoc sæculo. Nam aut dolore pœnitentiæ sponte assumptæ pro peccatis propriis, vel alienis, aut anxietate incolatus præsentis vitę, aut desiderio cœlestis patriæ, aut timore futuræ pœnæ, à quibus omnibus te vnicũ ac solũ liberatorẽ esse cognosco, & cõfiteor, sed illi soli qui corde contrito & humili ad te conuersus fuerit. Secus autẽ dico de perdurantibus in peccatis, & non curantibus ab illis releuari, quibus propè esse non dicitur, nisi punitione & vindicta. Et sic patet quid dicendum.

Psal. 45.

Tribulãtur homines multipliciter.

Psal. 50.

CONTRAPO. CLXX.

Iudicabit Dominus populum suum. Psal. 134.
Iustum & impium iudicabit Dominus. Eccl. 3.

Si vt omnis Scriptura fatetur, Deus iudicaturus est omnes gentes, cur duntaxat hoc fuit in primo restrictũ pro iudicio populi Dei, quasi alij non essent iudicandi? Et huic pariter respondendum nouimus dicentes, quòd non cum præcisione prima est intelligẽda. Idcirco quod in illa defuerat, fuit in sequenti suppletum. Nam quod ambo dixerant, hoc ab vnico veritatis forte didicere, à quo omnem veritatem emanare cognouimus. Vel dicamus si placet, prout aliâs nos dixisse recolimus, ꝙ in finali iudicio solum iusti iudicandi sunt iudicio clementiæ,

Iusti iudicandi iudicio clemẽtiæ.

ſed impij iudicio vindictæ & ſeueritatis, qui & iudicem iratum conſpecturi ſunt, vt pœnas æternas ſuſtineant, iuſti verò vt mercedem ſuſcipiāt bonorum operum, qui pariter viſuri ſunt iudicem non formidandū & tremebū dum, ſed faciem habentem iocundam & hylarem, dum ſeparati fuerint & locati ad dexteram: ſed impij vide-
Luc.21. bunt illum non in forma Dei, ſed in forma hominis. Quem enim contempſerant viuentem in carne mortali, quomodo eum videre poterunt in forma Dei, qua æqualis eſt patri? Sic ergo præmiſsis intellectis primæ nō contradicit altera.

CONTRAPO. CLXXI.

Pſal. 42. *IVdica me Deus, & diſcerne cauſam meam.*
Pſal.142. *Non intres in iudicio cum ſeruo tuo Domine.*

Si Propheta Dei iudicium veritus rogauerat ne cum illo Deus intraret in iudicium, cur in altero petiit vt ſe iudicet, & cauſam ſuam diſcernat? Idcirco & huic quę omni controuerſia caret, placuit dicendum, quòd alio ſenſu locutus eſt Propheta in vno, & alio in altero. Nam cō templatus ſe nil laude dignum feciſſe coram Deo, ſupplex & humilis Deum adiens rogat ne in iudicium ſecum intret. Nouit enim quòd ſi Deus in iudicium cum illo intrauerit ſecūdum rigorem ſuæ iuſtitiæ, æternā pœnam ſe non poſſe effugere. Idcirco rogat ea quæ pacis ſunt, nolens cū Deo inire litigium, quaſi dicat, cōuerſus ad Deum, nolo tecum habere cauſam qui non ſolùm ho-
Pſal.74. minum culpas punis, ſed & iuſtitias noſtras condemnas tanquam ſi iuſtitiæ non eſſent. Ne igitur in iniquitate mea conuincas me tanquam ſeruum torpentem à bono opere. Idcirco noli intrare mecum in iudicio. Nouerat
Iob 9. enim Iob de ſe locutum dixiſſe: Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me. Dum verò econuerſo petit, vt ſe iudicet, typum iuſtificati hominis in ſe repręſentat, qui non in exaltatione ſuæ iuſtitiæ cōfidit, quam nullam eſſe diſcernit, ſed in Dei miſericordia ſperās rogat vt cauſam ſuam pio oculo videat, quam contra diabolum & aduerſarium hominem habet tentantes rurſum

ſe opprimere, & dicentes: Opprimamus virum iuſtum, *Sap.2.*
quoniam contrarius eſt operibus noſtris. Rogat ergo, vt ab huiuſmodi inſidiis & calumniis ereptus liberius poſſit Deo ſeruire. Nam qui ſic à malis in hoc mundo fuerit ereptus, non erit vt ſeruus nequam in extremo iudició condemnatus, nec minus in ſiniſtram locatus, ſed cũ electis Dei in patriam ſublimatus: licet primã de Chriſto poſſemus intelligere, qui tyrãnorum, ac infideliũ hominum rabie cernens ſe vndique circundatum, Deum patrem adiens rogat, vt hanc ſuam cauſam iudicet, reddens impiis iuxta ſua demerita, ſuis quoque membris ſic anguſtiatis faueat protegátque illos atque defendat. Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

CONTRAPO. CLXXII.

INiquitatem ſuam Dauid confeſſus eſt. *Pſal. 50.*
Sine iniquitate cucurri, & direxi. *Pſal.56.*

Quam enim iniquitatem ſuam eſſe nouerat Propheta, ſi ſine iniquitate ſe cucurriſſe gaudebat alibi? Huic quoque dicendum arbitramur, quòd alia cauſa ſuam in primo accuſauit iniquitatem, quam & ſupplex rogabat dimitti, & alia cauſa ſe cucurriſſe ſine iniquitate atteſtatus fuit in altera. Profectò veniẽti ad ſe Propheta Gad, *2.Reg.11.*
ac ſe arguenti ex parte Dei ob commiſſum adulterium cum Berſabeæ, homicidio quoque coniugis interueniẽte, dixerat: Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco. *Pſal.50.*
Sed ex altera parte cernens ſe pati iniuſtè perſecutionẽ Saulis regis Iſraël, cui nullam præbuerat cauſam, ritè dicere poterat: Sine iniquitate cucurri, & dixeri: quibus cõ *Pſal. 56.*
formiter bonum teſtimonium Scriptura perhibens ait, loquens de illo: Quod nõ declinauerit ab omnibus, quæ *3.Reg.15*
præceperat illi Dominus cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone: vel melius dicas iuxta veritatem Heb. negocio Vriæ Ethei. Inde cõfundantur, & reuereantur nõnulli Talmudiſtę qui temerè auſi ſunt dicere in lib. Senedrin, quòd Dauid coiuit cum Abiſach Sunamite, quod expreſſè videtur eſſe contra Scripturam, quę dicit, quòd Dauid non cognouit eam, dum in ſinu ſuo dormiret.

Hinc elicitur quantæ laudis & honoris dignus extiterit iste rex, de quo & Dominus alibi de illo loquutus ait, *Act.13.* quòd inuenerit hominem secundum cor suum. Quanquam ad primam aliter respondentes possemus confidenter dicere, Hebraicam literam non sic continere, sed *Heb.litera.* sic: Quoniam transgresiones meas ego cognoscam. Et sic patet quid fuerat ad præmissa dicendum.

CONTRAPO.. CLXXIII.

Psal.118. E*Rraui sicut ouis quæ periit.*
Ibidem. *A mandatis tuis non erraui.*

Si à mandatis Dei non errauerat Vates, cur in eodem Psal. subiunxit dicens conuersus ad Deum: Erraui sicut ouis quę periit? Amplius & si non errauerat, cur sibi *3.Reg.1.* misereri rogauit alibi, dicens: Et secundũ multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam? Vtique præmissa simul stare nequeunt, cùm erraui, & non erraui, contradictoriè se offerant. Sed si verborũ seriem cõtemplari placuerit, proculdubio latens veritas clarè elucescet. Profectò alio sensu primum dixerat, & alio sensu expresit alterũ. Nam cùm pręmisisset in eodem versiculo: *Psal.118.* Posuerunt peccatores laqueum mihi, continuò subiunxit, dicens: A mandatis tuis non erraui. Quasi vellet dicere sanctus Propheta: Licet dæmones & mali homines laqueum mihi parauerint, vt puta diuitias, honores huius sæculi, primatus & dignitates, vt in illis plusquam oportet, me delectarem, & sic præcipitem me darent, tamen sciens mandatorum tuorum custoditionem fore præsidium, & munimen optimum contra huiusmodi laqueos, in longum, & in latum protensos, idcirco nõ erraui ab illis, aliunde declinans ac sensum sequens. Pariter hæretici alium parantes laqueũ, hoc est falsa dogmata ac sophisticas rationes adducentes tentauerunt me præcipitem dare, sed auxilio gratiæ tuæ protectus *Psal.119.* hos euasi laqueos, sicut passer, sciens scriptum fuisse: Ne *Prou. 22* transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui. Idcirco post hanc habitam victoriam, mandata tua non præteriui amplius, quinpotius diligẽti solertíque studio

Laquei quos parat diabolus.

meditatus sum illa die noctúque. Et ideo in ista stantes *Psal.1.* explanatione possemus ad alteram confidenter dicere, *Psal.118.* ꝙ idcirco dixerat Propheta se errauisse, sicut ouis quæ periit, quia forsan præuentus vaticinio expectabat se tã-quam ouem locãdum in dexteram iudicis in die extre-*Mat.25.* ma. Vel dicamus, quòd idcirco se errasse dixerat, sicut ouis, quia se dignum venia erroris commissi iudicabit, *Psal.6.* dum ante Deum prostratus lachrymas effudit abundé. Ob quod tanquam ouis errans inueniri meruit à pio pastore. Quanquam rectius explanantes istam, possemus dicere, quòd de Dauid mystico, & non de carnali sit potius litera intelligenda, qui carnalis in pluribus Deũ offendens errauerat à mandatis eius. Sed mysticus sic innocenter, & recto calle hanc pertransiuit viam, vt solus *Psal.118.* posset dicere confidenter conuersus ad Deum: Viã mandatorum cucurri: ipse enim nunquam à mãdatis errauit ore, cogitatione, vel opere, dicente Petro Apostolorum *1.Pet.* principe, Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Sic ergo intellectis præmissis prima non contradicit alteri, sed illi multum conformis cernitur.

CONTRAPO. CLXXIIII.

Laua me Domine ab iniquitate mea. *Psal.50.*
Neque iniquitas, neque peccatum meum Domine. *Psal.58.*

Si iniquitas non erat eius, cur ab illa lauari petierat tam instanter? Pariter, & si peccatum suum non erat, cur ab illo mundari rogat? Hæc enim vt cernimus non se cõpatiuntur simul, videlicet meum, & non meum. Sed si mentis oculum velimus erigere, clara luce videbimus, quòd Propheta rite, & cõfidenter dicere poterat iniquitatem non esse suam: hoc enim dixerat in persecutione Saulis, quam iniustè ab illo patiebatur (vt præmisimus *1.Reg.24* aliâs) dum missis satellitibus suis ad domũ Dauid quæsierat eũ capere, & occidere. Nec huic obstat altera, qua ab iniquitate seu peccato lauari petit. Nouerat enim a-*Iudicium* liud esse iudiciũ hominis, aliud Dei. Stat enim vt homo *Dei &* innocenter viuens & castè, suámque perlustrans consciẽ-*hominum* tiam, & nil accusationis dignum in illa reperiat, & tamẽ

ſub examine diuini iudicij culpabilis & reus inueniatur ab illo, qui ore Prophetico in alio pſal. dixerat: Cùm ac-
Pſal. 74. cepero tempus, ego iuſtitias iudicabo, quæ panno mē-
Eſa. 64. ſtruato ſimiles eſſe dicuntur. Idcirco ille qui vas ele-
Act. 9. ctionis iam fuerat effectus, ponens ſe ſub tali examine
1. Cor. 4. dixit: Qui autē iudicat me Dominus eſt: licet præmiſerit antea, Nihil mihi conſcius ſum. Ob quod ad præmiſſa placuit dicendum, non ſufficere homini, vt iuſtus a-
Rom. 3. pud Dominum inueniatur, ſe nullo ſenſiſſe crimine grauari, ſed requiritur, quòd ille qui cordium ſcrutator eſt ex alto proſpiciat, ſi qua iniquitas lateat in homine, quā, ſi repererit oleo ſuæ clementiæ purgando indulgeat, ſicuti prænotatus Propheta petierat in alio pſal. dum ait
Pſal. 118. Deum adiens: Aſpice in me, & miſerere mei Domine. An forſan dicamus ad primam, quòd Dauid non de ſeipſo tantùm locutus eſt dum lauari petierat, ſed typum totius humani generis in ſe ſuſcipiēs lauari petiit à culpa primorum parentum, qua infectum & plagatum nouerat omnem hominem ob corruptam congeriem? Vel adhuc dicamus, & forſan rectius, morem noſtrum ſequentes, quòd de Dauid myſtico altera intelligenda eſt, qui ſolus inter mortuos liberè dicere poterat: Neque
Pſal. 58. iniquitas mea, neque peccatū meum Domine: quo ſenſu ſtante, poſſemus dicere ad aliam, quòd ipſe lauari petierat, non in ſe, cùm nullam contineret maculam, ſed in ſuis membris, quæ rurſum nouerat peccatis innumeris fore immunda, illa videlicet lotione de qua re-
Pſal. 50. gius Propheta in Pſal. dixerat: Lauabis me & ſuper niuem dealbabor. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CLXXV.

Pſal. 103. *Deus non ſecundum peccata retribuit.*
Rom. 12. *Qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua.*

Si ſecundum opera (teſte præcone veritatis) vnicuique reddendum eſt, cur in altera præmittitur, quòd non ſecundū peccata retribuendum eſt? An forſan quod alter iſtorum dicit, ſomniat? Idcirco ne in ſyluam erroris remaneamus, placuit dicendum, primam attenden-

tes esse intelligendam penes quantitatem demeriti, secundum quam non retribuit Deus, cùm non quærat secundum multitudinem iræ suæ, quinpotius citra condignum punit delinquentes, vt omnis Theologorum scola attestatur. *Theol.* Quod & in se cognouerat ille, qui suũ peccatum accusans, humiliter ait: Peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi. *Iob 33.* Altera verò huic primæ opposita non cernitur, quæ penes qualitatem operum duntaxat attendenda est, quam & pariter Deus vnicuique reddet, prout se in corpore gesserit, siue bonum, siue malum. *2. Cor. 5.* His quippe qui secundum patientiam boni operis bene se gesserint, bonum: sed malum his qui carnaliter viuentes ac more brutali, non acquieuerunt veritati, sed adhæserunt iniquitati, quos indignatio & ira vnà cum tribulatione futura expectat. *Rom. 2.* Vt Paulus nouerat. Vel dicamus si placet, quòd Deus non retribuit secundum peccata, sic intelligentes literam, quia cùm inimici essemus, non æternam damnationem, prout merebamur, sed loco eius reconciliationem nobis contulit, interueniente sui vnigeniti passione, & morte, per quam habemus accessum ad patrem. *Psal. 103.* *Rom. 5.* Et sic seruantur præmissa absque contradictione.

CONTRAPO. CLXXVI.

PRæuaricatores fuerunt omnes pec. terræ.
Vbi non est lex ibi nulla præuaricatio.

Si vbi nõ est lex, ibi præuaricatio nulla est, cur per tot annorum spacia Deum offendisse dicuntur qui ante legem fuerunt? *Psal. 118.* *Roma. 4.* quod & esse non decuerat cùm non essent subditi legi, nec præuaricationi ipsius. Idcirco & hanc, quamuis infrà explanaturi simus, nihilominus sic illam modò declarantes, dicendum placuit, quòd si ad naturam lapsam velimus habere recursum, nulli dubiũ erit quin peccatores dicendi sint omnes qui ex massa Adæ originem traxerunt: *Quomodo omnes peccatores sumus.* quod & illum non latuit, qui de huiusmodi lapsu locutus dixerat, quòd per inobediẽtiam vnius, peccatores cõstituti fuerant multi. Sed quid dicemus de actuali? secundum quem sensum currit illa

Roma.4. sententia Apostoli præmissa, quæ dicit: Vbi non est, &c. Ante forsan de naturali lege, quæ sedem suam tenet in corde, locutus est, & non minus quàm de scripta. Nullus enim est qui alteri iniuriam faciat, nisi qui illam sibi fieri nolit: & in hoc transgreditur naturæ legem quam non sinitur ignorare, dum id quod facit non vult ipse pati. Et sic patet quid fuerat dicendum.

CONTRAPO. CLXXVII.

Psal.33. *ACcedite ad eum, & illuminamini.*
1.Tim.2. *Deus habitat lucem inaccessibilem.*

Si lucē inaccessibilem Deus inhabitare dicitur, quomodo nos mortales carnis sarcina onusti ad illum accedere poterimus, vt illuminemur? Idcirco & huic quę ab omni oppositione aliena est, placuit dicendum, quòd si verborum seriem velimus perpendere, clara luce agnoscemus hoc nobis esse possibile. *Lex Mosi vnde descendit.* Vtique (vti aliâs nos dixisse recolimus) locus quem Deus inhabitat in Archetypo, Syon vocatur, à quo (vt Cabalistæ sentiunt) descendit lex: quod & Esaiam non latuit qui futurum *Psal.131.* *Esa.2.* pro præterito ponens, ait: De Syon exibit lex. Quanquam & de legis perfectione litera posset intelligi, quã legem in Syon accepisse nemo nostrûm est qui hoc du- *Syō quid interpretatur.* bitet: sed cùm Syon interpretatum, speculum repręsentet lucens videlicet & resplendens, idcirco ad illum nequeunt accedere, quorum opera tenebrarum sunt ac *Ioan.4.* erroris plena caligine, carnalia duntaxat sentientes. Profectò sicuti quondam Israëlitici populi Aegyptiaca *Philip.3.* præpediti conuersatione nequiuerant montem ascendere cum Mose, sic & isti hunc locum lucis ascendere ne- *Exo.22.* queunt, nisi prius antiquo & terreno deposito indumēto: sed econuerso qui per viam bonorum operum, & virtutum incedere didicerunt, procul à se vitia expellentes, hi profectò ad Deum facilè valent accedere, vt illu- *Qui ad Deum valent accedere.* minentur ab illo. Quanquam ad primam possemus dicere, quòd eo in loco Hebraica veritas non sic continet, sicut nostra traductio, sed ita: Respexerunt ad ipsum, & illustrati fuerunt. Nec hîc silentio prætereundum iu- *Heb. ver.* dicauimus multa esse sacra Prophetarum eloquia, quæ

cùm in Hebraïco exemplari lectites, sublimia quidem & magna inde orthodoxæ fidei sacramenta percipiat, quæ Latina æditio vel obumbrat, vel prorsus cõticessit. Et sic patet quid fuerat dicendum. *Hebraicæ literæ dignitas.*

CONTRAPO. CLXXVIII.

Deus solus est qui facit mirabilia. *Psal.71.*
Inuentus sine macula mirabilia facit. *Eccle.21.*

Si solus Deus mirabilia facere dicitur, cur & de homine iusto ac sine macula inuẽto dicitur pariter quòd mirabilia facit? Et huic quæ nil penitus sapit contradictionis dicendum arbitramur, quòd aliter conuenit Deo mirabilia facere, & aliter homini iusto. Vtique Deus per *Ioan. 5.* se, & à se facit mirabilia, cùm non accipiat ab altero: cęteri verò, & si sunt qui mirabilia faciunt, hoc non à se habent, sed ab illo hauriunt, tanquam à fonte, sine quo nihil facere possent: ipse enim ex sua nimia bonitate & clementia in illis & per illos ministerialiter operans mirabilia facit. Idcirco hoc donum continens homo non in *1.Cor.4.* se gloriari debet, sed ad illum omnia referre debet qui *Psal. 67.* gratis tradidit illi vt mirabilia faceret. Qui & in sanctis *Psal.vlt.* suis pariter mirabilis dicitur, eũq; in sanctis suis laudare præcipimur. Et sic patet quid ad præmissa dicẽdũ fuerat.

CONTRAPO. CLXXIX.

Deus propè esse dicitur inuocantibus se. *Psal.144*
Inuocabunt me, & non exaudiam. *Prou.1.*

Si inuocãtibus se propè est Deus, cur de se inuocãtibus locutus testatur ꝙ illos nõ exaudiet? Ad hãc dicẽdũ placuit, eũ propè semper esse se inuocãtibus, corde cõ *Psal.50.* trito. Qui enim cõtrito corde sunt cũ Deo cõpositi, non *Psal.90.* solũ exaudiũtur, sed etiã eripiuntur à pressuris. Idcirco in sanctificatione vitæ incedẽtes perseuerãt benefacientes, quib⁹ voce Domini dicitur ꝑ Prophetã: Inuocabitis me & ibitis. Orabitis me & ego exaudiã vos: Quæretis me *Her. 29.* & inuenietis. Pariter, & ꝑ alterũ dixerat: Inuocabitis & *Esa.58.* Dñs exaudiet: clamabitis & dicet, Adsum. Quos verò econtrariò impios esse nouerit, his ꝓpè nõ erit suffragio, sed bene vltione & flagellis, vt nisi à malis resipuerĩt, eos

De⁹ quos nõ exaudiat. puniendos referuet æternaliter, quibus vultum iratum habet,iuxta illud: Vultus autem Domini ſuper facientes mala,vt illos videlicet puniat.Hi enim dum ad illum clamabunt exaudiri non merentur,& de huiuſmodi ſecunda intelligenda eſt.Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque contradictione.

CONTRA-PO. CLXXX.

Pſal.4. *Iraſcimini & nolite peccare.*
Coloſ.3. *Iram omnem deponere mandat.p.*

Si aliquando iraſci diuino permittitur oraculo,cur omnem iram deponere mandauerat Apoſtolus?Non enim credendũ eſt, quòd veritatis præco Prophetæ contrarius fuerit , per cuius os. s.s. tot ſacramenta locutus eſt. Idcirco ad iſta dicendum arbitramur , quòd de illa *Ariſt.* ira locutus fuit Apoſtolus,quam ex mera concupiſcibi- *Poßid.* li nõ dubitamus oriri. Hanc diffiniens Poſsidonius ait: Ira eſt cupiditas puniendi eius à quo te iniquè putes læſum,quæ ſi longo tempore in animo teneatur, mortale *Cicero.* peccatum eſt . Sed & Cicero in Tuſcul. iram diffiniens dixerat : Ira eſt libido puniendi eius qui videatur te læſiſſe iniuria.Hæc enim cùm ſit animalis, ac omni ratione carens, tanquam mortifera ac pernitioſa à fidelibus *Iaco.8.* deponenda eſt , cùm non valeat Dei iuſtitiam operari, (vti Iacobus nouerat)nec aliud habet pro obiecto niſi vindictam & vltionem . Sed de altera huic oppoſita fit in prima locutio , quæ ex zelo Dei proueniens ſemper tendit ad bonum . De tali enim Gregorius Nazianzenus locutus ait:Chriſtianus homo in terra , cœleſtis eſt: in corruptione impaſsibilis , qui quamuis aliquam turbationem patiatur aliquando , ex hoc tamen eius ratio non obnubilatur,quia eam tenet ſub dominio rationis. *Ira nunquam deponenda.* Hæc enim nullatenus deponenda eſt ab homine , dum ex iuſta cauſa iraſcitur. Profectò contra vitia, necnon & contra diabolum ſuggerentem mala facere & iraſci permittitur,& mandatur.Pariter contra noſmetipſos iraſci debemus, dum de peccatis dolentes indignamur , quòd ad tam vilia & abiecta miſerabiliter corruerimus . Sic enim

enim dũ irascitur homo non solùm non peccat, sed maximè apud Deum meretur, qui semper ad cor contritũ dicitur respicere. Quanquã & huic primæ aliter respondentes, possemus dicere, quòd Hebraïca veritas non dicit, Irascimini, hoc in loco, sed Contremiscite, ac si esset sensus, Videatis ne indignati offendatis in Deum aut in proximũ vestrum ex impetu bullientis iræ, quę non nisi vindictam expostulat. Et sic patet quid dicendum. *Psal. 50.* *Heb. ver.*

CONTRAPO. CLXXXI.

IRa Dei misericordiam continere non dicitur. *Psal. 76.*
Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. *Abac. 3.*

Si in ira sua Deus non continet misericordiam, cur dicitur in altero quòd dũ iratus est, memor dicitur misericordię? Et huic quæ nullam in se contradictionem continere cernitur, placuit dicendum, primam esse quæsitiuam locutionem: ait enim vates postquã dixerat: Aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas: quasi diceret, Non enim Deus qui ex natura sua misereri consueuerat in ira sua, continebit misericordiam, taliter quòd non extendat illam amplius super mortales, immo dicendum est quòd iram suam vincet misericordia, cùm sit naturæ suę semper annexa sibíque proprium in quarto modo, vt Dialecticè loquar. *Proprium Dei.* Quanquam forsan possemus dicere, quòd tunc ira Dei misericordiam continere non dicitur, dum quempiam in malis proteruientem cernerit vsque ad vitę terminũ, pro quo in thesauris misericordiæ Dei non relinquitur hostia, qua tribunal iustitiæ pacari posit. *Heb. 10.* Hic enim in periodo constitutus, ac extra merendi statum, nõ potest nec vult ad Deum conuerti, quinpotius ponens obicem diuinæ misericordiæ, contemnit & spernit ad Deum reuerti, iuxta illud: Impius cùm in profundum peccatorũ venerit, contemnit. *Prou. 18.*

CONTRAPO. CLXXXII.

IVdicia oris tui pronuntiaui. *Psal. 118.*
Iudicia Dei inscrutabilia. *Rom. 11.*

Quomodo iudicia Dei pronũtiare poterat Propheta

ſi illa eſſe inſcrutabilia Apoſtolus nouerat? Nam quod ſcrutari non poteſt, minus pronuntiari valebit. Enimuero mirum videtur, quòd ille qui alibi de iudiciis his locutus, nouerat illa eſſe abyſſus multa, aliter ſe habuerit poſtea, aſſerens omnia hæc iudicia ſe enuntiaſſe labiis oris ſui. Quid ergo ad hæc dicemus, ſi iudicia hęc ſunt inſcrutabilia? Nunquid illa neſcit Eccleſia? Scit plané. Nam ſcit vtique qualibus iudex dicturus ſit in fine temporum: Venite benedicti patris mei, poſsidete paratum vobis regnum. Scit qualibus dicturus ſit: Ite in ignem æternum, &c. Scit inquam Eccleſia, neque fornicatores neque adulteros, neque iſtos, neque illos, quos ibi Apoſtolus enumerat, regnum Dei poſſeſſuros eſſe. Scit iram & indignationem: ſcit tribulationē & anguſtias in omnem animam hominis operantis malum. Hęc enim huiuſmodi iudicia Dei euidenter expreſſa nouit Eccleſia: ſed nō ipſa ſunt omnia, cùm ſint quædam inſcrutabilia, profunda & occulta, & eo magis occulta ſunt, quo non ſolùm eſt bonis malè, & malis bene, ſed etiam quia interdum eſt bonis bene & malis malé. Iudicia verò hæc quæ modò occulta ſunt, manifeſta erunt in extremo die iudicij. His præmiſsis, & huic dicendum modo putauimus, quòd homini animali, ac tantùm terrena ſapienti, Dei iudicia ob hoc inſcrutabilia eſſe agnoſcuntur, quia talis non valet percipere quæ Dei ſunt. Sed ſpiritualis, qui (Apoſtolo docente) omnia diiudicare poteſt, valebit iudicia Dei, & cogitare, & pronuntiare ad libitum. Huic enim ſic bene compoſito Deus dignatur oſtendere, aperire & reuelare ſua ſecreta, ac palàm facere ſua iudicia, vt ipſe poſtmodum pro loco, & tempore alios participes faciat, ſicuti & prænotato contigerat, cui Deus incerta, & occulta ſuæ ſapientiæ ad plenum nota fecerat. Idcirco ſecundum captum ſuæ plebis pronuntiauerat poſtmodum talia Dei iudicia, licet non propalanda indignis nō nota fecerit, ne Deum offenderet, ob quod in prænotato pſal. præmiſerat, dum Deum allocutus, ait: In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Et ſic prę miſſa ſeruantur abſque contradictione.

Iudicia Dei abyſſus multa. *Rom. 11.* *1. Cor. 2.* *Pſal. 50.* *Pſal. 118.*

CONTRAPO. CLXXXIII.

Mandatum Dei latum esse nouimus. Psal.118.
Arcta est via quæ ducit ad cœlum. Mat.7.

Si mandatum Dei esse latum nouerat Vates, cur Christus viam mandatorum deducentem ad cœlum, dixerat esse angustam? Profectò Dei mandatum esse viam qua ad cœlum peruenitur, nemo nostrûm est qui hoc dubitet. Idcirco, & huic quæ nil prorsus contradictionis in se continere cernitur, dicendum iudicamus ad secundã, quod via ista arcta & angusta esse dicitur, illam inchoãtibus ingredi, propter dissuetudinẽ, & propter reluctantem carnem, quæ continuò spiritui aduersatur: licet his qui illam superauerint & calcauerint cum vitiis & concupiscentiis, lata & suauis offeratur & delectabilis: quam & ille sic gaudenter cucurrerat, vt diceret in psal. Viam mandatorum tuorum cucurri. Huic enim sic bene cum Deo composito, caro, vt ancilla & pedisequa famulatur ad nutum, præcurrens spiritui ad bonum operandum. Vel dicas si placet, quòd hæc via eundi ad cœlum, idcirco à Saluatore dicitur arcta, quia procul à se facit gaudia vana, & huius sæculi vanitates ducentes ad illam perditionis latam. Nec huic obstat prima, quia & mandatum Dei idcirco latum esse dicitur, quia & ad dilectionem inimicorum extenditur pariter. Vel latum dicas, quia hîc incipitur obseruari, sed in patria perficitur æternaliter. Et sic patet quid dicendum fuerat.

Via Dei cui arcta. *Gala.5.* *Psal.118.* *Psal.119.* *Mat.7.* *Iac.1.* *Luc. 6.*

CONTRAPO. CLXXXIIII.

Magnitudinis Dei non est finis. Psal.144
Decies centena millia assistebant illi. Dan.7.

Si Deus propter sui illimitationẽ omnia dicitur implere, iuxta illud: cœlum & terram ego impleo, quis locus dandus est, vt illum occupent hi, qui seruiunt illi? Idcirco & huic præter id quod aliâs iam nos dixisse recolimus, & illud pariter his addendum putauimus, dicentes, quòd licet magnitudinis Dei non sit assignandus finis, iuxta illud: Locus Dei magnus est, & non habet finem, tamen quia non molis magnitudine dicitur

Hiere.31 *Baruc.3.*

lud est referenda, quod & propheta vaticinio præuentus sic clarè deposuit, ac si illud ante oculos habuisset. Quanquam aliter ad secundam respondentes possemus dicere, quòd forsan tempore Oseæ non erat tanta misericordia in terra, nec in illa abundantia, qua futuris temporibus fore expectabat, cùm Oseæ tempore adhuc non esset amotum illud obstaculum inter Deum & hominem positum, ob lapsum prothoparentis, sicuti modò reuelatum est ab illo, qui cœlum scandens ianuam illam aperuit, quæ per tot annorum spacia fuerat clausa, ne misericordia copiosa ad nos descenderet. Profectò qui primo tempore, Deus vltionum, ac Deus exercituum apud patres dicebatur, amoto obstaculo pater misericordiæ & Deus totius consolationis postea dictus est, vti Paulus agnouerat. Ipse enim sua nimia misericordia abluit hominem: deinde iustificat quem abluerit adoptans in filium, vt demum donet illi gloriam similem gloriæ filij sui vnigeniti. Et sic seruantur præmissa absq; contradictione illæsa.

Osea 4. *Marc. vlt.* *Psal. 93.*

CONTRAPO. CLXXXVII.

Psal. 17. *Eccle. 7.*

D*ominus retribuet mihi secundum iustitiam meam.*
Non iustifices te ante Deum, alibi.

Si coram Deo nemo se iustum facere debet, cur secundum suam iustitiam expectabat sibi retribui Propheta regius? Et huic sic placuit dicendum, ꝙ non de operum iustitia fit in prima locutio, sed de iustitia fidei, qua Euangelicus iustus, iustus redditur, cuius typum Vates in primo repræsentat. Nec obstat, quia dicit suam, quia non ex propriis meritis hominis, sed ex Dei munere facta est hęc retributio, facta inquam dum peccator & impius quisque vocatus est vt iustificetur. Retributio est cùm erectus & gubernatus est ne caderet. Retributio est cum homini vires subministratæ sunt: vt vsque in finem perseueret. Retributio est, vt etiam caro ista quapremebatur homo resurgat, & ne capitis eius capillus intereat. Retributio est, vt post resurrectionem coronetur. Retributio Dei est, vt in æternum Deum ipsum

ſine defectu laudet. Hæc autem omnia retribuuntur homini non ex meritis, quia nulla ſunt, ſed ex Dei clementia iuſtificatis impiis largiuntur. Quanquam ad primam poſſemus dicere, & rectius, quòd de myſtico Dauid litera intelligenda ſit, qui non ſecundum alterius iuſtitiam, ſed ſecundum propriam iuſtificandus erat à patre, illa iuſtitia, quam nobis acquiſierat ſuo laudabili, ac gratioſo commercio, dum nobiſcum viator fuit. De qua iuſtitia Paulus ſcribens Corinth. ait: Vt & nos iuſtitia Dei efficeremur in illo. Quod verò in altero ſubnexum eſt, pro documento relictum eſt nobis, ne videlicet quis tantæ temeritatis eſſe inueniatur, vt coram Deo ſe iuſtum facere audeat, cùm in ſe aliud non contineat homo, niſi quod corrigat, emendet, & purget. Et ſic patet quid dicendum.

2. Cor. 5
Eccl. 7.
Homo quid in ſe cōtineat.

CONTRAPO. CLXXXVIII.

Pſal. 36.
1. Pet. 2.

Sacrificium, & oblationem noluiſti.
Hoſtias offerendas præcipit Petrus.

Si Propheta, per cuius os Spiritus ſanctus tot ſacramenta, & myſteria locutus eſt nouerat Deum abhorrere ſacrificia, & oblationes, cur Petrus qui Chriſti Apoſtolus fuerat, hoſtias Deo offerendas mandauerat? Idcirco, & huic quæ nil ſapit contradictionis dicendum placuit, præter id quod aliâs nos dixiſſe recolimus, quòd nō abſolutè dixerat Propheta Deum reſpuere ſacrificium: ſed illud animalium duntaxat pro ſe oblatum: quod homicidium & adulterium à ſe commiſſum expiare nequiuerat, vt aliâs præfati ſumus. Quanuis poſſemus dicere, quòd illa fuerūt verba Dauid myſtici, qui conuerſus ad patrem ait: Sacrificium, & oblationem noluiſti, quæ videlicet, reatum primorum parentum expurgare non poterant, vt aliâs prætulimus. Sed Petrus videns reatum ad plenum purgatum per ſanguinem Ieſu Chriſti, hortatus eſt fideles vt tanti beneficij memores ſeipſos offerrent Deo in hoſtiam ſanctam, viuam, Deóque placentem, prout Paulus docuerat pariter. Quod quidem ſacrificium, tūc Deo gratum nobíſque efficitur proficuū,

Pſal. 36.
1. Pet.
Rom. 12.
Sacrificiū Deo gratum.

Tria concurrentia ad verum sacrificiũ. dum in hac oblatione tria simul concurrunt, videlicet, Mens, id est, superior portio, quam & Nesama vocant Hebræi: spiritus medius, id est, intellectiua anima, quã Ruach: & portio inferior, quam pariter Nephes nominant. Hanc & Saluator noster in toto Euangelij volumine prætendit separare à rationali, & vnire Nesama, vt sic totus diuinus efficiatur homo. Ad quem sensum locutus est, dum ait: Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, &c. vsque domestici eius. Et sic patet quid ad præmissa fuerat dicendum.

Nesama, Ruach, Nephes, Mat. 10.

CONTRAPO. CLXXXIX.

Psal. 33. *Oculi Domini super iustos esse leguntur.*

Prou. 15. *Oculi Domini contemplantur bonos, & malos.*

Si oculi Domini super iustos esse dicuntur, quid est, quòd in altero, & malos pariter contemplari referũtur? Huic quoque sic nouimus respondendum, dicentes primã non esse intelligendã cum præcisione, quia & super malos pariter hi oculi feruntur plerunque, licet aliter. Vtique super iustos, vt illos protegant, atque defendant, sed super impios ferũtur duntaxat comminatoriè, vt videlicet nisi cauerint à via sua mala, æternis cruciatibus puniendos decernant. Pariter, & de vultu Domini ferente super impios & malos in Psal. dicitur: Vultus autem Domini super facientes mala. Quapropter scire te volo, quòd quicquid in lege scribitur veluti os, manus, auris, pes, oculus Domini, & quæ huiusmodi sunt generis, quanquã magnitudinẽ, veritatémque insinuent altissimi, quid tamen res illa, quæ manus monstret, nullũ sanè creatum scire, & comprehendere potest. Quanquã & oculi isti aliquando videre dissimulent impiorum mala, dum illos ad pœnitentiam conuerti expectant, iuxta illud: Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Profectò quos sic emendatos agnouerit Deus, his amplius peccata non imputabit, sed oculis suæ clementiæ eos respiciens operiet, & teget illorum iniquitates. Idcirco sic virtuose, & honestè viuere studeamus, vt non iratus, sed vultu benigno & placido respiciat nos Deus,

Oculi Domini quãdo super iustos. *Psal, 33.* *Sap. 11.* *Psal. 31.*

& non vt iudex seuerus puniat, sed vt misericors pater suscipiat & remuneret. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CXC.

Non resurgent impij in iudicio. Psal. 1.
Omnes quidem resurgemus, alibi. 1Cor. 15.

Si (teste Propheta regio) non sunt resurrecturi impij in iudicio, cur omnes fore resurrecturos Apostolus nouerat? Et huic, quæ nihil in se contradictionis videtur includere, dicendũ placuit, quòd litera primæ non sic est intelligenda, vt eius sit sensus, quòd ipsi impij non sint resurrecturi in iudicio, sed intellexit Vates illos resurrecturos nõ esse Saphat (vt more loquar Hebraico) id est, in iudicio misericordiæ. Quinpotius in Dan, id est in iudicio seueritatis: sic enim interpretari nouimus primam dictionem, pariter & alterã, vt prætulimus. Vel dicamus si placet, sic explanantes primam, & dicentes, quòd impij non sunt resurrecturi in iudicio, sic videlicet, vt assessores fiant iudici approbantes suam sententiam, tanquã iustam, & condemnantes alios, quemadmodũ & de Niniuitis conuersis dictũ est respectu persequentiũ Christum: quo sensu stante huic non contradicit sequens sententia Pauli, quam variam habent nonnulli codices: nam alij sic continent, Omnes dormiemus. Chryso. verò sic habet, vt dicat: Nõ omnes quidem obdormiemus. sed nostram vsualem traductionem sequẽtes, dicamus, quòd licet resurrectio communis omnibus expectanda sit, at non gloria communis erit: sed alij quidem ad regnum resurgent, alij verò ad supplicium. Vel adhuc dicamus ad primam, eam forsan intelligentes de infidelibus quibuscũque, qui cùm sint iam iudicati de sua incredulitate, rursus resurrecturi non sunt in iudicio, vt iterũ de illa incredulitate iudicentur, licet alia relatione cum cæteris iudicandi sint. Et sic patet quid fuit dicendum.

Saphat quid.
Dan quid
Mat. 15.
Mat. 12.
Ioan. 3.

CONTRAPO. CXCI.

Prædicatores bonos Deus habere præcepit. Psal. 49.
Prædicatores malos pariter admittit Deus. Phil. 1.

Si prædicatores bonos vult Deus haberi & præcipit, cur malos pariter admittit Apostolus? Nam si Deus malos repellit, cur illos concedit iste? Idcirco & huic sic nouimus respondendum, ad primam dicentes, quòd licet Deus bonos haberi velit, non tamen absolutè malos videtur repellere, sed illos increpans admonet. q. d. Cur
Psal. 49. quod aliis ore prædicatis, viuendo non impletis? aut qua præsumptione seu qua audacia, enarratis aliis præcepta mea, ipsi verò illa implere negligitis? Indignè enim facitis, quia verbum meum, quod ore ad prædicandum assumitis, corde ad diligendum non perficitis. In altera verò per Paulum admonemur, quanta reuerentia quantóve honore suscipiendi sint, qui verba diuina, quæ sunt pabulum animæ, administrant nobis, dum etiam prędicatores malos ad officium admittēdos permittat, dummodo hæreses in populis non disseminent, cùm non permittat Deus errantem populum sine correptione dimitti, licet ipse (vt prætulimus) malit prædicatores esse bonos quàm malos, ratione superius annotata. Et quòd mali aliquando sint admittendi, dum alij tali officio decorati non sunt, liquidò apparet per illud, quod
Mat. 23. in Euangelio legimus de Pharisæis in Moysi cathedra sedentibus, quos venerari, & seruare quæ dixerint, præcepit Christus.

Prædicatores mali quãdo admittendi.

CONTRAPO. CXCII.

Psal. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum.*
Esa. 33 *Species non erat ei neque decor.*

Quomodo speciosus dicendus est ille, in quo species non fuerat neque decor? Et huic primæ nouimus dicendum, quòd de formositate corporali intelligenda est, qua & Christus præ filiis hominum fuit formosior, & pulchrior, cùm per operationem Spiritus sancti, ex puris sanguinibus beatæ Virginis fuerit conceptus. Sed si quęrentes, vt indagator curiosus, cur prę filiis hominum speciosus forma dictus est, & non præ angelis, dicimus quòd idcirco præ filiis hominum dictus est speciosus, ne hominem Christum quemlibet hominem putares. Vel

dicamus, quòd idcirco ſpecioſum illum dixerat vates, quia præuiderat inter filios Adæ ſolum immunem eſſe à peccato, quæ formoſitas cùm ſit interior, idcirco pulchrior. Vel adhuc dicas, ideo ſpecioſus, quia fidelibus nõ ſolùm apparuerat homo, ſed & Dei filius in eodem ſuppoſito. Quanquam iſta corporalis formoſitas quam ex Virgine aſſumpſerat, à flagellatoribus & crucifigẽtibus ſe, taliter deturpata fuerat, vt meritò Eſaias poſſet dicere, non eſſe in illo ſpeciem neque decorem. Vel potius dicas ſi placet, quòd iſta eius formoſitas, ſeu deformitas penes ſe intuentes attendenda eſt. Nam deuotis & iuſtis ſpecioſus oſtenditur & decorus, ac omni forma elegantior. Vtique ſic eum viderat ſponſa in canticis, dũ ait: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Sed peccatorũ fœcibus plenus, mõſtruoſus ac deformis apparet & ſquallidus, nullam in ſe ſpeciem habens. Quorum oculi ſic obſcurati ac obtenebrati noſcũtur, vt illũ minimè diſcernere valeant in ſua formoſum ſtola. De quibus oculis dicitur in pſalmo: Obſcurentur oculi eorum, ne videant. Et ſic patet quid dicendum.

1. Pet. 2. *Eſa. 33.* *Chriſtus quibus apparet formoſus.* *Cant. 5.* *Pſal. 68.*

CONTRAPO. CXCIII.

Pſal. 2. *1. Pet. 2.*

Seruite Domino in timore, ait pſal.
Serui ſubditi ſint in omni timore dominis.

Si in omni timore dominis carnalibus ſeruiendum eſt, quo timore Domino ſeruiendum erit? Nam ſub illo ſigno vniuerſali OMNIS, omnem timorem contineri cernimus, cùm ſit ſignum diſtributiuum, ſub quo ad omnia ſingularia contenta ſub ſequenti termino fit deſcenſus, vt opinantur Logici. Idcirco, ne præmiſſa indiſcuſſa relinquamus, nouimus dicendum, negantes illationem illam quæ inferebatur non rectè. Non enim (vt putamus) timor quo Domino ſeruiendum eſt, cadit ſub alio timore, cùm ſit illimitatus, & extra omne genus, nec obligatus dialecticis rationibus: quinpotius timores alij ſub illo contineri cernuntur, à quo, tanquam à fonte, ſuam trahunt originem. Nam ille timor ſeruorum, quem erga ſuos dominos habere iubentur, ad illum Dei

Timor domini illimitatus.

timorem referendus eſt,tanquam ad prothotitum. Qui niſi ſic facerent ſerui,non illis proderit eorum ſeruitus, vt videlicet ſit illis proficua ad vitam,ac ad ſalutem. Nã (vt aliâs pręfati ſumus) ſicuti proximorum dilectio pręcepta in lege,eſt ordinanda ad Deum,vt ſit ſalubris: ſic pariter & illa dominorum ſeruitus impendẽda à ſeruis, propter Deum fieri debet,ac in ordine ad Deum : aliâs nil reportant mercedis ab illo. Domini verò verſa vice ſic ſe habere debent erga huiuſmodi ſeruos,vt illos homines eſſe putent. Hominem nanque homo tanquam ſemetipſum diligere debet,cui ab omniũ Domino etiã vt inimicos diligat, imperatur. Non enim Chriſtianum hominem oportet ſic poſsidere ſeruum,quomodo equũ & argentum:quanquam fieri poſsit vt maiori precio valeat equus quàm ſeruus. Et ſic patet quid dicendum fuerat ad præmiſſa.

CONTRAPO. CXCIIII.

Pſal. 118. *TErram fundatam permanere legimus.*
Pro. 3. *Terram per tria moueri nouimus.*

Si per tria terram moueri nouimus, quomodo verũ erit quòd ipſa permaneat fundata? Idcirco & huic pariter reſpondendum nouimus, dicentes : quòd non obſtat,quòd aliquid Phyſicè moueatur,& quòd immobile permaneat in eſſentia, vel quòd moueatur ſecundũ aliquam ſuarum partium,& ſecũdum ſe totum permaneat immobile, ſicuti de manu ſeu pede dicere poſſumus reſpectu corporis. Idcirco ad ſecundam arbitramur dicẽdum,quòd ibi continens pro contento accipiendum eſt, vti circunſtans litera conſentire videtur, dum tangit illa tria per quæ terra moueri dicitur. Vel dicamus quòd illud verbum PERMANERE non ſic accipiẽdum eſt, quòd perpetuitatem ſecum admittat : ſed potius quòd terra permanenda ſit quouſque durabit mundus. Nam idcirco terra ſic permanere dicitur, quia amplius aquis
Pſal. 103. diluuij operienda non eſt,iuxta illud:Terminum poſuiſti
Geneſ. 7. quem non tranſgredientur,neque conuertentur operire terram,ſicuti Noë tempore, quãdo videlicet xv. cu-

bitis fuit altior super montes quos operuerat. Vel dicamus vltimò, quòd forsan de terra illa sit in prima locutio, quæ in cœlis glorificanda, permansura est in æternũ, id est de carne nostra ex terra prius formata. Et sic seruantur præmissa absque vlla contradictione. 1.The. 4.

CONTRAPO. CXCV.

Timor Domini in sæculum sæculi permanet. Psal.118.
Charitas perfecta foras mittit timorem. Ioan. 4.

Si per charitatẽ perfectã timor foris mittendus est à corde hominis, non ergo in patria permanendus erit, nec consequenter in sæculum sæculi. Præterea si timor permanendus est in sæculum, quomodo vera erit illa Seuerini Boetij sententia, qua dicitur in libro de Cõsolatione Philosophica, quòd timor non finit esse fœlicem? Idcirco & huic pariter respõdentes, dicimus in prę notatis latere æquiuocationem, cùm de alio timore fiat in prima locutio, & de altero in sequenti. Vtique seruilis cùm sit terrenus, carnalis, ac animalis tanquam nequam & inutilis, foras mittendus est, cùm semper faciat tristari ac mœstum esse se habentem, sed filialis quo iusti & sancti Deum timent in terris, demum in cœlis decorandi veniunt ac laureandi, non est foras mittendus. Hic enim cùm sit semper castus & sanctus, pręparat charitati locũ quam semper amplectitur & stringit tanquam dilectam sociam, ad quem Deus semper respicere dicitur, iuxta illud: Ad quem respiciam nisi ad timentẽ sermones meos? Hic enim cùm Deum semper habeat pro obiecto dilecto & amato, non potest nisi bonus, & verax esse, quia ille qui possidet eum, timet offendere Deũ quem diligit, & amicum habet: & quanto plus diligit, tanto magis timet offendere. De quo & illud adagium dicitur: Timuerunt peccare boni virtutis amore. Et sic seruantur præmissa absque contradictione.

Timor duplex. *Psal. 18.* *Esa. 66.*

CONTRAPO. CXCVI.

Viam iniquitatis ambulans non reuertetur amplius. Prou.18.
Paulus blasphemus illam perambulans reuersus est. 1.Tim.1.

Arbitramur primam intelligendam esse de illo, qui taliter illam perambulauit in malis, vt constitutus in periodo vitæ suæ defunctus est. De tali enim locutus Sapiens, ait: Impius cùm in profundum peccatorum peruenerit, contemnit. Hic enim cùm sit in termino vitæ suæ, nec blãditiis molliri nec flagellis perculsus potest flecti: ob quod maxima cum difficultate à peccato potest reuerti. De talibus enim sic assuetis in malis, & non curantibus reuerti, locutus Saluator ait: Et obcęcatum est cor eorum. Pariter & Propheta regius in Psalm. dixerat: Noluerunt intelligere, vt bene agerent. Nec ista imposibilitas, seu potius dicas difficultas conuertendi à viis malis penes Deum est, qui omnes dulciter vocans, dicit: Conuertimini filij reuertentes, sed penes istos nolentes se disponere ad huiusmodi conuersionem attendenda est. De quorum numero non fuit Apost. qui vocatus à Domino statim conuersus, ait: Domine quid me vis facere? Nec prima obstat sequenti, quia Paulus licet hanc prius ambulauerit, non tamen in illa permansit, sed ab illa cõuersus fuit. Et sic intellectis præmissis, nulla in illis contradictio esse cernitur.

Prou.18. *Mat.6.* *Hie.3.* *Acto.9.*

CONTRAPO. CXCVII.

2.Par.6. *Deus solus nouit corda filiorum hominum.*
Prou.27. *Corda hominum manifesta sunt prudentibus.*

Si hominum corda solus ille nouit, qui cordium scrutator dicitur, quo priuilegio seu quo fauore prudentes homines hoc munus consecuti sunt? pariter & multi sancti, de quibus in patrum vitis legitur? Non enim soli Deo conuenire dicitur, quod & aliis cõuenire cernitur. Quibus sic respondendũ arbitramur, dicentes, quòd licet hominum corda agnoscere, & illabi sit solius proprietas Dei, qui cordium creator est, quem nil latere potest: nihilominus ob suam nimiã bonitatem, permittit prudentes homines huiusmodi muneris esse participes, sed non quoslibet prudentes, sed duntaxat hos, qui in se illam prudentiam continent, quam spiritus prudentiam Paulo placuit appellandam esse, quæ aliud non est nisi

Iob 42. *Gala.5.*

vita,gaudium, & pax animæ cum Deo : ſicut econuerſo illa quę carnis dicitur,inimicam eſſe Deo comprobatur quam & plerunque Scriptura condemnat:primam autẽ diffiniens Macrobius,ait:Prudentia eſt qua nihil præter rectũ aut laudabile fit. Sed & Auguſtinus pariter de hac laudabili prudentia locutus,ait : Prudentia dicitur illa, qua bona à malis diſcernuntur.Hanc vt in ſuis fidelibus continuè haberetur,præceperat Chriſtus,dum ait:Eſtote prudentes,ſicut ſerpentes.Pariter & Petrus, dum ait: Eſtote prudentes. Quam non confert Deus niſi his quos humiles corde eſſe cognouerit.Idcirco illam carnis paruipendens & econtrariò hanc ſpiritus commendans,dicit conuerſus ad patrem:Quia abſcondiſti hęc à prudentibus,& reuelaſti ea paruulis. Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque vlla contradictione illæſa.

Rom.8. *Prudẽtia vera quæ ſit.* *Mat.10.* *1.Petr. 4.* *Mat.11.*

CONTRAPO. CXCVIII.

NOn eſt homo qui non peccet.
Omnis qui natus eſt ex Deo non peccat.

Si non reperitur homo qui non peccet(vti Scriptura atteſtatur)quomodo verũ erit,quod econtrariò in altero ſubiungitur?Nónne etiã qui ex Deo natus eſt,legi peccati ſubiicitur?Nónne Ioannes dixerat: Si dixerimus quia peccatum non habemus,noſipſos ſeducimus? Et huic ſic reſpondendum nouimus dicentes, alteram intelligendam eſſe duntaxat de ſolo Chriſto, qui natus ex patre Deo nullatenus peccare poterat. De quo & Paulus locutus ait:Qui non nouerat peccatum,licet expertus fuerit omnia in illa carne,quam aſſumpſerat, ſecundum ſimilitudinem carnis peccati. Non enim natus fuit ſicuti & cæteri hominum naſcuntur formati videlicet ex congerie Adæ corrupta per concubitum maris, & fœminæ, ſed per operationem Spiritus ſanctificationis. Quanquam poſſemus dicere ad alteram, quòd homo,qui per baptiſmum naſcitur Deo filiúſque eius efficitur,ſi hanc,quam in baptiſmũ filiationẽ ſuſcipit, in ſe cõſeruauerit,verè ex illo genere erit hominũ qui nõ peccant.Et hoc eſt quod Ioannes alteri ſubiunxit, dum ait

1.Ioan. 3. *1.Ioan.1.* *2.Cor.5.* *Heb.4.* *Rom. 1.* *Homo quãdo naſcitur Deo.* *1 Ioan.3.*

in eo loco: Quoniã semen illius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Colligimus ergo, quòd ex ea parte qua homo filius Dei effectus est, peccare non potest, si hoc filiationis semen in se seruauerit, prout diximus: licet ex alia parte qua per peccatũ filius ac seruus diaboli effectus est: quia dum peccatis illaqueatur, filius Dei esse desinit. Et sic patet quid dicendum.

Homo quando filius Dei esse desinit.

CONTRAPO. CXCIX.

Psal. 84. VEritas de terra orta est.

Osea 4. *Veritas non erat in terra.*

Si in terra veritas fuerat orta, quomodo nõ erat in terra veritas, vt alter dixerat? Et huic quę nihil in se cõtradictionis videtur includere, dicendum placuit, quòd non eodem modo in præmissis accipitur veritas. Vtique in prima pro filio Dei accipiendam nouimus, qui præfinito tempore aduentante, de cœlis descendens carnem nostram mortalem assumpsit de Virgine, vt mendacium nostræ infectæ carnis totaliter expelleret: demum vt essemus noua conspersio in Deum. Nec obstat quia verbo pręteriti temporis vsus fuerit Propheta in Psal. quia moris est scripturarum, tempus pro tempore poni aliquando, hoc est præteritum pro futuro: quod & prænotatus Propheta vaticinio præuentus sic pro certo habebat, ac si coram oculis conspexisset. Alter verò non fuit Dauidi contrarius, dum totam hanc humanam congeriem conspiciens, nouerat illam omni veritate esse vacuam. Idcirco poterat confidenter dicere: Veritas non est in terra: & verè non erat in terra, quia postquam pater mendacij, per peccatum effecerat hominem sui iuris, hanc nobis pestem posidendam reliquit in terra, pro hæreditario iure. Ob quod qui illum sequuntur, nõ sunt ex veritate, sed filij diaboli, vt Ioannes nouerat. Qui ergo verax esse cupit, bibat de veritatis fonte, vt de Deo ructet quicquid dixerit, quia de suo illam non potest bibere. Non erit tamen mendax, inquantum non erit homo, sed Deus, participatione, iuxta illud: Ego dixi Dij estis, & filij excelsi.

Gala. 4.

1. Ioan. 2.

Solus igitur verax est Deus, omnis autem homo mendax. Et sic patet quomodo concordandæ sint præmissæ sententiæ.

CONTRAPO. CC.

Vanum est vobis ante lucem surgere. Psal. 126.
Non sit vobis vanum mane surgere.

Profectò si Propheta regius vanum esse nouerat ante lucē surgere, cur Ecclesia quæ in Psalmodia, necnō & in canendis diurnis horis atque nocturnis morē Prophetæ secuta fuit, aliud reliquit pro documento psallentes instruens? Nónne ecclesia in huiusmodi Spiritu sancto regitur, vt aiunt? Idcirco & huic pariter nouimus dicendum, primam allegoricè explanantes, & dicentes: Vanum fuisse patribus sub litera cæcutiente degentibus à peccatis surgere ante lucem Christum, qui mundum iacentem in tenebris duntaxat releuare poterat à peccatis, ac illustrare cognitione Dei. Quod & vaticinio prę uentus Zacharias dixit in Cantico: Illuminare his qui in tenebris, & vmbra mortis sedent. Pariter & illis qui iam mortui in limbo iacebant, vanum erat inde surgere, nisi veniret ille qui captiuam captiuitatem secum tanquam victor de bello debebat deducere, vti in psal. fuerat vaticinatum. Vel dicamus si placet, quòd idcirco his vanum fuerat ante caput surgere, ne deformitas appareret in corpore, si membra prius surrexissent ex mortuis. Sic ergo primam intelligentes non videtur alteri esse opposita, quia & mater Ecclesia eodem spirante flamine, hortatur psallentes, vt eiusdem Vatis morem sequentes, lucē solarem præueniant ad persoluēdas laudes matutinales, iuxta illud: Media nocte surgebam ad cōfitendum tibi: causa autem cur hanc mediam noctem elegerit ad psallendum, iam aliâs ad plenum declarauimus. Et sic liquidò patet quid fuerat ad præmissa dicendum.

Lucæ 2. Psal. 67. Psal. 118.

CONTRAPO. CCI.

Deus vltionum Dominus, ait Psal. Psal. 93.
Deus clemens, & misericors. Ioan. 4.

Si Deum esse misericordem & pium tota Scriptura fatetur, quid est quòd Deum vltionum eum esse dixerat Propheta? Nō vtique misericors venit dicendus, qui Deus vltionum ac exercituum comprobatur esse. Idcirco & huic, quæ nil in se contradictionis videtur continere, dicendum putauimus, quòd pari passu concurrunt in Deo misericordia, & vltio, nec vnum aliud excedit in Deo, sed æqua lance appenduntur. Quod & illū non la-
Psal.114. tuit, qui cùm in Psal. dixisset, ꝙ Deus miserator & misericors erat, continuò subiunxit, Et iustus Dominus. Nēpe & misericordem illū esse oportet respectu prædestinatorum, vltorem verò & iustum respectu pręscitorum. Quanquam (vt aliâs pręfati sumus) vltioni sit semper annexa misericordia, cùm non puniat puniendos secundū quantitatem delictorum, nec secundum multitudinem iræ suæ quærat: sed semper citra condignum, vt aiunt.
Psal.9. Nam si delictorum quantitatem vltioni cōpensare vel-
Theol. let, quis eius iram sustinere posset? iuxta illud Psalm. Si
Psal.129. iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit? Diuina enim bonitas idcirco in hoc irascitur sæculo, ne in futuro irascatur, & misericorditer temporalem adhibet seueritatem, ne æternam iustè inferat vltionem. In ea enim patientia qua inuitat ad pœnitentiam, & in ea indulgentia, qua ignoscit pœnitentibus, & in ea iustitia, qua punit eos qui corrigi nolunt, vtrunque testamentū conuenire atque congruere cernimus, tanquam ab vno eodémque Deo vtrunque cōscriptum. Et sic patet quid ad præmissa dicendum fuerat.

CONTRAPO. CCII.

Psal.7. *Deus iudex iustus.*
Esa.59. *Non est qui iudicet veré.*

Si Deum iustum esse iudicem credimus corde, & scripturis roboramur, cur alter Propheta aliud sensit, dicens: Non est qui iudicet veré? Nónne & sibimet pariter contrarius fuit, qui & alibi dixerat, Dominus iudex
Esa.33. noster? Vnde ergo hæc mutatio? Laborabimus enim vt & hanc soluamus dubitationem, dicemúsque nil con-

tradictionis contineri in præmiſsis.Profectò prima ſen- *Eſa. 59.*
tentia iſtius prophetæ ad peruerſos & iniuſtos iudices
illius tēporis referenda eſt,qui cùm eſſent iniqui ac omni dolo pleni,cauſas pupillorum ac viduarum extorquebant,vt in prænotato loco præmiſerat alloquens præfatos iudices,& dicens : Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt:demum ſtatim ſubintulit : Non eſt qui inuocet
iuſtitiam,neque qui iudicet verè:ſed & alia alterius Pro- *Pſal. 7.*
phetæ taliter ex ſe patens eſt , & manifeſta , vt non indi- *Pſal.118.*
geat explanatione vlla.Iuſtum enim eſſe Deũ,& iuſtum iudicium eius,frequentiſsimè in ſcripturis habetur:licet quibus non ignoſcitur,Dei iuſtitia eſt:quibus verò ecõ-
uerſo ignoſcitur,gratia eſt: Iuſta eſt enim gratia Dei, & *Pœnitentiam præcedit gratia.*
gratia iuſtitia, cùm in vnoquoque pœnitente, meritum gratia præcedat , quod & neminem peccati ſui pœniteret,niſi admonitione aliqua vocationis Dei.Porrò iuſtitiæ diuinæ tanta conſtantia eſt , vt cùm pœna ſpiritali & ſempiterna pœnitentia fuerit relaxata , preſſuræ tamen cruciatúſque corporales, quibus etiam martyres exercitatos nouimus,poſtremò mors ipſa,quam peccãdo meretur noſtra natura , nulli relaxetur. Et ſic patet quid dicendum fuerat ad præmiſſa.

CONTRAPO. CCIII.

EGo dixi,Dij eſtis. *Pſal.81.*
Abſque me non eſt Deus. *Eſa.44.*
Si nullus alius eſt Deus præter illum quem nos verum Deum eſſe credimus, & corde confitemur ſyncero,
cur quaſi alij Dij eſſent præmittitur à Propheta, Ego di- *Pſal. 81.*
xi, Dij eſtis ? Idcirco & huic ſic reſpondendum placuit, dicentes quòd aliter in prima , & aliter in altera accipitur Deus.Vtique in ſecunda de Deo per eſſentiam fit locutio , præter quem non datur alius Deus . Sed de Deo per participationem prima eſt intelligenda . Fideles e-
nim homines per adoptionis gratiam , Dij , ac filij Dei *Epheſ.1.*
dicendi ſunt.Pariter,& de iudicibus in ſolio iudicij ſedẽ- *Homines quare dij dicatur.*
tibus litera poteſt intelligi.Hi enim ex officio, Dij quoque appellandi ſunt,inquantum videlicet diuinæ iuſtitię

executores esse cernuntur in sæculo. Et ad hunc sensum idem propheta locutus est in alio Psalm. dum ait: Deus stetit in synagoga deorum, id est, iudicum, quibus pariter diuinus sermo factus est, dicens: Ego dixi, Dij estis, hoc est status vester in sublimi positus requirit, vt sicut Dij sitis excedentes alios dignitate, ita & illos debetis excellere vita, virtute & conuersatione honesta & laudabili, vt tanquam candelabrum lucidum & lucerna ardẽs splendeatis in subditis. Et sic seruantur præmissa absque vlla contradictione illæsa.

Psal. 85.

CONTRAPO. CCIIII.

Psal. 102
Sapiẽ. 9.

DEus in perpetuum non irascendus.
Impiis ira sine misericordia vsque in nouißimum.

Si in perpetuum Deus dicitur non irasci, quomodo verum est quod in altero dicitur, quòd videlicet ira sine misericordia superuẽtura sit impiis vsque in nouissimũ? Et huic, quæ nullam in se oppositionem continet, dicendum placuit ad secundam, quam sic esse intelligendam iudicamus, vt eius sit sensus, quòd illis impiis ira in perpetuum superuentura sit, qui in suis impietatibus perdurantes vsque in nouissimum, nullatenus conuerti voluerunt ab illis, quibus nulla potest esse misericordiæ spes, ponentes obicem diuinæ clementiæ, ne à peccatorum suorum langoribus sanarentur: idcirco in præceps ruentes, insanabiles effecti sunt: nam conuerti spernentes, in duritiem cordis prolapsi sunt. Sed his qui econuerso per pœnitentiam ab impietate conuersi sunt, non in perpetuum irascetur Deus, quinpotius suam conferens indulgentiam, sanabit illos à peccatis, & ad pristinam deducet gratiam suscipiens in filios. Nec intelligendum est quòd Deus in quo nulla passio continetur, iram in se contineat, quę perturbatio animi dicitur & vindicta iniquitatis, cùm aliud non sit Dei ira, nisi auersio vultus eius. Illi enim irasci dicitur Deus, quem peccantem non flagellat, quem verò, vt pater corrigit, hunc non vt iudex determinat perpetuis cruciatibus deputare. Et sic patet quid dicendum fuerat.

Rom. 2.
Psal. 102
Heb. 12.
Dei ira quid sit.

CONTRAPO. CCV.

Bonum faciens non est vsque ad vnum. Psal. 13.
Bonum facientes fuerant socij Pauli. Gala. 6.

Si ad tam exiguum numerum deducti fuerũt benefacientes, vt vsque ad vnum non sit iuuentus qui bonum faceret, quo fauore Pauli socij, hoc munus adepti fuerũt, vt bonum facere dicti sint? Vtique primum, dempto Christo, de omnibus fuit dictum. Idcirco & huic pariter arbitramur dicendum, ꝙ prima non penes personam, sed penes populum illum attendenda est. Nam postquã propheta in prænotato Psal. præmiserat, dicens: Dominus prospexit super filios hominum, vt videret si est intelligens aut requirens Deum, nec reperisset, continuò filios Dei à filiis hominum segregans subiunxit, dicens: Psal. 13. Non est qui faciat bonum, nõ est vsque ad vnum. Quos & alibi increpãs, ait: Filij hominum vsquequo graui corde. Psal. 4. Qui si per gratiæ visitationem à malis emendati, efficerentur boni, non amplius filij hominum, nec filij Adam transgressoris, sed filij Dei rursum nuncupãdi sunt: & econtrariò: tolle, ꝙ homines qui per baptismalem gratiam filij Dei prius extiterant, iterum peccatis illaqueantur, non amplius filij Dei, sed filij Adam terreni, ac filij diaboli meritò sunt dicendi, quẽ peccantes imitati sunt, dum spernentes incommutabile bonum, ad bona temporalia conuersi sunt, corde & opere adhærentes carnalibus. Et sic patet quid dicendum.

Homines quomodo filij Dei, vel hominum dicẽdi sunt.

CONTRAPO. CCVI.

Similis quis erit Deo? Psal. 88.
Similes ei erimus. 1. Ioan. 3.

Si Ioannes iudicauit nos fore similes Deo in alio sæculo, dum transformati erimus in eandem imaginem, cur hoc nequiuit percipere Propheta regius, cui incerta & occulta sapientiæ diuinæ fuerant manifestata & reuelata? Psal. 50. Idcirco & huic pariter dicendum arbitramur, quòd sententia Ioannis sano intellectu est intelligenda, vt eius videlicet sit sensus, ꝙ similes ei erimus, inquãtum scilicet creatura suo creatori assimilari potest. Scire autẽ

Dei similitudinem quando acquisituri simus. te velim, quòd quamuis ad imaginem & similitudinem Dei facti simus, non tibi attamen videri velim oculum illum oculi, manúsq; manuũ formam habere, sed in ipso altissimo esse quid intrinsecũ, vnde defluunt scaturiúntq; vniuersa. Nulla igitur inter ipsum & nos meritò substãtiæ, atque similitudo extat, sed membrorum duntaxat intentio est. Eris tamen Deo similis si inimicum dilexeris, sicut ipse facit, qui solem suũ oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Perfectam tamen Dei similitudinem & imaginem qua in creatione primæua insigniti fueramus accepturi sumus, sed non similes ei erimus in natura: quia ille Creator, nos creatura eius: ille sine principio, nos ab illo creati: ille immortalis, nos natura mortales. Et licet habituri simus cum illo æternitatis similitudinem, cùm non simus finem habituri, non tamen incircunscripti habebimus similitudinem, sicuti ille habet: propter id tamen, quod in nobis modò simile est Deo, eo ipso vti debemus, veluti tẽplo Dei, vti Pythagorici Sixti sententia monemur. Et sic seruantur præmissa absque contradictione.

CONTRAPO. CCVII.

Psal. 84. *Conuerte nos Deus salutaris noster.*
Ioan. 1. *Conuertatur vir à via sua mala.*

Si Vates in psal. rogauerat, vt Deus nos dignaretur conuertere, cur Ionas eodem perfusus flamine hortabatur Niniuitas, vt vnusquisque à via sua mala recederet, & conuerteretur ad Deum, tanquam si istud conuerti in illorum potestate esset? Quibus confidenter respondendum nouimus, dicentes, quòd Ionas suis verbis non intendebat Deum excludere, quem principaliter concurrere nouerat huiusmodi cõuersioni: ab ipso enim, & bonũ velle, conuersioni necessariũ, procedere dicitur: quod & nobis idcirco porrigitur, vt illi nostrum præbeamus assensum, concurrentes cũ illo, & lapidem iaciẽtem pro fundamento huius spiritualis ædificij, vt postmodũ sua concomitante & subsequente gratia sequatur conuersio, quæ nullatenus sequi posset, nisi prius illo inspirante

Bonum velle semper à Deo.

bonum velle. Nec obstat, quod dicit Apostolus, quòd velle adiaceat nobis, quia de indifferēti velle ad bonum & ad malum intelligitur sententia, licet bonum velle nobis inesse non possit sine Dei ope. Quod, & liquidò ostendit, dum voce Prophetæ dixerat bonum facere cupienti: Tantummodo in me auxilium tuum: ipse enim ex sua nimia bonitate & clemētia, non solùm incerta & occulta visitatione cor nostrum pulsat, vt conuertamur ad illum, qui hucusque per peccatum ab illo fueramus auersi: sed etiam multifariè multísque modis per Prophetarum oracula nos continuè admonet. Nempe ipse magis diligit misereri nobis, vt conuertamur à viis nostris malis, quàm non misereri, vt perdamur in æternis cruciatibus. Idcirco toto corde coram illo prostrati dicamus cum Ecclesia: Nostris malis offendimus tuam Deus clementiam effunde nobis desuper remissor indulgentiam. Et hoc erit fructuosum ad illum conuertere, & ab illo conuerti. Nec prima obstat alteri sic intellectis præmissis, quia dum nos dolentes de culpis, lumini suæ gratiæ præbemus assensum, sua subsequente ac in opere concomitante directione sequitur perfecta ac completa conuersio. Nam quamuis Deus, qui nullo continetur loco, discedat ab eorum cordibus, qui eum relinquunt moribus non pedibus, venit tamen ad illos qui conuertuntur ad illum non facie, sed fide, & accedunt ad eum mente non carne. Ad illum autem perfectè non vales conuerti, nisi ab hoc sæculo totis viribus auertatis. Ipse enim conuersis indulgentiam promisit. Sed dilationi crastinum non promisit. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

Rom.7 *Osea.3.* *Apoc.3.* *Deus à quibus discedit.*

CONTRAPO. CCVIII.

D*Eus repulisti nos, & destruxisti.* *Psal. 59.*
Non repulit Deus plebem suam, alibi. *Rom.11.*

Profectò si Dauid vice patrum priorum in psal. locutus nouerat plebem Domini esse à Deo repulsam, cur Paulus diuinorum secretorum conscius aliud dixit? Nōne Dauid tempus Christi præueniens posuit præteritum pro futuro, quemadmodum plerunq; facit in aliis

psalmis? Nã præuidens Iudæos esse incredulos, & Christum non suscepturos in redemptorem, eos repellendos iudicauit, ne amplius videlicet essent plebs, seu populus Dei. Idcirco dolens, conuersus ad Deum dixit: Deus repulisti nos, &c. Vel dicamus ad alteram, quòd Apostolus Romanos alloquens, nõ ibi suam terminauit sententiã, quinpotius addidit: Quam præsciuit crediturain, supple in vnigenito suo. qua in re licet cadentes aliquos ex illis, & offendentes in petram scandali liquidò videamus repulsos, nõ ob hoc obstat, quòd & talium reliquię non sint saluandæ, quæ secundum electionem gratiæ præuẽtæ fuêre. Enimuero (vt præfatus doctor gentium adiecit) ex illa diuina dispensatione actum fuit, vt ex aliquorum incredulitate salus transiret ad gentes, quæ in Dei populum subintrantes veri Israël sortitæ sunt locum & nomen, vti veritatis magister illis comminatus prænun-
Mat.21. tiauit dicens: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Idcirco hanc obiectionem soluentes dicendum nouimus, quòd de illis primam iudicamus intelligendam, de quibus diuina voce per aliũ Prophetam dictum fuit: Et vocabo non plebem meam,
Osee.2. plebem meam. Et sic patet quomodo ex parte fuerunt repulsi, & parte non, sed conseruati

CONTRAPO. CCIX.

Psal.109 *CHristum esse Dominum suum Dauid confessus est.*
Mat.1. *Filium Dauid fuisse Christum agnouit Euangelista.*

Si Dauid præuiderat Christum Dominũ suum esse, dum præuentus spiritu, ait in spalmo, Dixit Dominus Domino meo, cur Euangelista seriem natiuitatis Christi narrans, ait: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid? Non enim vt cernimus, simul stare possunt præmissa, vt videlicet, & filius, & Dominus dicatur, respectu vnius, & eiusdem. Sed si diligenter velimus ista discutere, proculdubio agnoscemus nil controuersiæ contineri
Natura duplex in Christo. in prænotatis. Nam si duas naturas in illo contemplari placuerit, vtrũque fuisse verum facilè iudicabimus. Profectò secundum naturam diuinitatis, qua patri in om-

nibus æqualis esse cernitur, Dominum esse non solùm Dauid, sed & cæterorum omnium, fide syncera credimus. Sic enim ante sæcula à patre genitus esse agnoscitur, & creditur ex illa, videlicet memoria fœcunda, vt aiunt. Sed ex alia parte contemplantes illum, inquantum mortalem naturam assumpsit in tempore, filius Dauid dicendus est, ex eius videlicet semine generatus: & secundum hunc sensum altera est intelligenda. Agnosce ergo si errare non vis, Christum Dominum Dauid semper esse, filium verò Dauid ex tempore, Dominum Dauid natum de patre, filium Dauid natum ex virgine, ac conceptum de Spiritusancto. Vtrunque qui confitetur catholicus est: habet enim patriam, habet viam: habet patriam, in principio erat verbum: habet viam, quia semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Quanquam ad primam possemus dicere, quòd identitas repetiti nominis in prænotato psal. idētitatem figurat essentiæ, dum dicitur: Dominus Domino: sed huiusmodi variatio casuum in repetito nomine, personarum alteritatem designat. Et sicuti in eodem nomine casus à casu inflectitur, sic in vna eadémque essentia, persona à persona gignitur vel procedit. Et sic soluūtur præmissa absque vlla contradictione.

Theol. *Galat.4.* *Mat.1.* *Casus inflexio.*

CONTRAPO. CCX.

Esa.35. *Hier.12.*

F*Lagella peccatoris multa sunt.*
Bene est omnibus qui præuaricantur.

Si multa flagella peccatoris esse nouerat Vates regius, quid boni inesse poterat legem Dei præuaricantibus? Quibus absque vlla hæsitatione placuit dicēdum, quòd quando Propheta dixerat: Bene est omnibus qui præuaricantur, hoc non ex mente sua prænuntiauit, sed potius admiratus Dei patientiam, cur talibus bene sit, se causam nescire his verbis ostendit. Veluti & alius qui clementiam qua erga peccatores vtitur Deus, pariter admiratus ait conuersus ad Deum: Quare non respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se? Quanquam possemus dicere, quòd idcirco bo-

Abac.1.

na præſentia peccatores ſequuntur in præſenti ſæculo tanquam terrenos ciues, vt in futurum poſtmodum malum illos excipiat, niſi flagellis & correctionibus à ſuis malis fuerint expurgati in præſenti ſæculo. Idcirco de

Iob. 21. non ſic emendatis dixerat alius: Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Hi enim cùm

Pſal. 72. ſint carnales & terreni, in cœlis portionem non habent. Idcirco bona terræ prȩſentia illos ſequuntur fauéntque

Geneſ. 6. eis, vt demum ex hoc mundo migrantes perdantur ſimul cum terra. Qui autem patienter tollerat flagellatus à Deo, hic non remanebit exhæredatus. Vnuſquiſque enim pro peccatis ſuis neceſſariò flagellatur. Nam quãdo Deus aliquẽ flagellat in terra, admonitio eſt, nõ damnatio. Flagellum enim Dei, medicamẽtum eſt peccati: Sicut enim aliquando per vile ſarmentum quod deinde ad ignem proiicitur, pater iratus flagellat filium quem ad hæreditatem ſeruat, ita Deus ſiue flagellat, ſiue blandiatur, erudit hominem cui parat hæreditatem. In hoc enim quod nos flagellat, Deus diligit: Flagellat autem ipſe, vt corrigat, non vt perdat. Idcirco noli repellere flagellum, ſi non vis repelli ab hæreditate. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CCXI.

Pſal. 94. *IPſi verò non cognouerunt vias meas.*

Hier. 5. *Cognouerunt viam Domini, & iudicia eius.*

Quomodo viam Domini cognouerant illi populi, de quibus ipſe Dominus in pſal. conqueſtus, ait contrarium? Quibus pariter reſpondẽdum arbitramur, dicentes, quòd ſi verborum ſeriem velimus perpendere, clara luce videbimus nil contradictionis cõtineri in huiuſmodi: non enim de eodem populo, nec minus eodem tempore præmiſſa dicta fuêre. Nam ſecundum de optimatibus, & forſan gentilibus dictum fuit, qui illo tempore Prophetarum Domini prædicatione audita, relictis idolis ſuis, viam Domini agnoſcentes ad illum conuerſi ſunt. Sed primùm de patribus Aegyptum exeuntibus dictum eſt, qui viſis tot portentis & ſignis, quæ Do-

minus operabatur per famulum ſuum Moſem,non crediderant Domino: quinpotius inſurgenres in Moſem & Aaron tentauerunt illos opprimere, dicentes alteri: Fac nobis Deos qui præcedant nos. Idcirco ob hanc incredulitatem mortui ſunt in deſerto non valentes ingredi illam terram deſiderabilem promiſſam Abrahæ, ſicuti Scriptura vetus vnà cùm Paulo commemorat. Et ſic patet quid dicendum. *Deut.9.* *Pſal. 94.* *Heb.4.*

CONTRAPO. CCXII.

Deus inhabitare caliginem, teſtatus eſt Sapiens. *2.Par.6*
Deum inhabitare lucem, Paulus alibi dixit. *1.Tim. 6.*

Si Deus lucem illam diuinam inhabitare dicitur, *1.Ioan.1.* ſicut Paulus vnà cum Ioanne nouerat, cur præmiſſum eſt ipſum inhabitare caliginem? Dixerat enim Moſi famulo ſuo: Veniam ad te in caligine. Pariter Salomoni pollicitus eſt habitare caligiñe. Hæc enim vt cernimus ſimul ſtare nequeunt, vt caliginem ipſe inhabitet, & lucem pariter. Idcirco elaborandum eſt nobis, vt ſine cõtradictione ſeruemus & hanc. Placuit igitur dicendum, quòd idcirco ſe venturum promiſerat Moſi in caligine, & pariter Salomoni poſt templi erectionem, quia in illa luce, quam ipſe inacceſsibilem inhabitat, non poteſt comprehendi, nec videri à mortalibus. Profectò per hãc caliginem, tegumentum ſuæ maieſtatis placuit intelligi, quo tegitur ne videatur, niſi quando ipſe vult, & à quibus vult. Hac pariter caligine totum orbem implere dicitur, qua & lux diei obtenebrari dicitur, vt Prophetarum eximius decantando, dixerat: Et lux obtenebrata eſt in caligine eius. Quanquam poſſemus dicere, & non ab re, quòd per hanc caliginem qua circundatur vndique Deus, myſteriorum profunditas intelligenda ſit, quam attingere nequeunt, niſi qui mundo ſunt corde. Quem gradũ conſecuti fuerant illi, de quibus Chriſtus locutus, ait: Vobis datum eſt cognoſcere myſteria regni Dei: ſed ecõuerſo de illis dicitur, qui hoc munus nõ fuerũt adepti, quos & Scriptura cõmemorãs dicit: Qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria. Colligimꝰ ergo *Exod.32.* *2.Par. 6.* *Exod.32.* *Eſa. 5.* *Mat. 5.* *Luc. 8.*

Prou.25. ex præmiſsis, quòd licet Deus lucem inhabitet ſplendi-
Pſal.75. diſsimã, iuxta illud: Et habitatio eius in Syõ, quod & ſpeculum interpretari nouimus, tamen ob ſuam innatam clementiam, dignatur aliquando caliginẽ ingredi, vt ſic videatur à ſe diligentibus, vt Moſi fecerat, & quampluribus aliis, quibus in obſcuris apparuit, ac tectus nube, ſeu alio veſtimento velatus. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CCXIII.

Pſal.116. *Laudate Dominum omnes gentes, ait pſal.*
Eccl.15. *Laus non eſt ſpecioſa in ore peccatoris.*

Si omnes (nullo excepto) introducuntur in pſal. ad laudandum Deum, cur ab huiuſmodi laude peccator eximitur in ſequenti, tanquam non idoneus ad Deum laudandum? Idcirco & huic pariter ſic claudicantes nouimus dicendum, quòd ob hoc peccator eximitur ab huiuſmodi laude, quia talis nõ eſt dignus pane quo veſcitur, qui per emendationem vitæ, Deum ſibi propitium habere non curat. Vtique iſte ſi orauerit Deum non
Ioan.9. exaudietur, propter id quod ſcriptum eſt: Peccatores non exaudit Deus. Exaudit tamen illum Deus, cui & præſto eſſe dicitur, qui ad ſe toto corde conuerſus dicit
Pſal. 50. cum gemebundo Propheta, Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam: & ſecundũ multitudinem miſerationũ tuarum dele iniquitatem meam. Hic enim licet prius peccator extiterit, tamen amplius
Prou.12. peccator dicendus non eſt, iuxta illud: Verte impios, & non erunt. Idcirco à Dei laude nemo ceſſare debet, quia
Pſal.49. peccator eſt, quia & de omnibus ſermo diuinus dicit: Sacrificium laudis honorificabit me. Et ne peccator tanquam ad id faciendum æſtimaretur non idoneus ſtatim ſubnexum eſt in eodem pſalmo: Et illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei. Ex quibus verbis hortatur vt & peccator ipſe Deum laudet, quia dum illum laudat, hoc ſaltem obtinere meretur, vt ſibi oſtendatur iter ſuæ cõuerſionis ad Deum. Quo oſtenſo, viam ſuam emẽdans, redditur capax gratiæ Dei, qua poſtmodum & iuſtificari meretur. Et ſic patet quid dicendum fuerat.

CONTRAPO. CCXIIII.

Verbo Domini cœli firmati leguntur. *Psal.32.*
Dominus stabiliuit cœlos prudentia. *Prou.3.*

Profectò si verbo Domini cœli firmati fuêre, non vtique stabiliti sunt prudentia. Nam firmare & stabilire (vti Grammatici sentiunt) idem significatū continent. Quanquam Hebraïca veritas, non stabiliti dicat in primo, sed facti. Idcirco ne in errorem remaneamus, placuit dicendum, nostram sequentes traductionem, quòd illosmet cœlos, quos verbo Domini fuisse firmatos nouimus, eosdem verbi Dei prudentia agnoscimus stabilitos. Quanquam forsan per cœlos hoc in loco, Prophetæ pariter & Apostoli intelligendi sint. Qui tanquam spirituales cœli verbum Domini disseminantes, vndique enarrauerunt populis gloriam Dei, iuxta illud: Cœli enarrant gloriam Dei. Hi enim Domini verbo taliter firmati, & stabiliti fuerunt, & verbis prudentiæ roborati, vt nullatenus minas impiorum hominum timerent, sed inflammati igne diuini eloquij ibant gaudentes à conspectu concilij, vt Lucas refert in Actibus. Et sic seruantur præmissa absque aliqua contradictione illæsa.

Heb. ver. *Psal.18.* *Act.5.*

CONTRAPO. CCXV.

Omnia in sapientia fecisti. *Psal.103.*
Verbo Domini omnia facta sunt. *Sap.9.*

Quomodo in sapientia Deus fecerat omnia, si verbo suo fecerat illa? Et huic, præter illa quæ in præcedentibus prefati sumus, & illud superaddendū placuit, dicentes nil in huiusmodi contradictionis contineri. Stat enim, vt verbo Domini facta sint omnia, quę prius extiterant in sapientia tanquam locata in domo, & quòd demū in proprias species per verbū distincta fuêre. Quod & magno mysterio designauit Ioannes, dum ait: Quod factum est, videlicet per verbum, in ipso vita erat. Et quòd omnia in sapientia prius existerent, quo ad radices ideales, antequam ad extra & realiter apparerent, magno sacramento occultauit Scriptura, cuius initium, & caput per literam illam Hebraïcā Beth, quæ pronun-

Ioan.1. *Genes.1.*

tiata, vt dictio domum repręsentat, & non nisi illam, in qua vniuersa fuerunt condita, antequam essent ad extra, vt Paulus aperuit dum de verbo ipso fecerat mentionem. Beth enim litera (vt Hebræorũ proceres sentiunt) Diuini verbi sigillum esse dicitur. Per quod non solùm omnia facta sunt, sed & reparata leguntur pariter. Quãquam ad præmissa clarius respondentes, possemus dicere, idem repræsentari per verbum & sapientiam. Nam quam sapientiam prius nominauerat Vates, hanc & verbum postmodum vocauit Sapiens, per quod omnia facta & conseruata leguntur. Et sic patet quid dicendum.

Colos. 1.
Beth sigillum verbi.

CONTRAPO. CCXVI.

Psal. 118. I*Ncola ego sum in terra.*
Ephes. 2. *Iam non estis hospites & aduenæ.*

Si incolam in terris se esse nouerat Vates, quid est quòd Apostolus sub eodem principe Deo militãs aliter sensit scribens Ephesiis? Idcirco & huic, quam & infrà explanaturi sumus, modò tamen dicendũ placuit, quòd patres illi priores idcirco se esse incolas agnouerũt, quia nondum ciues cœlicos se effectos nouerant. Quanquã & hoc se consecuturos per fidem expectarent aliquando. Idcirco prænotatus Vates rite dicere poterat vnà cũ illis patribus: Quoniam aduena & peregrinus sum, sicut omnes patres mei. Nec huic opponitur altera quę de gẽtibus sub lege gratiæ dicta fuit. Hi enim per fidem Iesu Christi ad id muneris iam peruenerãt, vt ciues cœlici nõ solùm efficerentur, sed & hæredes pariter illius cœlestis Hierusalẽ, quæ mater nostra dicitur à Paulo: Qui dum Ephesios cõspiceret hoc munus cõsecutos esse hortatus est illos vt non sicut incolę, & à Deo alieni terram inhabitarent, sed sicut domestici & amici Dei illã perambularent, cœlum habentes præ oculis, cuius iam ciues effecti fuerant ab illo, cui omnis potestas à patre collata fuerat. Sic ergo intellectis præmissis in nullo cõtrariantur.

Psal. 38.
Christianus ciuis cœlicus dicitur.
Galat. 4.
Ephes. 2.
Mat. 28.

CONTRAPO. CCXVII.

Psal. 93. Q*Vi plantauit aurem non audiet.*
Sap. 1. *Auris zeli audit omnia.*

Si pro quia, auris zeli audit omnia, quid est quòd Propheta aliud sentit in prima? cui & dicendum arbitramur sic illam esse intelligendam, agnoscentes vt sensum in se affirmatiuum contineat, & non negatiuum. Quis enim tam foret insipiens, & mente captus, vt crederet quòd ille qui aurem plantauerat in homine, non audiret ea quę proferuntur ab illo? Nempe & hoc philosophum non latuit, qui ait: Nemo dat quod non habet. Idcirco aliter respondentes ad primam placuit dicendum, quòd postquam in psal. Propheta citauerat stultos ac insipientes in populo, illósque conueniret vt quæ Dei erant saperent ac intelligerent, præfatósque increparet de incredulitate, continuò subiunxit, dicens: Qui plantauit aurem non audiet, quasi diceret, tam stulti & insipientes facti estis, vt credatis quòd ille qui nobis tribuit aurem, vt audiatis ipse non audiat. Vtique quem hominum cogitationes latere non possunt, nec verba prolata ab homine latere poterunt. Auris autem zeli, quæ omnia audire dicitur, auris Dei est, qui tunc zelare dicitur, dum creaturam suam, quam non vult perire, sæpe castigat, corripit, atque flagellat, & flagellando ad se reducit. Vel certè zelare dicitur Deus, cùm nullum peccatum impunitum vult relinquere. Iustus enim ipse est: & ideo omnis iniustitia execrabilis est illi, quam vt dictum est, impunitam nullo modo relinquere patitur. Quanquam, vt pluries præfati sumus, zelus & ira impropriè Deo tribuuntur. Sic igitur intellectis præmissis, prima non contradicit alteri.

Philosop.

Psal. 43.

Iob 24.

CONTRAPO. CCXVIII.

Non est viri suos facere gressus. *Her. 10.*
Rectos gressus facere concessum homini. *Hebr. 12.*

Si non est viri suos facere gressus, vt per Prophetam dicitur in primo, quid est quòd doctor gentium, tanquam si gressus rectos facere esset in hominis potestate, aliud dixit in sequenti? Idcirco & huic, præter id quod in præcedentibus prætulimus, dicendum placuit, agnoscentes Apostolum Prophetę non fuisse contrariū.

Greſſ⁹ facere rectos ad quem pertinet. Nam licet greſſus facere ſit in hominis poteſtate, cui & velle adiacet, nequit tamen illos per ſe facere rectos, nec perficere ſine illo, cui conuenit illos figere in homine. Quod & prænotatum Apoſtolum non latuit, qui alteri
Philip.1. Eccleſiæ ſcribens, ait: Confido autem in Domino, quia qui bonum opus cœpit in vobis, perficiet vſque in diem
Pſal.16. Domini noſtri Ieſu Chriſti: Pariter & Regius vates ad
Pſal. 36. Deum conuerſus, ait: Perfice greſſus meos in ſemitis tuis: nouerat enim hos greſſus nullatenus poſſe dirigi ſine Deo: idcirco infrà dixerat: Apud Dominum greſſus hominis dirigentur. Sed quia Deus ſtatuit, vt in opere iſto con ſenſus addatur hominis, idcirco veritatis præco, tan-
Hebr.13. quam Chriſti diſcipulus, & Hebræorum præceptor admonet præfatos, vt ſuis votis concurrentibus hos greſſus
1.Cor.3. rectos faciant, tanquam Dei coadiutores in opere, ne abſque illo hos facientes greſſus claudicarent, tanquam cæcutientes, errantes à recto itinere. Et ſic patet quid fuerat dicendum.

CONTRAPO. CCXIX.

Pſal.34. *QVare faciem tuam auertis?*
Pſal.50. *Faciem meam non auerti.*
Cur enim de faciei diuinæ auerſione propheta conqueritur, ſi, teſte Deo, faciem ſuam non auerterat, vt in altera dicitur? Et huic quæ omni controuerſia caret, placuit dicendum, & potiſsimum ad primam quam de peccatore homine, cui Deus iratus eſt intelligendam nouimus: Hunc Deus ſic odio habet, vt eum pati nequeat, nec oculis ſuæ clementiæ in tam deformi poteſt reſpicere, quinpotius faciem ſuam ab illo auertens longè efficitur. De quorum numero fuerant illi qui conqueſti di-
Pſal.18. xerunt ad illum: Vt quid Domine auertis faciem tuam à nobis? nos ſupple relinquens in miſeriis, & calamitatibus: cur enim beneuolentiam tuæ præſentiæ modò abſcondis, quam erga homines oſtendere ſolebas? Nam a-
Mar.10. liquando euenit, quòd peccator dum ſe priuatum nouerit lumine diuinæ gratiæ, tactus dolore intrinſecus, & iam ſupplex effectus vt alter cæcus ſecus viam mendicans

dicãs clamet ad Dominum, dicens: Quare faciem tuam auertis & obliuiſceris inopię meæ? Sed non de Deo, ſed de Chriſto ſequens eſt intelligenda, qui faciem ſuã non eſt paſſus auertere, à conſpuentibus in ſe, vt circunſtans litera liquidò manifeſtat. Et ſic patet quid dicendum. *Eſa.50.*

CONTRA.PO. CCXX.

Psal.25.
1.Cor.11.

PRoba me Domine, & tenta me.
Probet autem ſeipſum homo.

Si Propheta conuerſus ad Deũ rogat illũ vt ſe ꝓbet, cur econuerſo Paulus hortatur hominẽ, vt ſeipſum probet, tãquam ſi hoc probare in hominis eſſet poteſtate? Quibus arbitramur dicendum, quòd licet de eadem probatione hominis fiat mentio in vtraque, tamen quia abſque Deo non eſt perficienda, qui ſolus renes & corda probare dicitur, idcirco vt illam nobis benignè conferat rogandus eſt, dicentes cum pſal. Proba nos Domine, id eſt, apta conſcientiã, & interroga vitam, proba cogitationes, & interroga opera, quia factis malorũ non conſentimus, nec legi carnis obedimus. Sic ergo prima intellecta alteri non contrariatur, quæ de probatione hominis mentionẽ facit, qua quilibet deuotè accedẽs ad ſacramentum altaris probare ſe debet quantũ in ſe eſt, ne tanquam ſauciatus criminibus, ac conſciſſis veſtibus accedat ad hanc menſam, & repellatur ab illa tanquam ſordidus & immundus, & fiat illi (quod abſit) quod in Euãgelio dicitur: Ligatis manibus & pedibus proiiciatur in tenebras exteriores. Et ſic quod illi bene ſe diſponẽti debuerat vitam præſtare, mortem conferat manducãti indigné. Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum. *2.Pa. 6.* *1.Cor.11.* *Mat.22.*

CONTRA.PO. CCXXI.

Psal.134.
Galat. 6.

PRoba me Deus, & ſcito cor meum.
Opus ſuum probet vnuſquiſque.

Si ad Deũ ſpectat non ſolùm corda ſcrutari, ſed etiam (vt præfati ſumus in præcedenti) illa probare, cur Apoſtolus, qui & hoc bene ſciebat tanquã in lege inſtructus aliud ſentit in altero, mandans vnicuique vt opus

ſuum probet? Huic quoque ſic arbitramur reſpõdendũ, dicentes, quòd Propheta idcirco Deum rogat, vt cor ſuũ ſciat, vt ſic cognitum ſi fortè viam iniquitatis in illo repererit, continuò oleo ſuæ clementiæ liniens purget & mũdet, & ecõuerſo purgando ſciat. Profectò quos Deus ſic purgatos ſciuerit, hos proculdubio recto calle in vitam æternam diriget & deducet. Nec Paulus in huiuſmodi fuit Prophetæ contrarius, dum vnũquemq; monuit, vt opus ſuũ probaret, vt ſi quid boni in ſua conſcientia conſpiceret, Deo gratias referret, qui hoc clementer præſtitit homini, vt opus ſuum bonum faceret. Ipſe enim, Xiſto Pythagorico teſte in bonis actibus hominibus dux eſt, qui & infrà ait: In omni quod bene agis, auctorem eſſe deputa Deũ. Si verò (quod abſit) quis lethaliter ſe vlceratum criminibus agnouerit, confeſtim proſtratus gemebundo pectore ſe emendare feſtinet, quod & faciens, in ſemetipſo tantùm habebit gloriam, & nõ in altero, iuxta illud eiuſdem Apoſtoli dicentis: Nã gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Et ſic patet quid fuit dicendum. *1. Cor. 1.*

CONTRAPO. CCXXII.

Pſal. 9. *Ioan. 12.*

IVdicabit dominus orbem terrarum.
Nunc iudicium eſt mundi.

Quomodo Chriſti tempore iudiciũ fuerat mũdi, ſi in extremo tempore iudicandus eſt mundus, vt omnis ſcriptura fatetur? Profectò ſi mundi tunc erat iudicium, non amplius expectãdum eſt iudicium. Idcirco & huic, præter id quod nos dixiſſe recolimus, & illud pariter ſuperaddendum putauimus, dicentes, non æqua lance
Mat. 25. accipiendum eſſe iudicium in pręmiſſis. Profectò de iudicio viuorum & mortuorum exequendo in fine temporum prima eſt intelligenda, quando alij in ſiniſtram, alij in dextram iudicis locandi ſunt: iſtis, vt perpetuò cũ Chriſto bene ſit: illis verò, vt gehennalibus flammis deputentur æternaliter cruciandi, prout requirunt illorum demerita. De hoc enim iudicio Auguſtinus locutus ait: Chriſtus cùm venerit ad iudicium, redditurus eſt

quod promisit, sed requisiturus est quod redemit. Et quod dedit in primo aduentu exacturus est in secundo. Sed de iudicio principis huius sæculi, fit in sequenti mentio, vti circunstans litera liquidò manifestat. Hic enim (teste Paulo) per peccatum hunc mundum ingrediens, dominum sibi vsurpauerat tyrannicè, captiuum tenens veterem hominem: hunc in crucis stipite suspensus Saluator debellauit magnificè: quem trudens, vinculo suæ potentiæ de mũdo eiecit. Hoc ergo vocauit Christus iudicium, hanc discretionem, hanc à suis redemptis diaboli expulsionem. Sic ergo intellectis præmissis, in nullo prorsus contrariantur. *Rom.5.* *2. Tim.2*

CONTRAPO. CCXXIII.

Coelum inhabitantes incessanter Deum laudant. *Psal.83.*
Factum fuit silentium in cœlo, alibi dicitur. *Apoc. 8*

Cur factum dicitur silentium, si hi qui habitant ibi, continuè & incessanter laudant Deum vti Vates regius nouerat? Et huic, quæ nil controuersiæ in se continet, dicendum placuit, quòd non obstat, quòd continuè laudetur Deus ab illis sanctis spiritibus qui incessanter cantant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Licet per aliquam morulam fuerit forsan indictum silentium, dum videlicet post illam fœlicem victoriam habitam à Michaële dimicante cum Dracone, audita fuit vox magna de throno, dicens: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius. Decebat enim vt per totum cœlum magnum præstaretur silentium huic voci, vt attentius ab omnibus ibidem habitantibus audiretur, vt demum euangelizantibus angelis hoc mysterium in terris, quod per reuelationem Ioannes didicerat, quod postmodum, tanquam præco veredicus palàm faceret mundo. Vt & nos cùm audimus hanc pugnam fuisse factam in cœlis, vbi regnum pacis est, discamus & nos pugnare oportere, dum sumus in hoc mundi ergastulo, non solùm contra peccata & vitia, sed pariter contra inuisibilem hostem, quem nisi vicerimus in certamine, minimè pacis *Esa.6.* *Apoc. 8* *Ibidem.* *Christianum pugnare oportere.* *Ephes.6.*

1. Tim. 2. regnum ſumus adepturi cum Chriſto. Qui idcirco cum hoſte præfato pugnare voluit, vt doceret nos quomo- Mat. 4. do illum vincere debeamus. Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum

CONTRAPO. CCXXIIII.

Pſal. 62. *Laudabuntur omnes qui iurant in Deum.*

Mat. 5. *Nolite omnino iurare, neque per cœlum, neque, &c.*

Si laudandi ſunt omnes iurantes in Deum (vti Propheta prȩuiderat vaticinio) cur Saluator abſolutè prohibuit omne iuramentum? Quibus præter id quod nos aliâs dixiſſe recollimus de iuramento, & illud pariter addendum nouimus in propoſito, dicentes, aliud eſſe in *Iurare in Deum.* Deum iurare, & aliud iurare per Deum. Vtique in Deũ iurant omnes Chriſticolæ, qui ad baptiſmum conuolant credentes & confitentes Ieſum, verum Deũ eſſe ac Saluatorem omnium. Nec quicquam gratius Deo offerre poſſumus quàm ſic iurare. Sic enim intrantes laudabuntur in futuro ſæculo, ſi ea quȩ iurãdo obſeruare promiſerint, opere cõpleuerint. Nam quid aliud eſſe putamus ſic iurare, quàm firmiter promittere? Sic enim iura- Pſal. 118. uerat ille, & iuramentum firmauit, qui in pſal. dixit: Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Sic enim iurantes, & obſeruantes opere quod iurarunt, magni meriti locum reperient apud Deum. Qui pariter & iurare *Iurare per Deum.* etiam dicitur, dum aliquid omnino faciendum decernit. Sed iurarȩ per Deũ ſemper non licet, ſed duntaxat dum incumbit neceſsitas, pro iuſtitia videlicet & innocentia defendenda, tam propria, quàm aliena, & hoc in verita- *Iurare quando licitum.* te, prout opportunitas ſe offert. Quibus exceptis, omne iuramẽtum agnoſcitur prohibitum ab illo, qui filios veritatis generans, aiebat: Sit autem ſermo veſter, eſt eſt, Mat. 5. non non: demum adiecit, Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt. Et quod melius ſit, iuxta conſilium Chriſti, non iurare quàm iurare, liquidò oſtenditur. Nam qui iurat homo, falſum & verum iurare poteſt. Qui autem non iurat, falſum iurare non poteſt, quia omnino nõ iurat. Et ſic patet quid fuerat dicendum.

CONTRAPO. CCXXV.

EGo dixi, Omnis homo mendax. *Psal.115.*
Laudat Ioannes filios veritatis. *1. Ioan.1.*

Quomodo filius verax poterit quis dici, cùm sit natura filius mendax? Profectò sub illo vniuersali signo OMNIS, quẽlibet hominẽ contineri cernimus. Et huic, quæ nil in se contradictionis videtur includere placuit dicendum, quòd dum Vates dixerat primum, recursum habuit ad congeriem corruptam, quam & totam infectam nouerat huiusmodi flagitio. Sic enim contemplatus homo mendax semper est iudicandus, cùm sic non valeat quidquam rectum cogitare aut loqui. Sed homo ab huiusmodi expurgatus vetustate, ac liberatus ab illo qui sic expurgandos alloquens, ait: Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Hic enim & recta loqui poterit & veridica, cùm non amplius filius Adæ mendacis, & transgressoris dicendus sit, sed filius Christi iustificantis & liberantis. Hic enim cùm loquitur, non tanquã de suo loquitur, sed quod illi spiritus veritatis suggesserit. vtique mendax fuit Petrus dum conuersus ad Iesum ait: Absit à te domine, non erit tibi hoc: Idcirco audiuit, Non sapis quæ Dei sunt: Verax autem fuit. Sed quando? tu es Christus filius Dei viui. Ecce ecce lingua eius, ecce lingua de lingua eius, mendax est omnis homo peccato suo, sed dono Dei verax. His enim sic à mendacio purgatis per fidem Ioannes scripserat, quos & ritè filios veraces nuncupauerat, quia in illo iam perfectè crediderãt, qui summa veritas dicitur, cuius per fidem filij facti fuerant. Et sic patet quid dicendum.

Homo quando mendax.

Ioan.8.

Mat.10.

CONTRAPO. CCXXVI.

MIrabilia opera tua Domine. *Psal.138*
Nihil est mirabile apud Deum. *Eccle.31.*

Si Dei opera mirabilia esse legũtur, quomodo verum erit quod ex aduerso subinfertur in altero? Quibus arbitramur dicendum, quòd licet Dei opera sint & appareant mirabilia creaturis omnibus cùm in summa perfectione omnia ex nihilo creauerit Deus, & taliter quòd

nihil poteſt addi illis cùm ſint creata in numero, pondere,& menſura in illa ſumma ſapientia,de qua regius Vates locutus in pſal.ait:Omnia in ſapientia feciſti:nihilominus conſiderata Conditoris omnipotentia , & eius in operando facilitate,quia ipſe dixit,& facta ſunt:ipſe mãdauit , & creata ſunt , non ſunt ſic mirabilia æſtimanda, quin ſimilia ac maiora ſi vellet,facilè facere poſſet.Nam Deus eſt ille qui facit mirabilia magna ſolus : quia licet Moſes fecerit mirabilia,ſed non ſolus,fecit Helias,fecit & Heliſæus, fecerunt Apoſtoli mirabilia , ſed nullus eorum ſolus.Idcirco ille qui mirabilia opera Dei eſſe dixerat, ipſemet alibi dixit : Tu es Deus, qui facis mirabilia ſolus,ſed quæ ſunt illa mirabilia quæ per ſe ſolus fecerat Deus?Nónne ſunt illa, de quibus regius Vates ait : Qui fecit cœlos in intellectu . Qui firmauit terram ſurper aquas.Qui fecit luminaria magna ſol⁹?Et ſic patet quid ad præmiſſa dicendum fuerat.

Sap.11. Pſal.103. Pſal.32. Pſal.118. Pſal. 76. Pſal.135.

CONTRAPO. CCXXVII.

Pſal. 16. SAtiabor cùm apparuerit gloria tua.

Eccle.42 *Quis ſatiabitur videns gloriam Dei?*

Profectò ſi Vates regius ſatiari expectabat, dum illi gloria Dei apparuiſſet,cur Sapiens hoc fore impoſsibile iudicauerat? Nempe ſenſum negatiuum cõtinere cernitur ſua ſententia,ſicuti & illa pariter quæ dicit:Quis gloriabitur mundũ ſe habere cor?quaſi dicat,nemo hoc munus ſe conſecutũ eſſe ex ſe æſtimet. Idcirco ne in erroris ſyluã remaneamus,arbitramur dicẽdum , ꝙ hoc pronomen QVIS, hoc in loco pro,Raro,accipiendum eſt, & non pro,Nemo, vt præfertur:cùm hoc in loco ſit dictio admirantis , & interrogantis alterum , ac ſi diceremus, Quis enim mortalium ad id muneris valebit aſcendere, vt Dei gloriam ſpeculari mereatur, vt illam ſpeculando ſatietur ? Nam hanc ſententiam cum illa ambulare non hæſitamus,qua in Pſal.dicitur: Quis habitabit in tabernaculo tuo?pariter cum altera, quę dicit : Quis aſcendet in montem domini ? Quo ſenſu ſtante, prima non contradicit ſequenti,vtiq; primæ talẽ nouimus eſſe ſenſum,

Prou. 20 Pſal. 14. Pſal.25.

quasi dicat Propheta, Satiabor, videlicet illa cœlesti refectione in futuro,&replebor omni gaudio,vel eo quod nunc desidero. Et non ego solùm, sed & omnes illi qui modo in carne positi sitiunt & esuriūt iustitiā, quia tūc satiabuntur ad plenū,cùm apparuerit & manifestabitur illis gloria tua,quæ sola per se sufficiens est,humanū appetitum satiare, cùm sit infinitū bonū in quo omne bonum in summo cōtinetur:Nā omne bonū creatū quodcunque sit illud,minus est ad saturādum appetitum hominis: quod & ille nouerat qui in huiusmodi expertus, ait:Non satiatur oculus visu, nec auris auditu ,sed tunc satiabitur ad plenum,quando Deus qui infinitus est, satiabit hominem de seipso : secundum quem sensum regius Propheta,dum de huiusmodi saturatione loquetur ait in Psalm. Edent pauperes , & saturabuntur. Pauperes inquam,non quicunque, sed duntaxat illi , qui viuentes non habuerunt elatum neque tumescentem spiritum,sed mansuetum,pium,& humilem.De quibus locutus ait in Euangelio: Beati pauperes spiritu , quia vestrum est regnum Dei. De hac enim gloria quam nobis reuelandam expectamus , locutus Ioannes,ait : Scimus quoniam cùm apparuerit,similes ei erimus , quoniā videbimus eum sicuti est. Nam quid putamus esse aliud gloriam hanc qua satiabimur,dū apparuerit,nisi æquari angelis, & Deum videre ? Fœlices ergo qui præsentiam delitiarum & vanitatum obliti,ad illam aspirant gloriā, finem non habituram.Ad quam toto mentis affectu directus fuerat ille,qui in alio Psal. dixerat : Cupio videre bona Domini in terra viuentium.Et sic ex prædictis patet quid ad hæc fuit dicendum.

Mat.5.
Eccl.1.
Psal.21.
Mat.5.
1.Ioan.3.
Psal. 26.

CONTRAPÓ. CCXXVIII.

IVdicabit Dominus orbem terrarum. *Psal.9.*
Sancti de hoc mundo iudicabunt. *1.Cor.6.*

Si Dominus(vti omnis Scriptura fatetur)orbem terrarum in extremo tempore iudicaturus est,cur Apostoli introducuntur pariter,vt mūdum iudicent?An forsan Christus, cui omnis potestas iudicium faciendi collata

fuit à patre, nõ erit per se sufficiens vt hoc iudiciũ exerceat? sed absit hoc à fidelium mẽtibus. Profectò ipse est, qui de se locutus dixerat: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Placuit ergo ad præmissa dicendum quinque esse modos iudicandi: quorum primus auctoritatis dicitur, quo tota trinitas iudicabit in extrema die: Secundus verò dicitur subauctoritatis, quo Christus, vt homo iudicabit: Tertius est accessoriæ dignitatis, quo Apostoli & cæteri viri perfecti iudicabunt, qui cum iudice eminentius residebunt, tanquam melius scientes leges, & consuetudines regni Dei: sed & quartus modus approbationis dicitur, quo omnes sancti, & pariter boni angeli iudicabunt: & de his iudicibus secunda venit intelligenda. Hi enim ad dexteram sedentes iudicis, tãquam curiales cœlestes approbabunt sententiam, laudantes illam tanquam iustam. Quanquam hæc sententia ab ore iudicis duntaxat pronuntianda sit, dũ his qui ad dexteram eius erunt, dicet: Venite benedicti patris mei, possidete, &c. Sed & his qui ad sinistram eius locati erunt dicturus est: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Et sic præmissis intellectis in nullo prorsus contrariantur.

Mat. 28. *Modi iudicandi.* *Electi quomodo iudicabũt in iudicio.* *Mat. 19.* *Mat. 25.*

CONTRAPO. CCXXIX.

Psal. 93. *Esa. 1.*

DOminus non derelinquet hæreditatem suam.
Derelinquetur filia Syon, sicut vmbraculum.

Si Deus derelicturus nõ erat suam hæreditatẽ (vti Propheta vnà cum Paulo nouerat) vnde hausit alter filiã Syon derelinquendã, quæ prænotatam plebẽ domini videtur significare? Profectò pręmissa simul stare nequeũt cùm apertã inferant contradictionem, videlicet derelinquendã & non derelinquendam. Idcirco morẽ nostrum sequentes, & huic pariter sic respondẽdum nouimus dicentes, & contẽplantes duplicem esse filiam Syon, carnalem videlicet & spiritualẽ: de carnali quippe locutus est Vates in secunda. Hæc enim quia veritati quiescere non debebat: idcirco illam derelinquendam nouerat Propheta, ne videlicet plebs esset amplius Domini. Ipsa

Rom. 1. *Filia Syõ duplex.*

enim ducem virginitatis suæ respuens, meritò derelicta fuit cadens in duriciem cordis sui. Quam sic derelictã, ac omnibus bonis orbatam cõspicientes custodes angeli sedentes, amarè flebant, dicentes voce prophetica in Psal. Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dũ recordaremur tui Syon. Sed illa quæ per fidem spiritualis effecta fuit, Christum vt verum Deum suscipiens, hæc nõ derelicta, sed in dies magis aucta fuit, & numero, & merito: & taliter, vt in illa habitans Dominus, suũ thronum locari placuit. Quod & præuiderat ille, qui in alio Psal. ait: Quoniam elegit Dominus Syon, elegit eã in habitationem sibi. Et sic patet quid dicendum. *Hier. 3.* *Psal. 136.* *Act. 5.* *Psa. 131.*

CONTRADO. CCXXX.

Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Elegit nos vt essemus sancti, alibi dicitur. *Psal. 142* *Ephe. 1.*

Si iustificari non potest omnis viuens in cõspectu Domini, quomodo sancti dicendi erunt, quos Dominus ante mundi constitutionem, vt sancti essent elegerat, vti Paulus in sequenti dixerat? Et huic, præter id quod aliâs nos dixisse recolimus, illud quoque modò superaddendum placuit, dicentes ad alteram, quòd licet Deus quosdam elegerit, vt sancti essent, tamen id muneris adipisci nequeunt sine illius ope, qui ait: Ego Dominus qui sanctifico vos. Pariter & de iustificatione nouimus dicendum, quam ex propriis meritis non potest homo adipisci. Quod & liquidò nouerat ille, qui ait: Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Idcirco Vates regius suam paruipendens iustitiam, quam & nullam esse nouerat apud Deum, petiit liberari in iustitia Dei, dum ait in alio Psal. In tua iustitia libera me. Nam conquerẽti, & præsumenti de sua iustitia posset dicere Deus: Cur te iactitas coram me? Nónne ego tibi dedi, quod meo fecisti præsidio: & si à me accepisti, cur gloriaris tanquam si non acceperis? tu tuas iustitias commemoras, & ego tua condemnabo facinora. Quomodo ego tuam iustitiam approbare potero, si sibi tua superbia opposuerit? Nam & superbis talibus illa prophetica vox dirigitur, *Exod. 31.* *Iob 9.* *Psal. 30.* *1. Cor. 4.*

Hier.8. quę dicit: Quid vultis mecum in iudicium intrare, & vestras commemorare iustitias, in quibus non nisi quod puniat & damnet, reperit mea iustitia, quæ nullum immeritum condemnare videtur? Dicat ergo homo Deo comparatus, Scio ꝙ in mea iustitia iustificari nequeo, quia prauus inuenior legi, quam mihi apposuisti. Idcirco nolo tecum litigare, nolo tecum habere causam, vt videlicet proponam in iudicio iustitiam meam, ne tu meam iniquitatem conuincens abiicias me, tanquã seruum inutilem & superbum. Quibus expositis ac declaratis in nullo contrariæ cernuntur præmissæ, quia & de sanctificatione & iustitia fit mẽtio in illis, qua sanctificamur & iustificamur à Domino, licet ipse præcipiat & velit vt bene viuentes disponamur ad illam. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

CONTRAPO. CCXXXI.

Psal.134. *Deus facit in cœlo & in terra quicquid vult.*

Mat. 23. *Voluit congregare Hierusalem, & non fecit.*

Si teste Propheta regio quicquid Deo placitũ est, ipse facit in cœlo & in terra, nemine sibi contradicente, cur volens congregare Hierusalem, obtinere nequiuit? vnde ergo sua voluntas impedita fuit, quæ semper libera dicitur? Nónne de illo locutus Apostolus ait: Voluntati enim eius quis resistet? Idcirco has sententias concordare curantes, nouimus dicendum sic explanantes primam, vt eius talis sit sensus, Quicquid Deus efficaciter vult, illud omnino eueniet. Nam cùm eius voluntas sit prima, & cæterarum voluntatum regula, nullatenus impediri potest quin suum sortiatur effectũ. Quod vtiq; ille nouerat, qui ad illũ conuersus, ait: Quis resistet tibi? cui & alter conformis dixit, Quis restitit ei? Nec huic obstat altera, quæ ex aduerso deducitur de Hierosolymitanis quos congregare nequiuerat, licet tentauerit: quia bene stat, ꝙ multa velit Deus non efficaciter, sed quibusdam additis conditionibus, quibus non habitis, non necessariò sequitur effectus suæ volitionis. Nec hoc in dedecus suæ maiestatis vertitur, quæ sic statuerat & di-

Rom.9.

Psal.75.

Iob 9.

Mat. 23.

Deus multa vult nõ efficaciter

ſpoſuerat,vt concurrentibus Hieroſolymitarum voluntatibus,illorum ſequeretur vnio. Quibus concurrere recuſantibus,hæc Dei volitio locum non habuit, iuxta illud: Vocaui,& renuiſtis. Confundantur ergo & reuereãtur,qui liberũ arbitrium in homine nõ eſſe cõtendunt. Hi enim niſi liberi extitiſſent, proculdubio diuina volitio effectum habuiſſet in illis. Quibus imputandum eſt, & non Deo, qui & illos congregare & ſaluare decreuerat,ſic tamen, quòd non ſine illis, iuxta illud Auguſtini dicentis: Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te. Ad quod propoſitum locutus fuit Apoſtolus, dum ait ſcribens ad Timothæum: Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Quorum tamen quamplurimi non ſalui fiunt,nolentium viam arctam ingredi ducentem ad viam, iuxta illud: Arcta eſt via quæ ducit ad vitam: quinpotius latam ſponte ſua amplectuntur quæ ad perditionem ducit, de qua dicitur,quòd multi per illam ambulant. Nam libertatem arbitrij ſui ob hoc permiſit Deus hominibus, vt purè & ſine peccato viuentes ſimiles fiant Deo, vti Pythagorici Xiſti ſentẽtia eſt,qui & infrà dicit: Nihil enim laborare oportebat,neque cupiditatem ad beatã vitam, neque diligentiam ad fœlicitatem habere, ſi ad Deum ſolum pertineret nos à malis ſaluos eſſe, & virtutibus impleri, nihil à nobis ipſis conferentes. Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque contradictione.

Prou.1. *1. Tim.2.* *Mat. 7.*

CONTRAPO. CCXXXII.

Aquas tu ſolus habeto. *Prou.5.*
Aquas in plateis diuide. *Ibidem.*

Si aquas quis per ſe ſolus habere iubetur, cur vt illas in plateis diuidat, mãdatur in altera? Profectò quod apud ſe quis retinere habet, non aliis eſt conferendum. Quibus nouimus reſpondendum, dicẽtes, quòd per has aquas hoc in loco doctrinam bonã & ſanam intelligendam placuit, quã quis ex officio aliis denuntiare habens, prius ſolerti ſtudio ac conuerſatione laudabili, illam in ſe colligere ſtudeat, ne ſecus faciẽs arguatur ab illo qui hanc formam non ſeruantem corripiens, ait: Quare tu *Pſal. 94.*

1. Cor. 9. enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Idcirco Paulus ne hunc errorem incurreret, ſuam prius examinabat conſcientiam, corpus ſuum caſtigans, ne cùm aliis prædicaret, haberetur tanquam reprobus. Ad quod propoſitum currit illud adagiũ, quo dicitur: Turpe eſt doctori, dum culpa redarguit ipſum. Vel dicamus ſi placet, quòd forſan per has aquas, dona Spiritusſancti intelligenda ſunt cœlitus accepta, quibus homo taliter ad extra ſe debet exponere, vt fructũ producere valeat in plateis mentium audientium, ne ſecus faciens, tanquam ſeruus inutilis talentum ſuffodiens in terram, reprehendatur à Domino: per quod talentum abſcondendum ſub terra nil aliud in propoſito placuit intelligi, quàm ſpirituale lucrum animarũ non quęrere, aliis, videlicet, non impartiendo, quod vt impartiretur, à largo datore collatum fuerat. Quem ſenſum ſequentes dicere poſſumus quòd tunc in plateis diuiduntur aquæ, dum dona iſta in anima accepta & cuſtodita, extenduntur ad opus per ſenſus, vt ſic poſtmodum ex redundantia interioris hominis, totus homo efficiatur redolens, vt poſtmodum de illo dicatur, quòd tota domus impleta eſt ex odore vnguenti. Vel adhuc ſi placet dicamus quòd de illis aquis in præmiſsis fit mentio, quas quilibet peccator dolens de ſuis reatibus prius in corde abũdanter debet habere, poſtmodum ſic gemens & lachrymans in auribus Eccleſiæ tenetur diuidere, & tanquam alter publicanus ſuum humiliter reatum accuſans, dicat conuerſus ad Deum: Peccaui ſuper omnes homines. Profectò ſic diuidẽs has aquas, audire merebitur à Domino: Deſcendit hic iuſtificatus à cæteris. Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

Cato.

Talẽtum in terra fodere quid ſit

Ioan. 12.

Luc. 18.

CONTRAPO. CCXXXIII.

Prou. 15.
Hier. 1.

AQuilo ventus diſsipat pluuias
Aquæ aſcendunt ab aquilone.

Si ab aquilonari vento nouerat Sapiens aquas diſſipari, quomodo verum erit, quòd aquæ pluuiarum illa ex parte aſcendant? Non enim valet aſcendere, quod dũ

ascendit dissipatur totaliter. Idcirco & huic sic arbitramur dicendũ, nullã prorsus in illa agnoscentes contradictionẽ. Nempe stat, quòd ab illa parte ascendant aquæ, & quòd pariter in eadem parte dissoluantur, imo quia ab illa parte aquilonari ascendunt, idcirco eo in loco dissoluuntur. Nam per hunc ventum aquilonarem, si moralem sensum sequi placuerit, possemus dicere, quòd fumus superbiæ intelligendus sit, qui ob hoc ab illa parte venire dicitur quia semper frigidus, omníque charitate vacuus solares radios venientes ab Austro sustinere non valet: Huiusmodi fumo obcæcatus Lucifer quæsiuit ponere solium ad aquilonẽ. Profectò taliter ascẽderat iste fumus superbiæ in naribus eius, vt altissimo se æquare tentauerit. Quánquam possemus dicere, & non ab re, quòd per has aquas, hæreses nostri temporis possint intelligi, quæ ascendentes ab ista parte aquilonari & sinistra, totum infecerunt orbem, quæ idcirco ab illa parte feruntur ascendisse, quia diuino calore vacuæ cernuntur, sed duntaxat sathanica suggestione inuentæ. Quod & longè antea prænuntiauerat ille, qui ait: Fumus ascẽdet ab Aquilone. Sed & alius hanc commotionẽ præuidens, ait: In die illa erit commotio magna super terram, sed adhuc clarius aperuit ille, qui dixit: Commotio magna de terra aquilonis. Profectò sicut à parte Australi, siue dextra, vbi sol iustitiæ semper lucet, calor charitatis feruet, & splendor veritatis fulget, ac omne spirituale bonum prouenit: sic econtrariò ab illa aquilonari, & sinistra obscuritas ignorantiæ abundat, quia ibi sol iustitiæ non apparet. Quanquam ascendentes ad altiora possemus dicere, quòd per has aquas intelligũtur omnes trãsgressiones, quæ ascendẽtes ad aquilonem in Archetypo prouocant super transgressores diuinam iram, & puniones, ac omnia mala & terrifica. Hanc enim partem sinistram Dei Gebuta vocarunt Cabalistæ. Et fortè de aquilone isto, qui est in Archetypo locutus est ille, qui ait: Ab aquilone pandetur omne malum, super omnes habitatores terræ.

Eccle.43. *Esa.14.* *Ibidem.* *Hier.10.* *Ezec.38.* *Gebuta.* *Hiere.1.*

CONTRAPO. CCXXXIIII.

Prou.5. *Eccle. 25.* D*Eriuentur fontes tui foras.*
Non des aquæ tuæ exitum.
Cur his aquis non est dandus exitus, si in altero, vt fontes foris deriuentur mãdatur? Et huic, præter illa quæ nos de aquis dixisse recolim⁹., & illud pariter superaddendũ nouimus dicentes, quod hoc in loco per has aquas deuotio seu gratia aliqua cœlitus acquisita, seu reuelata intelligenda est, cui nullatenus permittendus est exitus, nisi quantum diuina lex pręcipit, aut fraternæ dilectionis zelus constringit. Hoc autem duplici causa: prima, ne videlicet quis aliis diuulgans, quod apud se celãdum acceperat, diuini sacramenti proditor efficiatur. Ob quod acriter puniatur à Domino, tanquam transgressor: sicuti & Plotino Origeniscondiscipulo euenisse legimus, qui idcirco vermibus consumptus interiit, quia ea quæ apud se retinenda didicerat à præceptore Ammonio, palàm fecerat aliis. Qua in re, ne vates regius in huiusmodi laberetur errorẽ palàm faciens indignis quę de diuina sapientia acceperat conseruãda, decreuerit illa occultare in armariolo sui cordis. Idcirco in psal. dixerat: In corde meo abscõdi eloquia tua, vt non peccẽ tibi. Ad quem sensum locutus est ille, qui filium adhuc tenellum instruens, ait: Sacramentum regis abscõdere bonum est. Accidit enim aliquando (permittente Deo) vt quis meritò priuetur dono cœlitus accepto, dum indignos ac alienos à Deo participes facit, quod ne aliis diuulgaret ipse celandum acceperat. Alia verò causa, cur videlicet hæc dona palàm non sunt diuulganda, forsan hæc est, ne videlicet latrunculi dæmones superueniẽtes, furtim rapiant, quod meriti extitisset, si donum intra cordis secreta celandum retinuisset quispiam. Nec obstat quod pręmissum est, videlicet, quòd reuelandum sit hoc donum, dum fraternus zelus hoc exquirit, quia & tunc pariter à nobis cauendum est, ne alieni à cultu in huiusmodi collatione reddantur participes, per quos alienos, si cacodæmones intelligeremus, forsan non errabimus, qui tunc nostrorum actuum efficiuntur participes, dum ob

Plotini interitus. *Psal.118.* *Tob.12.* *Prou.5.*

pecuniam,seu ob aliud temporale commodum hæc dona impartiuntur aliis. De quorum numero fuerat Balaam,qui pecunia corruptus à rege Balac, abusus est Prophetiæ dono.Et sic patet quid dicendum. *Nu.22.*

CONTRAPO. CCXXXV.

Peccatores persequitur malum.
Bene est omnibus qui præuaricantur.

Si peccatores persequitur malum,quomodo econuerso verum erit,quòd illis bene sit? Quibus sic respondendū esse placuit,dicētes,quòd forsan bene illis in præsenti vita, quia cùm sint carnales & terreni terra fauet illis in omnibus.Idcirco, & peccatores terræ dicuntur in psal.quia nullā portionē in cœlo sunt habituri. Quinpotius malum econuerso erit illis in alio sæculo, dum cōstituti ante veridicum iudicem, fiet illis inquisitio diligens,quomodo videlicet se in corpore gesserint, vt de malis perpetratis condignam mercedem recipiant. Vel forsan dicamus bene esse illis in præsenti vita,vt per hos honores,& per abundantiam frumenti, vini, & olei, & similium,Deus illos ad se trahat,quemadmodum nutrix facere consueuerat pomum paruulo ostendens, vt eum ad se trahat.Vel dicamus si placet, quòd Deus bona cōcedit talibus,tanquam desperatis de sanitate recuperanda,medicorum more,qui in extrema laborantibus valetudine, tanquam sine spe concedunt quæcunque petunt aut desiderant.Vel dicamus adhuc, quòd idcirco omnia prospera dat illis Deus,more vitulorum mactandorum, vt sic bene impinguatis temporalibus tradat postmodū illos carnificibus inferni. Ad primam verò placuit dicendum,quòd per malum quod peccatores persequitur, figuratur diabolus, qui idcirco peccatores persequi dicitur, quia suggestionibus sathanicis præfatos vndique tentat & deludit, impunitatem delictorum promittens, quousque thesaurizantes sibiipsis peccata,cadant in profundam foueam,peccatis addendo peccata,à quo vt liberentur fideles quotidiè rogamus in oratione Dominica dicentes ad Deum: Sed libera nos à malo, id est à dia-

Prou.13. *Hier.12.* *Psal.118.* *2.Cor.5.* *Deus cur bona concedat malis.* *Malis quare omnia pspera in hoc mūdo.* *Rom.2.* *Psal.7.* *Mat.6.*

bolo qui nobis vndique insidias parat,& laqueos,vt capiamur in illis, quod & euenire nouimus, dum deserto Deo viuimus secundum carnem imitantes & sequentes doctrinas extraneas. Tunc enim in muscipulam diaboli incidimus,à qua nequimus eripi nisi ab illo, qui se se-

Ioan.8. quentibus ait: Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Et sic patet quid fuerat ad præmissa dicendum.

CONTRAPO. CCXXXVI.

Prou.21. *COr regis in manu Domini esse dicitur.*

Danie.5. *Cor Nabuchodonosor in eius voluntate fuit.*

Si in manu Domini cor regis dicitur esse, cur cor regis Babylonis in eius relictum fuit volũtate? Huic quoque primæ arbitamur dicendum, quòd tunc cor regis in manu Domini esse dicitur, dum rex ille diuinis

Psal.80. mandatis obsequens est,in cuius medio Deus stare dicitur,iuxta illud: Deus stetit in synagoga Deorum, id est iudicum. Idcirco non sine sacramento,reges prioris tem

Reges cur vngebantur. poris sancto perungebantur chrismate,vt sicuti præ cæteris decorabantur dignitate, & præsidentia, ita etiam præ aliis moribus & vita fulgere deberent. Ob quod vt nonnulli opinantur,& non ab re,præter communem an

Angelus tutor. gelum, quem sicuti cæteri habent tutorem, alius etiam Hierarchiæ superioris pro regni custodia datur illis, vt sic tali sibi protectore addito,populum sibi creditum facilius & honorificentius gubernare valeãt. Quanquam ad primam aliter respondentes possemus dicere, quòd idcirco cor regis in manu Domini esse dicitur,quia quocunque Deus vult illud vertit,& quando vult: licet actus suos vnumquenque plerunque sinere agat,vt facultas liberi arbitrij in suo maneat robore. Idcirco precãdus est Deus à plebe,vt qui gradum tribuerat regi,tribuat & regimen pariter, bonúmque cor illis conferat & cõseruet, vt recta iudicia iudicent. Sic enim edocemur fecisse Dauid,postquam in regio solio Salomonem filium locauerat,dixit enim conuersus ad Deum: Deus iudicium tuũ

Psal.71. regi da, & iustitiam tuam filio regis. Et sic patet quid dicendum.

CON-

CONTRAPO. CCXXXVII.

IVstitia rectorum liberabit illos. Prou.11.
Iustitia iusti non liberabit eum. Ezec.33.

Si iustitia rectorũ tantæ efficaciæ,tantæque potestatis esse cernitur, vt illos eripere ac liberare valeat, quid est quod econtrariò subinfertur in altera? Profectò piè credendum est,quòd vterque istorum ab eodem hauserint fonte,quod dixerunt.Idcirco si diligenter præmissa scrutari velimus, clara luce videbimus nullam in huiusmodi contineri oppositionem.Nõ enim ob hoc hæc iustorum iustitia talium esse dicitur,quasi eam suis acquisierint meritis,aut iure possederint hæreditario, sed idcirco illorum dicitur,quia ab omnium bonorum datore gratis vt illorum esset,collata fuit. Ob quod non habet homo vnde gloriari debeat,tanquã de suo. Nã, vti Paulus ait,solus Deus est ille,qui iustificat, ea videlicet iustitia quæ fidei iustitia dicitur, qua iustitia nõ tantùm impij liberantur à reatibus,sed pariter Deo grati efficiuntur.De hac enim iustitia Augustinus locutus ait: Iustitia humana Dei operationi tribuenda est,quamuis non fiat sine voluntate hominis assensum præbentis. Ex quibus responsio elicitur etiam ad secundam,quæ de iustitia operum est intelligenda, quam & legis iustitiam Paulo placuit appellandam esse. Hæc enim cùm sit debilis & infirma,ad hominis iustificationem nullatenus se potest extendere,vt prænotatus docuit,sed operatorem duntaxat hominem,Christo iustificatori repræsentat. Sic igitur præmissis intellectis prima non opponitur alteri.

Iaco.1. Benignitas Dei. Rom.10. Philip.3. Rom.5.

CONTRAPO. CCXXXVIII.

IVstitia liberabit a morte. Prou 11.
Iustus perit in sua iustitia. Eccle.43.

Profectò si iustus in sua dicitur perire iustitia,quomodo per suã iustitiam à morte poterit liberari?Et huic pariter,præter id quod in præcedenti mox deposuimus, & illud superaddendum nouimus, dicentes secundam de operum iustificatione intelligendam esse, qua quis more Pharisaïco sese iustificat coram Deo & homini- Lucæ 28.

Iustitia qua perit homo. bus, hanc suis deputans meritis, vt inde humanam laudem pro mercede reportet. Profectò qui sic inaniter iustum se æstimare decreuerit, in ista omnino peribit iustitia cùm hæc non possit hominem iustificare, sed illa (vt prætulimus) duntaxat fidei, de qua in prima fit mentio, qua homo sic iustificatur, vt Deo dignus sit. *Rom. 10.* De hac enim Paulus locutus, ait: Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? *Rom. 8.* sed de alia scribens Romanis ait: Ignorantes Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. *Rom. 10.* Colligimus ergo, quòd sicut per iustitiam operum homo perit, sic per iustitiam Dei, quæ fidei iustitia dicitur, liberatur ab vtraque morte, videlicet peccati, & æterna. *Iustitia Dei effectus.* Et sic patet quid fuerit dicendum.

CONTRAPO. CCXXXIX.

Prou. 13. *IVstus manducans replet animam suam.*

2. Cor. 11. *Iustus Paulus esuriit, & sitiuit.*

Si iustus animam suam replere dicitur, cum Paulus sitiuit pluries, & esuriit? Idcirco & huic, quæ nil prorsus controuersiæ in se videtur includere, dicendum placuit, quòd de spiritali repletione prima est intelligenda, qua anima iustificati hominis, Dei iustitiam esuriens repletur gratia in præsenti, & in futuro saturata ad plenum, replebitur gloria, iuxta illud Saluatoris: *Mat. 5.* Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, illa videlicet saturitate quam hauriunt abundanter beati ex illo infinito obiecto, quod & essentiam vocant, quo & cœlestes spiritus beatificantur in patria: qua gratia cùm impius illa careat repleri nequit, sed tanquam canis famelicus ciuitatem circuiens fame iustitiæ perit. *Psal. 58.* Altera verò non huic opposita cernitur, quia de corporali fame intelligenda est. Hanc & iustus homo aliquando patitur Deo permittente, vt sic illam patienter tolerans exerceatur ad bonum, meritáque sua augeantur: *Exod. 32.* sic enim & illam passi sunt aliquando Moses, & Helias, *4. Reg. 2.* passus quoque est Christus, *Mat. 1.* de quo dicitur, quòd post quadraginta dies esuriit, vt Euangelista narrat. *Luc. 6.* Passi fuerunt Apostoli euntes cum illo, de quibus legitur, quòd trans-

migrantes per campos,& regiones Samariæ, & Galileæ ſpicas tritici euellebant præ fame,quam in itinere patiebantur: paſſus & prænotatus Apoſtolus, qui(vt præmittitur) de ſeipſo locutus, ait: In fame, & ſiti. Et ſic patet quid dicendum. 2.Cor.11.

CONTRAPO. CCXL.

Iustitia cuſtodit innocentis viam. *Prou. 13.*

Iuſtus perit in ſua iuſtitia. *Eccl. 7.*

Si in ſua iuſtitia iuſtus perire dicitur,quæ iuſtitia innocentis viam cuſtodire poterit? Et huic pariter, in qua nil contradictionis eſſe cernitur,placuit dicendum,ꝙ de illa iuſtitia prima eſt intelligenda, qua Deus ſua nimia bonitate,& clementia iuſtificat hominem,quã ſi in ſe conſeruauerit homo, idoneus ac expeditus erit ad omne opus bonũ. Iuſtitia verò hæc duob⁹ adimpletur in nobis, vt quæ prohibita ſunt ab eo, non faciamus: & quæ iuſſa ſunt ab eo,faciamus,iuxta Propheticũ documẽtum.Declina à malo,& fac bonum.De hac iuſtitia Auguſt.locutus,ait.Eſt quædã iuſtitia manens, à qua ſi homo recedit iniuſtus efficitur,ad quam ſi accedit homo iuſtus eſt,illo recedente non deficit,ſed accedente non creſcit. Hæc enim licet à Deo collata ſit, tamen noſtra dicitur. Tanta enim bonitas Dei erga nos eſſe cernitur, vt noſtra velit eſſe merita,quæ ſunt ipſius dona.Quicquid enim ipſe in nobis coronat,ex miſeratione prouenit,iuxta illud pſal. Qui coronat te in miſerationibus.Sed & altera de illa iuſtitia eſt intelligenda, qua ſi quiſpiam ſe iuſtificatum dixerit cùm illam ex ſe non habeant, ſed ex Deo qui ſolus nouit iuſtificare hominem,proculdubio in illa perire dicitur, cùm formam Phariſaïcam in ſe contineat, de qua Chriſtus Apoſtolus allocutus, ait: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum non intrabitis in regnum cœlorum. Abſit ergo à fidelium cordibus ne quiſpiam tantæ temeritatis eſſe inueniatur, vt hanc iuſtitiam ſibi velit tribuere,cùm(vt aliâs diſſeruimus)nil aliud in ſe contineat homo, niſi quod ploret, purget,& emendet.Et ſic patet quid dicendum fuerat.

Rom.8. *Iuſtitia quomodo adimpletur in nobis* *Pſal. 30.* *Gala.2.* *Mat. 5.*

CONTRAPO. CCXLI.

Prou. 5. *DOminus considerat gressus hominis,*
Iob 22. *Dominus non considerat nostra.*

Si dominus in nube latitans, non considerat nostra (vt vaticinio Iob præuiderat) quomodo verũ erit, quod ex aduerso dixerat Sapiens? Idcirco, & huic pariter nouimus dicendum ad secundam, quòd illa non fuerunt verba Iob, nec minus amicorum eius, sed alicuius tertij introducti ab Eliphaz Temanite socij prænotati Iob. Nam sic continetur in litera: En dicis (suple aliquis) nubes latibulum eius, nec nostra considerat. Idcirco tanquam sententia erronea & falsidica repudianda est, cùm sit omni veritate vacua. Profectò Deus tanquam speculator desuper astans, nostros diligenter actus considerat, 2. Cor. 5. cogitans quomodo, vel qualiter remuneret bene se in corpore gerentes: & econuerso, quod puniendum reseruet in impio & peccatore, se conuerti nolente. Quanquam laborem pauperum, ac pupillorum, & viduarum potissimùm consideret, vt illos eripiens ab huiusmodi oppressionibus, tribuat vicem illos persequentibus, hîc vel in extremo iudicio. Et quòd horum memor sit, liqui- Psal. 9. dò ostendit ille, qui in psal. ait: Quoniam tu laborem, & dolorem consideras: & persequentium illos punitionem subiungens adiecit statim: Vt tradas eos in manus tuas, puniendos supple. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CCXLII.

Prou. 25. *CAusam tuam tracta cum amico tuo.*
Eccle. 19. *Noli narrare sensum tuum cum amico.*

Si sensus seu cogitatus hominis non est aperiendus amico nec inimico, quæ causa tractanda cum amico relinquitur, vt Sapiens in altero docuit? Huic quoque, quæ nil prorsus contradictionis in se continet, dicẽdum arbitramur, quòd tunc causa est cum amico tractanda, quando eius indigemus consilio, auxilio, seu fauore: sic enim intellexerat ille qui discipulum instruens, ait: Omnia cum amico delibera: & ne qualicunque amico putares id faciendum protinus addidit, sed de amico prius.

Vtique de tali amico fideli sic inuento sermonem facies in libro de Moribus, ait: Quid dulcius quã habere amicum, cum quo, sicuti tecum, omnia loqui audeas? Pariter & de tali amico locutus Sapiens, ait: Amico fideli nulla est comparatio. Quanquam turpes cogitatus, nec amico nec minus inimico aperiendi sint, ob verecundiam, auriculari confessione dempta. Profectò non cum amico, ne de te malum audiens scandalum patiatur: nec minus cum inimico ne factum in publicum perferens patiaris calumniam, & ignominiam apud alios, quod & sæpius euenire solet. Et sic seruantur præmissa absque vlla contradictione. *Eccle. 6.*

CONTRAPO. CCXLIII.

MVlierem bonam inueniens, bonum inuenit. *Prou. 18.*
Inueni mulierem amariorem morte, infrá. Eccle. 7.

Profectò si mulier amarior morte dicitur, cur præmittitur in altero, ꝙ qui inuenit illam bonam, inuenit bonum? Quomodo enim bona inueniri potest mulier, si inuenta amarior morte dicitur? Huic quoq; nouimus dicendum, quòd illa dictio BONAM, non est de textu Bibliæ, cùm nõ reperiatur in Hebraïca veritate, nec minus in recẽtioribus impressiònibus Gallicanis. Et nescio qua fulti auctoritate prisci Latini illam dictionem, BONAM videlicet, addiderint illi sententiæ. Qua in re illa omissa, stante veritate Hebraïca, sic primam nouimus esse explanandam, vt eius sit sensus, Qui inuenit mulierem sibi vxoratam in bono consentientẽ atque concordem, bonum inuenit & verè bonum inuenire dicitur, quia huiusmodi cõtubernium, tanquam optimum laudatur corã Deo, & hominibus, vt scriptura refert. Quæ & alibi beatum celebrat virum, qui ad id muneris iam peruenit, vt bonam mulierem sibi in coniugio copulauerit. Vel adhuc si placet dicamus, quòd hoc in loco per mulierem, hanc portionem sensitiuam Sapiens forsan voluit intelligi, quæ veluti fœmina si spiritui, qui vicem maris gerit in homine, in bono concors fuerit & consentiens, bonum incomposito vndique resultabit sic illam *Heb. ve.* *Prou. 18.* *Eccl. 26.*

concordem habentem. Ad quem ſenſum forſan locutus eſt ille, qui de huiuſmodi concordia dixerat in euãgelio: Vbi fuerint duo, vel tres cõgregati in nomine meo, de quacunq; re petierint, fiet illis à patre meo. Et inde venit, ꝙ dum oramus illud quod petimus, nõ obtinemus, quia hæc duo non ſunt in nobis concordia, ſed adinuicem altercantia. Secunda verò de muliere nequam duntaxat eſt intelligenda, quæ ſemper tumeſcens ac ſuperbiens in virum non vult illi ſubiici. Et quòd de huiuſmodi muliere nequam intelligatur, patet per literam illam Hebraïcam ה, quæ præfatæ dictioni mulierem ſignificanti præmittitur, quæ nullatenus præponitur in prima. Idcirco myſteriũ non occultandum aduertimus, quòd dictio iſta videlicet iſſa, mulierem ſignificans, cui præmiſſa ſeu addita eſt litera ה: ſi reſoluatur in numero cccxj. repræſentabit, pariter tot in numero reddit dictio virum ſignificãs, videlicet I S C, ex quibus characteribus י Iod litera amota formatur iſſa, vt liquidò cernitur. Si verò dictio iſta I S S A caruerit litera illa ה quæ ſibi videlicet non præmittatur, non cccxj. ſed duntaxat cccvj. reddet in numero. Ex quibus colligimus, quòd ſi mulier taliter in virum ſibi copulatum ſuperbierit, vt ſibi æqualẽ æſtimet, morte amarior erit illi: cum non deceat duo eſſe capita in carne vna ſimul & ſemel: eſſet enim deforme & monſtruoſum. Hæc autem Cabaliſtico more dicta ſint. Et ſic patet quid dicendum.

Mat. 18. *Iac. 2.* *De lit. ה* *Mulier quando amarior morte dicitur.*

CONTRAPO. CCXLIIII.

Prou. 15. *Eccl. 13.*

Humilitas ibi eſt, vbi ſapientia eſſe dicitur.
Noli eſſe humilis in ſapientia, dicitur alibi.

Nam ſi humilitas taliter commendatur in primo, vt vbi illa eſt, ibi & ſapientia eſſe dicatur, cur ex aduerſo interdicitur in ſequenti eſſe humilẽ in ſapientia? Et huic pariter ſic placuit reſpondendum, dicentes quòd de illa humilitate fit in altera mentio, qua Sapiens interrogatus à ſimplici & idiota de pertinentibus ad ſalutem, ex quadam (vt ita dicam) ficta humilitate reſpondens, ſe illa ſcire diſsimulat, quamuis ſciat. De quorum numero æſtimamus fuiſſe illos, de quibus per Prophetam

in Trenis dicitur: Paruuli petierunt panem & non erat qui fangeret illis. Sed non ſic intelligitur litera in propoſito, vt videlicet quiſpiã taliter ſit humilis, vt non ſciat, ſed eſto humilis, vt non ſuperbias in nimia extollentia. De laudabili verò fit ſermo in prima, quam homo poſsidens, Deo gratias referre debet, qui illam ſibi benignè tribuere dignatus eſt: dicat ergo cum Propheta regio: Non mihi Domine, ſed nomini tuo da gloriã. Hinc eſt quòd iſta ſapientia cùm ſit ſemper pudica, modeſta, pacifica, & ſuadibilis, plenáque miſericordia erga proximum, ſemper laudanda eſt. De huiuſmodi enim ſapientia locutus Chryſoſt. dixerat: Sapientia eſt ſecundũ eloquia Dei viuere, & non ea ſolùm ſcire. Quam & Græci Theoſébiam vocant. Hanc & commẽdatam legimus in libro Iob, dum dicitur: Ecce pietas ipſa eſt ſapientia. Quam & alter definiens dixit: Sapientia eſt intellectualis natura quæ contemplatione luminis lumen eſt: ipſa enim eſt verus & præcipuus cultus Dei. Idcirco altius de hac ſapientia locutus, ait: Sapientia vera eſt Deum rectè colere. Et iterum: Sapientia eſt via recta, quæ ad veritatem ducit. Nam quiſquis veritate vtitur, hic ſapientia vti dicitur. Et qui ſapientia vtitur, ſapiens ſit neceſſe eſt. Sapiẽs igitur ſolus erit, quia perfectè veritatem quæſierit, etiam ſi ad illam nondum peruenerit. Vt ergo conſtat nos beatos eſſe velle, ita conſtat velle eſſe ſapientes, quia nemo ſine ſapientia beatus eſt. Nemo enim beatus eſt, niſi ſummo bono, quod in ea veritate, quam (vt præmiſimus) ſapientiam vocamus, cernitur, & tenetur. Sicut ergo antequam beati ſimus, mentibus tamen noſtris impreſſa eſt notio beatitudinis, per quam ſcimus fidenter & ſine vlla dubitatione nos beatos eſſe. De hac enim Auguſtinus locutus ait: Sit ſapientia ſine ſuperbia, nec humilitas ſine ſapientia. Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque contradictione.

Prou. 15. *Iac. 3.* *Iob. 28.* ***Sapientia diffinitio.*** ***Beatus quis dicatur.***

CONTRAPO. CCXLV.

Os impiorum operit iniquitatem. *Prou. 10.*
Os impiorum deuorat iniquitatem. *Prou. 19.*

Si os impiorum iniquitatem dicitur deuorare, quomodo illam operit? quod enim operitur non deuoratur, sed occultatur ne videatur. Huic autem sic placuit respõdendum dicentes, hanc metaphoricam locutionẽ esse: Nam impij iniquitas, quasi operiri dicitur, dum suis versutiis seu fraudibus palliatíſque mendaciis illã occultare conatur, quam sic in corde occultans, dicit: Non feci hoc malũ, aut si feci non extorta seu sinistra intentione feci, vel ab aliis persuasus feci, vt sic bonum, seu nõ malum opus credatur, quod iniquè & dolosè gessit. Pariter & os eius iniquitatẽ deuorare dicitur, quia semper apertum stat vt ipsam iniquitatẽ deglutiat quasi aquã, iuxta illud Iob loquentis de impio, & dicentis: Qui bibit quasi aquam iniquitatẽ. Nam sicuti aqua in ore sumpta nõ masticatur dentibus, sed tanquam integra deglutitur, sic & iniquitas hominis impij, cùm sit felle plena, integra deuoratur per os eius, vt sic totum inficiat & corrũpat hominem. Et sic patet quomodo os impiorum & operit & deuorat iniquitatem diuersimode.

Impij excusatio.

Iob. 15.

CONTRAPO. CCXLVI.

Prou. 3. D*ominus sapientiâ fundauit terram.*
Esa. 48. *Manus mea fundauit terram*

Quomodo sapiẽtiâ fundauerat terram ille, qui de seipso loquẽs ait: Manus mea fundauit terram? Et huic, præter illa quæ aliâs nos dixisse recolimus, & illud placuit superaddendũ, dicẽtes; ꝙ dũ in altera dicitur: Manus mea fundauit terram, non ob hoc excluditur sapientia, qua omnia condita sunt. Vel dicamus, quòd manus Domini & sapientia eius pro eodem filio Dei accipiũtur: qui & aliquando manus Domini, aliquando sapientia patris dictus est in Scripturis. Quanquam possemus dicere, quòd Hebraica veritas hoc in loco non sic continet sicut nostra traductio. Vtique illa dicit: Dominus in sapientia, quasi innuat, quòd Deus non tantùm sua coęua sapiẽtia terram fundauit, sed etiam in ipsa sapientia terram locauit, hoc est, ideam ipsius terræ posuit, ac omnium creabilium, quæ Deus ante temporum initia

Psal. 103.

Heb. ver.

tanquam radices locauerat in ſapientia. Quod ſub myſterio reſerauerat ille, qui in initio ſui Euãgelij dixerat: Quod factũ eſt (ſupple ad extra) in ipſo vita erat. Quod pariter & ille nouerat qui Romanos alloquẽs, ait: Quoniam per ipſum, & in ipſo, & ex ipſo, ſunt omnia. Nam dum dixit in ipſo, innuit omnia primò fuiſſe in illo, antequãam in eſſe reali, & ad extra producerẽtur. Profectò iſta ſapientia in animas ſanctas benignè ſe transfert, amicóſque Dei, & Prophetas conſtituit, eíſque opera ſua ſine ſtrepitu intus enarrat. Hæc enim increata, inſcrutabilis, & infallibilis dicitur, per quam creata ſunt omnia & nihil ſine illa. Idcirco de ſeipſa locuta, dicit: Dominus poſſedit me in initio viarũ ſuarum, antequam quidquã faceret à principio, ab æterno ordinata ſum, &c. Et ſic patet quid ad præmiſſa dicendum fuerat.

Ioan.1. *Rom. 11.* Pro.8.

CONTRAPO. CCXLVII.

Prou.2. Prou. 10.

Dominus dat ſapientiam.
Os iuſti parturit ſapientiam.

Si Dominus ſapientiã dare dicitur, quomodo os iuſti illam habet párere? Et huic pariter arbitramur dicendum, nil contrarietatis cernentes in præmiſsis. Nam bene ſtat, vt iuſtus homo poſtquã fuerit conſecutus à Deo ſapientiam, & eã quaſi ſemen in ſua mẽte retinuerit, demum párere illam dicatur, dum eandẽ per os ſuũ proferens, alios inſtruit. Quod & illũ non latuit, qui eiuſmodi fœtura mentem ſuã fœcundam agnoſcẽs, ait conuerſus ad Deũ: A facie tua Domine cõcepimus, & quaſi peperimus ſpiritum ſalutis. Nõ ergo iuſto hęc virtus tribuẽda eſt, quaſi ipſe ex ſe habeat hanc ſapientiam, ſed illi à quo omne donũ perfectũ, & omne datum optimũ deſcendere nouerat Iacobus, qui niſi ex ſua bonitate hanc ſapientiã in animã iuſti hominis ſereret, minimè illam extra ſe párere poſſet homo, nec minus in mente concipere. Nec Deus dicitur diligere hominem, niſi quem viderit cum ſapientia inhabitare: ſapientiã dico non mundanam, quæ vera ſapientia nõ eſt dicenda, dum intentionem ſuã duntaxat conuertit in his quæ prudenter di-

Homo quãdo ſapientiam párere dicatur. Eſa.26. *Sapientia à Deo datur.* Iac.1. *Sap.7.*

ſcernit,gerit fortiter,cohibet temperanter, iuſtéque di-
1. Cor.1. ſtribuit,nec in illum dirigit finem, vbi Deus erit omnia in omnib⁹,æternitate certa, & pace perfecta. Hæc enim aliquando in Scripturis ſanctis accipitur pro ſtultitia, abuſione verbi,ſed non proprietate,vnde etiam dicitur: Vbi Sapiens? Vbi ſcriba? Non enim fruſtra in ſanctis libris ſapientiæ coniunctus eſt numerus, vbi dictum eſt: (Eccl.7.) Circuiui ego,& inclinaui cor meum,vt ſcirem & conſiderarem, & quærerem ſapientiã, & numerũ.Idcirco eã veram eſſe ſapientiam dicimus, in qua ſapiens gloriari debet, ſcire videlicet & agnoſcere Dominum, quia ipſe (Hier.9.) eſt qui facit miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam in terra. Et ſic patet quid fuerat dicendum.

CONTRAPO. CCXLVIII.

Prou.6. *Formicam ſolertem imitari hortamur.*

Mat.6. *Non cogitandum de craſtino, alibi dicitur.*

Si formicæ ſolicitudo nobis proponitur à Sapiẽte in documentum, vt illam ſequamur, cur Saluator huic ſententiæ ſe opponens, taliter omnem ſolicitudinẽ interdixit,vt non permiſerit cogitare de craſtino? Idcirco & huic, quæ nullam in ſe contradictionem videtur includere, dicendum arbitramur, ſecundam intelligendam eſſe non ſicuti litera ſonat, vt videlicet non ſit licitum fidelibus ſeruare panem in craſtinum:quia & Paulus, qui omnium terrenorum contemptor extiterat, (1. Tim.6.) fuiſſet reprehenſibilis,dum ea quæ vitæ præſenti neceſſaria eſſe nouerat, gubernabat, vt etiam de viduis præceperit,dicens:Si quis fidelis habet viduam, ſufficienter tribuat illi, vt non grauetur Eccleſia, quò veris viduis poſsit ſufficere.Sed tamen illud de formica ſic intelligimus,vt quemadmodum illa æſtate colligit vnde in hyeme paſcatur,ſic vnuſquiſque Chriſtianus in rerum tranquillitate, quam ſignificat æſtas, colligat verbum Dei, vt in aduerſitate,& tribulationibus, quæ hyemis nomine ſignificantur,habeat vnde ſpiritualiter viuat. Non enim (vt Saluator monuerat) in ſolo pane viuit homo,ſed in omni verbo, quòd procedit ex ore Dei. O igitur fœlix

Formica quomodo imitanda ſit. *Mat.4.*

formica, quæ quotidie surgit & pergit ad Ecclesiam, in qua orat, audit lectionem, cantat hymnum, ruminat quod audit, apud se cogitat, & recondit intus in secreto cordis sui grana electa de arca Dei, & ad id quod collegit, redit frequenter: redit inquam, vt æstiuis temporibus suauiter recreetur. Et sic seruantur præmissa absque reliqua contradictione illæsa.

CONTRAPO. CCXLIX.

Quærent me, & non inuenient. Prou.1.

Quærite, & inuenietis, alibi. Mat.7.

Si sapientia diuina in prouerbiis locuta se quærentibus dixerat non inueniendã esse, cur Christus, qui & patris sapientia dictus est in scripturis aliud dixit? Idcirco dicẽdum etiã & huic nouimus, quòd primę sentẽtiæ interseritur MALI. Nam sic continet litera, vt dicat: Quærent me mali & non inuenient. Non enim hæc sapientia desursum descendens à patre luminum, cùm sit tota pudica, modesta, & casta valet introire in maleuolam animam, nec habitare potest in corpore subdito peccatis, qua in re mali illam inuenire nequeunt, sed econuerso bonis locuta dicit: Quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. In illa enim sunt omnia, quæ à bonis quærenda sunt, in illa quippe latent omnes thesauri scientiæ Dei, qui nisi huiusmodi humilibus aperiuntur. Sed mali, & nimium de se gloriantes, illam inuenire non merentur, quia odiunt illam. Idcirco quãto magis inflatur homo, tanto magis ab illis longè efficitur. Nam vbi deest supercœlestis Dei spiritus, ibi nil nisi humana quæ stulta est apud Deum, sapientia relinquitur. Sunt pariter & alij qui dictam sapientiam studiosissimè inquirũt, eámque in doctrinam possidere curantes, sed non in vita, vt nõ per mores quos iubet sapientia, perueniant ad Dei lucem, quod est ipsa sapientia, sed per sermones quos habet ipsa sapientia, vt ad hominum laudes perueniant. Hi non habentes modum quærendi, idcirco nequeunt inuenire illam. Et sic seruãtur præmissa absque vlla contradictione illæsa.

Prou.1. Iac.3. Sap.1. Mat.7. Coloss.2

Sapientiã quærentes multipliciter.

CONTRAPO. CCL.

Pro.26. *Stulto non respondendum iuxta suam stultitiam.*
Ibidem. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, infrá.*

Si stulto respondendum non est iuxta suam stultitiã, cur Sapiens, quasi hoc non dixisset, statim oppositũ subintulit? Non enim in Scripturis tam clara & aperta contradictio esse cernitur sicut ista. An forsan Sapiens, dum alterum dixerat, pœnituit se illud dixisse? Sed si mentis aciem eleuare placuerit, proculdubio videbimus non ab re se contrarium habuisse præfatum in prænotatis (Prou.26.) sentẽtiis. Nam causam subiungens cur primam dixerit, protinus addidit: Ne similis ei efficiaris. Quod & indubitanter fieri nouimus, dum verba insipientia, inania, ac risu digna damus stulto pro responsione. Nam cùm ille agnouerit nos conuenisse secum in responsione, iudicabit nos sibi similes esse in cogitatu, & sensu, iuxta il(Eccl. 10.)lud: Cùm stultus insipiens sit, omnes stultos æstimat. Idcirco ne in hunc incidamus errorem, cautè respondendum est illi, vt non secundum suam stultitiam respondeamus. Quod verò econuerso dicitur in altero, hoc ad cõfutandam suam stultitiam nouimus dictum: ne videlicet suã non deridentes stultitiã, sapiẽs sibi videatur, vt eo in loco statim subiungitur. Quod & sæpenumero euenire solet, dũ auditis verbis insipientibus à stulto prolatis, non exprobramus illa, tanquam insipientia & inania. Idcirco dicendum est illi, Qualis es, talia loqueris. Vtique si sapiens esses, talia non loquereris. Et sic patet quid fuerat dicendum ad præmissa.

Stulto quãdo nõ respondẽdum, & quare.

CONTRAPO. CCLI.

Eccl. 7. *Noli esse iustus multum.*
Apo.22 *Iustus iustificetur adhuc.*

Cùm lex iustum prædicet commẽdétque, cur ne multum iustus sit homo, mandat Sapiens? Quod econtrariò fieri iudicauit Ioannes. Et huic, quæ nil contradictionis in se videtur includere, dicendum placuit, quòd hoc quod Salomon ait, docuit ne quispiam tantæ temeritatis esset, vt nimis se extolleret de dono sibi cœlitus collato, putans se illud propriis meritis obtinuisse, quod

& pharisaïcam saperet iustitiam. Hoc autem euenire dicitur, dum quis dicit se non habere peccatum, aut putat sua industria & meritis se iustum effici posse. Hic enim nec rectè viuendo iustus est, sed potius iniustus, putando se esse quod non est, & dicens: Non sum sicuti cæteri hominum. Nam sicuti nimia iustitia de se præsumpta, peccatum incurrit, ita temperata iustitia facit perfectos. Sed de proficientibus videtur secundum intelligendum, quibus semper deest, vt proficiant, cùm non reperiatur in mundo quispiam tam iustus, tam innocens apud Deũ, qui ad id iustitię culmen peruenerit, vt non indigeat magis ac magis iustus fieri, vti sanctus Ambrosius docuit. Idcirco & si aliquando arguitur iustus, ideo rectè arguitur, quia scriptum est: Non est iustus in terra qui faciat bonum & non peccet: & alibi: Iustus perit in sua iustitia. Et sic patet quid foret dicendum.

Lucæ 18. *Iustitia inanis.* *Lucæ. 18.*

CONTRAPO. CCLII.

Non iustifices te ante Deum. *Eccles. 7.*
Iustum se esse dixerat Ezechias. *Esa. 28.*

Si ante Deum nemo iustificare se habet (vti Sapiens vnà cum regio Propheta atteстatus est) quid est quod rex ille, quem tantum commendat Scriptura conuersus ad Deũ dixerat confidenter: Meměto Domine, quomodo ambulauerim coram te corde perfecto? Nec est putandum, quòd rex tam sanctus ignorauerit legem Dei, nec iura maiorũ. Sed diceres, cur ergo ausus fuit se iustum facere? Idcirco & huic, quæ nil in se contradictionis continere cernitur, placuit dicẽdum, quòd hoc quod Ezechias locutus fuit, non est dicendum quòd suis deputauerit meritis, sed Dei gratia hoc se consecutum fuisse agnouerit, dum ait: Memento domine, &c. quasi dicat conuersus ad Deum: Memorare Domine, quoniam fauore tuæ gratiæ adiutus, ambulaui corã te corde perfecto, quòd nullatenus facere potuissem, nisi tu tale cor bonum in me creauisses, nõ enim ignorauerat prauum esse cor hominis, quòd Deus non innouauerit. Pariter & ille, qui Dei fauore agnoscens se bonum errauisse

Esa. 28. *Psal. 50.* *Hie. 17.*

2.Tim.4. certamen confidenter ait:Bonum certamē certaui. Profectò tantæ benignitatis esse agnoscitur Deus, suam iustitiam,nostram vt faciamus concesserit,nostráque opera(ope suæ gratiæ operata)in cœlis remunerat. Nam si ad nostram iustitiam vellet attendere, potius per illam
Esa.64. puniendi sumus,quàm remunerandi.Ex quibus liquidò
Esa.28. colligitur,quòd rex iste non suæ iustitiæ,sed Dei iustitię deputauit se corde perfecto corã Deo ambulasse. Et sic patet quid dicendum fuerat.

CONTRAPO. CCLIII.

Ecclesi.1. *Nihil sub cœlo nouum.*
Esa.43. *Ecce noua facio omnia.*

Si nihil noui fieri sub cœlo nouerat Sapiens, quare alter,quasi hoc ignorauerit,dixerat voce Dei:Ecce noua facio omnia? Arbitramur præsens pro futuro poni in altero,quando videlicet figura huius mundi pręteriēs creabitur cœlum nouum, & terra noua, vti Ioannes in
Apo.21. suis Reuelationibus posuerat. Vel ad primam dicamus, sic illam intelligentes, vt talis sit eius sensus: Nihil sub cœlo nouum,id est cuius idea in verbo non præcesserit, in quo(vt præfati sumus aliâs)tanquam in domo locata
Ioan.1. fuêre omnia,iuxta illud:Quod factum est,in illo vita erat.Vel dicamus,quòd illud nihil,ad species, seu ad genera rerum est referendum, quæ omnia(vt opinantur nonnulli)simul creata fuêre, propter id quod scriptum
Eccle.18. est:Qui manet in æternum,creauit omnia simul,licet cũ specierum creatione admittatur illa quotidiana indiui-
Ioan.5. duorum productio,vt & illud seruetur integrum,quo dicitur:Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Cabalistæ verò opinantur sub illo vniuersali signo,omnis,indiuidua pariter contineri. Arbitrantur enim præfati omnes animas hominum simul fuisse creatas, ac in cœlis seruari infra quandam cortinam, & secundũ exigentiam temporum infundi corporibus debitè organizatis in vtero materno.Quæ opinio quantum valeat libretur,quia & contrarius ei videtur esse Augustinus,qui
August. dixit, quòd Deus animas creando infundit corporibus,

& infundendo creat. Et sic patet quid fuerat ad pręmissa dicendum.

CONTRAPO. CCLIIII.

Nocens in opere tuo ne permaneas.
Nocens noceat adhuc, alibi dicitur. Eccle.8. Apo.22.

Profectò si adinuicem opponũtur præmissæ, vt non sit dandus locus concordiæ, idcirco multũ elaborandũ est, vt illas ad vnicum redigamus sensum: dicendũ ergo nouimus, quòd secundum non inducitur præceptoriè, quasi sit sensus, quòd homini sit licitum nocere alteri, cui & præcipitur vt suum diligat proximum. Vtique boni viri officiũ est, prodesse omnibus, nemini verò nocere. Proinde Pythagoricus ille Xistus dixerat: Optimã purificationem putato nocere nemini. Nam qui alteri nocet, sibi prius nocet. Malitia enim tua, vt nõ alteri noceat fieri potest, vt autẽ tibi non noceat fieri non potest, licet nocendi potestas dispensatione Dei permittatur, in alium autẽ ad pœnam, in alium verò ad probationẽ, & in alium ad coronam. Nihil tamen nocet iusto, quia omnia sibi ad meritũ permittuntur. Itaque qui iusto nocet, non illi verè nocet. Scire autem te velim, ꝙ omnia quæ nobis nocent, nostro vitio & non sua natura nocẽt. Quapropter putandum est, ꝙ Apostolus suis verbis attendit ostendere, quid pro consummata iniquitate, sic nocentibus proximum euenire solet. Nam talibus, tanquam desperatis de salute, & in periodo vitæ positis illud permissum est, vt malum malo addentes, suámq; augentes malitiam, sic illam terminẽt in suam perniciem. Sic& in Psal. precatur etiã, & dicitur: Consummetur nequitia peccatorũ, hoc est dictu deducatur ad terminum, quod peccator proteruiens emendare non curat, vt Dei iustitia illum puniens, locum habeat. Profectò diuina lege statutum est, vt omnis culpa ordinetur ad pœnam, vt nullum malum remaneat impunitum. Licet Deus malit peccatorem hominem emendari in hoc sæculo, quàm lege iustitiæ (quasi coactus) illum sempiternis cruciatibus deputari. Et sic patet quid fuerat dicendum.

Potestas nocendi à Deo est.

Psal.7.

Boetius.

Bonitas Dei.

CONTRAPO. CCLV.

Eccle.29. Timor Domini initium dilectionis eius.
1.Petr.4. Timor non ſtat in charitate, alibi.

Si Domini timor initiũ dilectionis eius dicitur, quomodo econuerſo verũ erit, quod ab Apoſtolo ſubinfertur in altero? non enim timor initium dilectionis Dei dici poteſt, ſi cum charitate manere nequit. Idcirco & huic pariter ſic reſpondendum nouimus, dicentes ad ſecundam, quam de ſeruili timore iudicamus intelligendã eſſe, quo timet ne iudicetur in tormentum ſupplicij: ſed de ſancto, & caſto fit in altera mentio, quo Deum timet aliquis ne amittat gratiã beneficij. Sed quia timor Dei, & animæ puritas obſeruantiam pariter mandatorũ Dei requirunt, ideo timorem & mandatorum cuſtodiam ſępius in vnũ præcipit diuina auctoritas: Dominum Deũ inquit tuum timebis, & illi ſoli ſeruies. Hic verò timor taliter initium dilectionis Dei dicitur, vt nequaquam diligendus ſit Deus ſine illo. Vulgo enim dicitur, qui amat timet, amat quippe Deum homo, quem non amando perdere timet, licet ex ea parte qua timet Deum, illum non amet. Timendus eſt enim Deus, quia, iuxta Pauli ſententiam, horrendũ eſt incidere in manus eius, ſed econuerſo diligendus eſt, quia ipſe prior dilexit nos, & taliter vt filium ſuum vnigenitum daret pro mundo. Diligendus pariter, quia conſtringimur per decalogum, vt ipſum diligamus. Sic ergo intellectis præmiſſis non erit prima contraria alteri.

Pſal.1.
Cur Deus timendus.
Heb.10.
Ioan.4.
Deut.6.

CONTRAPO. CCLVI.

Eccleſ.7. Nemo eſt qui ſemper viuat, ait Sapiens.
Ioan.8. Panem Chriſti manducans viuet in æternum.

Quomodo in æternum victurus eſt Chriſti panem manducãs, ſi nullus reperitur qui ſemper viuat, vti Sapiens vnà cũ Paulo dixerat? Idcirco & huic ſic reſpondendum placuit, dicentes, aliter fieri mentionem in prima de vita, & aliter in ſequenti. Nam in prima de corporali, quam nouimus habere terminum poſt annorum curſum, quẽ & tranſgredi minimè poteſt homo, vti Iob depo-

deposuerat, dicens: Constituisti terminos eius qui pręteriri non poterunt. Nec valet sanctitas, saut digna propago hoc obtinere donum, vt quis morte naturali non moriatur. De hac enim regius Propheta locutus in Psalm. ait: Quis est homo qui viuet, & non videbit mortẽ? quasi dicat nullus inuenitur, quamuis de æternali sit in altera mentio, qua Christi panem dignè manducans & deuotè, perpetuè victurus est. Nec mirum videatur, quia cùm iste panis, panis vitæ dicatur, vitam manducanti deuotè habet præstare, & non nisi illam, qua cũ Christo in perpetuum victuri sumus. Itaque si cum illo cupimus semper viuere, discamus hîc bene viuere, quod nõ meriti humani, sed beneficij Dei est munus. Nã quid proderit diu viuere in hac vita, nisi quis sanctè & beatè viuat, vt demũ possit semper beatè viuere? Et sic seruantur præmissa ab omni contradictione illæsa. *Iob 14.* *Psal. 88.* *1. Cor. 11.* *Ioan. 8.*

CONTRAPO. CCLVII.

Nihil odisti eorum quæ fecisti.
Altißimus odio habet peccatores. *Sap. 11.* *Eccle. 12.*

Si nihil odire dicitur Deus eorũ quæ ipse fecerat, cur peccatores qui aliquid eius esse dicuntur, odire dicitur in altero? Idcirco & huic, quæ nil cõtradictionis videtur includere, dicendum placuit ad secundam, ꝙ Deus non dicitur peccatores odire, eo ꝙ sint aliquid eius, quia sic nõ potest illos odire, sed odit illos, quales per peccatũ fecerũt se: duo enim potissimũ odit Deus in nobis, quæ nullatenus potest pati: negligentiã videlicet reuertendi ad ipsum, & desperationẽ salutis. Idcirco tãtum absint à cogitationibus procul nostris, & ille tunc animis propè erit nostris. Naturarũ enim non vitiorũ conditor, mala quæ odit ipse nõ fecit. Nam sicuti iudex odit in homine furtum, sed non odit, ꝙ propter furtũ suspẽdatur homo, prout iustitia expostulat: illud enim fur, hoc iudex facit. Sic & Deꝰ impietatẽ odit in homine, quã in summo abhorrere dicitur, sed non odit, quòd illa committens ad supplicia deputetur æterna, si ab illa per pœnitentiã non fuerit emendatus. Nouit enim in vnoquoque nostrûm, *Deus quid odiat in homine.*

& odiſſe quod feceramus, & amare quod ipſe fecerat. Meritò quippe odit, & velut à regula ſuæ artis alienum improbat vitium, amat tamen ſuum in vitioſis, vel ſanationis beneficium vel damnationis iudicium. Cùm igitur eorum quæ ipſe fecit nihil oderit, quis dignè contẽplari poſſet quãtum diligat mẽbra ſui vnigeniti, quæ ad angelorum ſanctorum æqualitatem gratię ſuę largitate decreuit perducere? Scire autem te velim Deum odire illos nec inter ſuos profeſſores deputare velle, quos ſuæ viæ deſertores eſſe nouerit. Et ſic patet quid ad pręmiſſa fuit dicendum.

CONTRAPO. CCLVIII.

Sap. 9. *Deus dicitur diſponere omnia iuſtè.*
Ioan. 19. *Chriſtum innocentem condemnari permiſit.*

Quomodo enim iuſtè omnia diſponere dicitur qui innocentem permiſerat condemnari? Et huic, quãuis aliâs reſponſum dederimus, nihilominus & illud ſuperaddendum nouimus, dicentes ad ſecundam, quòd non abſque diuina diſpenſatione actum fuit, vt innocens pro impiis neci daretur, prout in ſcripturis per prophetarum
Eſa. 53. oracula prænuntiatum fuerat: nec aliter à faucibus diaboli eripi poteramus, niſi ille, qui purus & innocẽs erat
Leo papa. ab origine ſuæ conceptionis, paſſus eſſet in noſtra natura, quam in determinato tempore debebat aſſumere ex virgine, vt per ſuã condemnationem nos efficeremur iu
Rom. 5. ſtitia Dei, vt Paulus nouerat. Nec aliter vita in nobis qui
2. Cor. 5. mortui per peccatum eramus, acquiri poterat, niſi morti
Epheſ. 2. corporali ille ſuccumberet, qui omnium vita & ſalus eſ-
Chriſtus neci dandus erat, & quare ſe debebat. Vel ſi placet dicamus ſumma cum reuerentia, quòd meritò neci fuerat dandus, qui ſua nimia victus clementia & pietate, crucem ſumere & mortem ſubire pro nobis voluit. Sic enim noſtras iniquitates ſuas
Eſa. 53. fecerat, ac ſi ipſemet illas commiſiſſet manens in carne
Ioan. 18. mortali. Idcirco ſe capere quęrentibus ſponte obtulit, dicens: Si ergo me quæritis ſinite hos abire, quaſi dicat, Si illum capere cupitis, qui pro omnibus reũ ſe fecit, ſinite alios in quibus jam culpa deleta, eſt. Hinc oſtenditur

quanta dilectione, quantáve charitate fuerit nos amplexus, dum à debito reatum nos dignatus sit soluere, vt Dei iustitia efficeremur, tradens se morti horribili propter nos, iudicatus ac condemnatus à tribunali iustitiæ, cui & ante sæcula se obtulerat, dicens: Ecce ego qui videlicet paratus sum mori, ne pœnis æternis deputetur homo. Et sic patet quid dicendum. *Christi dilectio magna.* *2. Cor. 5.* *Esa. 6.*

CONTRAPO. CCLIX.

IVsti in perpetuum viuere dicuntur. *Sap. 5.*
Abraham iustus defunctus est. *Ioan. 8.*

Quis enim in perpetuum viuere dicendus est, si vt moreretur semel idcirco fuerat natus? Et huic pariter sic arbitramur dicendum, quòd ob hoc nobis moriendum est, vt perpetuè & sine fine viuamus. Profectò vt sic pepetuò viueret Propheta rogauit, dicens in Psal. Vnam petij à Domino vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Pariter & Propheta Helias sic perpetuè viuere cupiens ad Deum conuersus, ait: Tolle quęso Domine animã meã. Sic & ille, qui bonum certamẽ certauerat, ait: Cupio dissolui & esse cũ Christo. Nouerat enim sibi necessarium esse, vt per hanc temporalem mortem, ad illam vitam quæ finem non habet, deueniret, de qua in prima fit locutio, qua iusti in perpetuas æternitates victuri sunt. Scire autem te velim, hanc perpetuam vitam nobis conferri dono Dei duntaxat, & non per merita nostra, quæ nulla sunt. Quid enim boni egimus per hanc vitam mereamur, aut quæ bona facta nostra pocesserant, vt Deus cogeretur ex lege gratiam suam conferre nobis? nunquid inuenit iustitias quas coronaret, & non delicta quæ donaret? Vtique delicta quæ donauit si vellet punire, non esset iniustus Deus. Quid enim iustius esse potest quàm trãsgressionẽ punire? Pertinet tamen ad misericordiam ipsius non punire, sed peccatorem iustum facere, & de homine impio facere pium. Ex quibus colligitur nullam esse in præmissis contradictionem, quia in prima de vita æternali, sed in altera de corporali fit locutio, quam nullatenus homo po *Psal. 26.* *3. Rg. 19.* *Phil. 1.* *Vita duplex.*

test effugere, quamuis in matris vtero fuisset sanctificatus, propter id quod ait Apostolus: Statutum est hominibus semel mori. *Hebr. 9.*

CONTRAPO. CCLX.

Sap. 3. IVsti iudicabunt nationes.

Rom. 3. *Dominus iudicabit orbem terræ.*

Si fines terræ iudicaturus est Dominus, vt prophetarum oracula vnà cum Paulo liquidò manifestant, cur præmittitur in altero, quòd iusti id facturi sint? An forsan extra terminos terræ dantur aliquæ nationes, quas iusti habent iudicare? Idcirco placuit dicendum, quòd de iudicio incredulitatis forsan prima est intelligenda, quia iusti credentes, impij credere noluerunt. Profectò & Niniuitæ conuersi ad prædicationem Ionæ introducuntur fore iudices Iudæorum non credentium. Dixerat enim Christus Iudæos alloquens: Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. De quorum numero pariter erunt qui ante iudicij diem iustificabuntur, vt & ipsi cum Christo postmodum omnes fines terræ iudicent: vtique in altera locus pro locato accipiendum est, quam ad plenum iam expositam alibi reliquimus dicentes Christum solum fore iudicem omnium gentium subauctoritatiuè, potestate videlicet sibi à patre tradita: sed approbationis iudicio iudicabũt etiam omnes iusti dum sedẽtes ad iudicis dexteram dicent concorditer ad illum conuersi: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Et sic seruantur præmissa ab omni controuersia illæsa.

Mat. 12. *Mat. 5.* *Iusti quomodo iudicandi.* *Psal. 118.*

CONTRAPO. CCLXI.

Sap. 11. DIligit Dominus omnia quæ sunt.

Sap. 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas eius.*

Si Deus diligere dicitur omnia quę sunt, quomodo erunt sibi odio impius, & impietas eius? An forsan simul stare potest odire & diligere? Quibus placuit dicendum ad secundam, quòd de illo impio sit in illa locutio, qui in malo proteruiens & perdurans contempsit *Prov. 18.*

ad Deum conuerti, ponens obicem se vocanti. De quibus ipse Dominus conquestus, ait: Vocaui, & renuistis. *Prou.1.* Hic enim cùm sit extra statum suæ salutis, ac peruersam mentem habens, meritò à Deo odio habendus est. Sed non de illo impio litera est intelligenda, cuius nomen impietatis, iam per oppositam iustificationem deletum fuit ab illo, qui per prophetam dixerat huiusmodi iustificato: Ego sum Deus qui deleo iniquitates tuas. Cui & *Esa. 43.* tunc nomẽ impietatis deleri dicitur, dũ de impio pius efficitur, iuxta illud: Verte impios, & non erunt. Sed ad al- *Prou. 12* teram dicendum placuit, quòd licet Deus omnia quæ sunt, diligat, potissimùm tamẽ dilexit hominem, ad quẽ duntaxat releuandum, vnigenitum misit morti turpis- *Ioan.3.* simæ subiiciendum, & nõ ob aliud, nisi vt sua mors vita esset homini. Idcirco hanc tantam, & talem Dei clemẽtiam erga nos tam benignè ostẽsam admiratus sanctus Gregorius cecinit in hymno paschali, dicens: O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! O inęstimabilis dilectio charitatis vt seruum redimeres, filiũ tradidisti. Et quod maius est omnibus, & ipse filius admiratus aiebat in Euangelio: Propter nimiam charitatem qua dilexit nos *Ioan. 3.* Deus, filium suum misit in similitudinẽ carnis peccati. Pariter & Apostolus hoc contemplatus ait: Deus qui di- *Ephe.2.* ues est in misericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo. Stat ergo vt Deus impium odio habeat non curantem conuerti, quem ob innumera peccata pati non potest, & quod diligat in illo, quod suã repræsentat imaginem. Idcirco si conformes Deo fieri cupimus, displiceat in nobisipsis impietas, quam ipse odit, & placeat creatura, quam ipse fecit. Vtique duo in nobis sunt, homo videlicet & iniquitas, vnum naturæ, alterum culpæ, vnum in nobis Deus fecit, alterũ quod nos fecimus, primum diligendum est, alterum odio habendum. Et sic patet quid fuerat ad præmissa dicendum.

De⁹ quid diligat in homine impio.

CONTRAPO. CCLXII.

Deo æqualiter est cura de omnibus. *Sap.6.*
Non est sibi cura de aliquo, alibi *Mat.22.*

Si Deo æqualiter cura eſt de omnibus, qui & omnes ſaluos facere cupit,quantum in ſe eſt, cur in Euangelio ex aduerſo dicitur: Non eſt tibi cura de aliquo? Nónne ſub illo vniuerſali ſigno cõtinentur omnes particulares ſub nomine ſequenti ſignum contentæ? Quibus reſpõdentes placuit dicendum ad primam, talem putantes eſſe ſenſum eius, quòd ſic æqualiter Deus ſine perſonarum diſcretione omnes diligit, vt omnibus bonum cupiat, tribuens omnibus media antecedentia ad ſalutem, vt illam conſequentur, licet plurimi malè viuentes non obtineant eam, quibus imputandum eſt,& non Deo. Quòd autem omnes æquanimiter dilexerit, atque diligat Deus, nónne liquidò apparet, quia cùm inimici eſſemus, atque onerati peccatis, auerſique à contemplatione ſuæ lucis, nõ omnino deſeruit prout merebamur? Quinpotius verbum ſuum, qui eſt ei vnigenitus miſit in ſimilitudinem carnis peccati, vt in illa aſſumpta carne horribilem mortem crucis peteretur pro nobis, vt redempti à miſerabili ſeruitute, qua per peccatũ in manu diaboli tenebamur captiui, in regnum deduceret ſuæ dilectionis, nóſque in filios adoptaret. Altera verò quamuis ſit ſententia tentantium Chriſtum de cenſu dando Cæſari, nihilominus quia veriſsima eſt ſecundum alium ſenſum, idcirco ob reuerentiam Euangelij ſic illam exponendam eſſe putauimus, vt eius ſit ſenſus: Non eſt tibi cura de aliquo, hoc eſt, tu taliter iuſtus es in eſſentia, & opere, vt in proferenda veritate nullius amicitiam, ſeu inimicitiam cures. Nec propter pauperem, nec propter diuitem veritate relicta mendacium loqueris, qui non ſecundum oculorum viſionem iudicas hominem, neque ſecundum auditum aurium arguis, ſed prout verſatur in corde, iudicas factum. Sic ergo præmiſsis intellectis nulla in eis prorſus contradictio cernitur.

Logici. — *1. Tim. 2.* — *Theol.* — *Eſa. 11.*

CONTRAPO. CCLXIII.

Sap. 1. SPiritus Domini repleuit orbem terrarum.

Eze. 1. *Spiritus Domini diſcurrens, & mobilis.*

Quomodo hinc inde ſpiritus iſte diſcurrere dicitur,

ſi verum eſt, quòd totum orbem repleuerit? Nam quod diſcurrit & mobile eſt nouum ſibi acquirit locum, vbi prius non erat, vel quem non occupabat. Et huic pariter ſic reſpondendum eſſe iudicamus, dicentes primam intelligendam eſſe de illo ſpiritu Domini, qui in initiũ tẽporum idcirco orbem terrarum repleuiſſe fertur, quia dum ſuper aquas deferretur, fœturam omnium rerum creandarum ſuo calore viuificauerat. Nec eſt intelligendum quòd ferebatur ſuper aquas, ſicuti ſol ſuper terram fertur. Non enim per ſpacia locorum, aut interualla ſpaciorum, ſed per potentiã inuiſibilis ſublimitatis ſuæ ſuperferebatur. Nam quicquid Dei verbo fuerat creatum, hoc totum fuit viuificatum à ſpiritu. Quanquã ad hanc primam, præteritum accipientes pro futuro, poſſemus dicere, & non ab re, quòd de Apoſtolis poſsit intelligi, qui in die ſancto Penthecoſtes iſto diuino flamine taliter ad plenum repleti fuerunt, vt omnium hominum loquerentur linguis, vt refert Lucas in actibus. Diſcurrere verò iſte ſpiritus mobilíſque dicitur, dum mentes hominum per gratiam intrat, viſitat, & illuſtrat, aut econuerſo ab illis per peccatum recedit. Profectò quem ſibi placuerit replet ſpirans, & quem repulerit ab illo, recedit quando vult, & quomodo vult. Nec hoc tibi abſonum videatur, qua & ab illo receſſerat qui interrogatus, ait: Hoc celauit Dominus à me, nec indicauit mihi. Receſſerat pariter à Moſe, qui idcirco errauit, Petram percutiens. Ob quod & Propheta regius timens ne à ſe recederet iſte ſpiritus, & ipſe poſtmodum in errorem laberetur conuerſus ad Deum rogauit, dicens: Et ſpiritum ſanctum tuũ ne auferas à me. Et ſic patet quid fuit dicendum.

Gene. 1. *Spiritus Domini quomodo ferebatur ſuper aquas.* *Act. 2.* *Spiritus cur mobilis.* *4. Reg. 4* *Num. 10* *Pſal. 50.*

CONTRAPO. CCLXIIII.

SOl non eſt ortus nobis, dixerunt quidam. *Sap. 5.*
Solem ſuum facit oriri Deus ſuper bonos & malos. *Mat. 5.*

Si ſolem ſuum facit Deus oriri ſuper bonos & malos (vti Chriſtus dixerat) cur oppoſitum præmittitur de quibuſdam, qui videlicet conqueſti dicebant: Sol non

est ortus nobis?Et huic pariter nouimus respondendum dicentes, prima fuisse verba quorundam insipientium hominum, qui errantes à veritatis tramite incidentésque in vitiorum tenebras dicebant,suum accusantes errorem: Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol non est ortus nobis. Nam licet Deus, quantum in se est, solem suum oriri faciat, æqualiter super bonos & malos, ad nos tamen pertinet huius solis suscipere calorem, & splendorem. Nam si clausum fuerit cordis nostri ostium illuc nequit ingredi sponsus animæ, qui foris stans, & pulsans, dicit voce amatoria: Aperi mihi soror mea, amica mea. Huic hostium aperuerant illi, de quibus gaudens Apostolus, aiebat: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Pariter & illi lux fuerat orta, cui d citur: Lux orta est iusto. Huic enim oritur sol, non is qui quotidie oriri cernitur super bonos & malos, sed ille de quo voce Prophetica dicitur: Orietur vobis timentibus Deũ sol iustitiæ. Nec solis defectui imputandum est si aliqui non illuminantur sole isto, sed illis qui vitiorum tenebras magis dilexerunt quàm lucem. Nam Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, dummodo luci huiusmodi obicem non opponat quispiam. Sicuti fecerunt illi, quibus matutina lux orta non fuit. Hi enim respuentes illuminari, tanquam cæcutientes, in tenebrarum caligine sponte remanserant. Idcirco Christus suos instruens fideles, ait: Dum lucem habetis credite in lucem, vt filij lucis sitis. Profecto fides est illa, qua Deum cognoscimus, dum viatores sumus. Et sic patet qui fuerat ad præmissa dicendum.

Apoc.3. Cant.5. Ephes.5. Psal.96. Ioan.3. Ioan.1. Esa.8. Ioan.12.

CONTRAPO. CCLXV.

Sapiẽ.1. DEus mortem non fecit.
Eccle.11. *Mors & vita à Deo sunt.*

Nam si Deus mortem non fecerat (vt pręmittitur) quomodo verum erit, quod ex aduerso dicitur? quare & hanc sic explanandam nouimus, dicentes ad alteram, quòd idcirco mors & vita ab illo esse dicuntur, quia

ipse legem tradidit, quæ seruantibus se, vitam confert & elargitur. Sed & contemptoribus mortem econuerso minatur, quam Deus non fecit, cum non sit voluntatis eius perire hominem, sed magis vt conuertatur, & viuat, sed immemor suæ salutis mortem potius eligit, quàm vitam, quam sibi Deus conferre decreuerat, si bene se in corpore gessisset. Sit ergo istius secundæ sensus, quòd Deus vitam tribuit bonum operanti, sed mortem econuerso minatur bonum operari renuenti, quem cum operantibus iniquitatem habet deputandum. Non ergo mortis inuentor dicitur Deus, sed peccatum, cui pro pœna mors æterna debetur, quam & infert Deus in executione legis iustitiæ, à quo Deo dicta est mors, non quia ex ipso sit, sed ex hoc, quia homo peccauit. Nam & mors pœna peccati dicitur. Quanquam secundum alium sensum possemus dicere, mortis authorem esse diabolum, non creatione, sed suggestione. Triplicem verò esse mortem, videlicet mortem animæ, mortem carnis, & mortem carnis, & animæ simul alibi diximus. Primam causat peccatum: Secundam dissolutio elementorum: sed & tertia (quæ mors gehennæ dicitur) in vltionem confertur offensionis, illam autem animæ, cui & illa gehenna subsequitur necessariò, nunquam fecit Deus, quia scriptum est: Qui peccatum non fecit. Pariter sicuti triplex mors dicitur, sic à simili triplex esse agnoscitur vita, videlicet alia carnis & animæ ante peccatum, alia carnis post peccatum, alia animæ & carnis post dissolutionem elementorum: Ex quibus iam ad plenum discussis patet concordia præmissarum.

Ezec. 18. *2. Cor. 5.* *Psal. 119.* Mors non est à Deo. *Mors triplex.* *Vita triplex.*

CONTRAPO. CCLXVI.

Initium omnis peccati superbia dicitur. *Ezec. 10.*
Initium omnis peccati auaritia, alibi. *1. Tim. 6.*

Si peccati initium superbia esse dicitur, cur Euangelicus præco iudicauit initium peccati esse auaritiam? Et hanc concordare curantes placuit dicendum, vtranque, videlicet superbiam & auaritiam, in tantum vnum malum esse adinuicem, vt non sit dandus quispiam super-

Auaritia nunquam sine superbia.

bus, quin pariter ſit auarus:nec ecõuerſo quempiam reperiri poſſe auarum, quin pariter & ſuperbiã ſecum annexam habeat. Quid enim aliud eſt hominem ſuperbũ eſſe,quàm modum ſuæ conditionis ſe velle excedere,nec parem ſibi velle pati,nec æqualem? Pariter quid eſt auarum eſſe,niſi progredi vltrà quàm ſufficiat? Quid enim

Radices omnium malorũ. auarius eſſe poteſt illo,cui Deus ſufficere nõ potuit?Hęc enim in tantùm omnium malorum radices eſſe cernũtur,vt non ſit malum in mundo, quod ab iſtis ſuam non trahat originẽ. Quod & ille nouerat,qui ab altera eripi

*Pſal.*118. cupiens,ait conuerſus ad Deum : Inclina cor meũ Deus in teſtimonia tua,& nõ in auaritiã. Nouerat enim in illa omnium peccatorum genera contineri. Idcirco veritatis

*Luc.*12. præceptor illam omnino cauendã præceperat ſuis fidelibus,dicens:Cauete ab omni auaritia,quæ non ſolùm (vt liquidò cernimus) ſuam expandit radicẽ in exceſſu diuitiarum,ſed etiam in omnes altitudines,& dignitatis gradus. Sed & de ſuperbia pariter locutus prænotatus Pro-

*Pſal.*30. pheta ait in alio pſal. Et retribuet dominus abundanter omnibus facientibus ſuperbiam. Ex qua ſententia clarè colligitur, quantum ſit graue peccatũ ſuperbia, pro qua potiſſimùm retribuendum eſt abundanter,& abſq; mẽſura faciẽti illam. Idcirco non ab re innuit Sapiens quã-

*Eccle.*10. tum eſſet odibilis iſta peſsima radix,dũ depoſuit, dicens, Odibilis eſt Deo & hominibus ſuperbia. His duabus infectus primus homo, inimicus Dei effectus fuit. Nam ſe

*Gene.*1. *Homo voluit eſſe ſuper hominem.* auarum oſtendit,dũ ſupra homines eſſe voluit,qui ſupra pecora factus fuerat. Sed & hoc pariter ſuperbia fuit,cũ non tradiderit illi Deus vt ſuper hominẽ poteſtatem haberet,ſed ait:Et dominetur piſcibus maris,& volatilibus cœli,& pecoribus, & omni reptili quod reptat ſuper terram. Sed ille his non contentus, ſe Deo æquari curauit

*Gene.*1. ſuggerẽte ſibi antiquo hoſte,& dicẽte: Et eritis ſicut dij. Et ſic ſeruantur præmiſſa illæſa abſque contradictione.

CONTRAPO. CCLXVII.

*Eccle.*4. *Confuſio adducens peccatum.*

Ibidem. *Confuſio adducens gratiam.*

Valde præmissa in se offeruntur contraria: nam si confusio adducit gratiam, quomodo econtrariò poterit peccatum adducere? Non enim adinuicem compatiuntur peccatum & gratia in eodem subiecto, sed mutuò se expellunt. Idcirco & huic pariter dicendum arbitramur, quòd de illa confusione est secunda intelligenda, quam delinquentis emendatio subsequitur. Hæc enim cùm sit salubris & benefica, non solùm emendati hominis beneficium reportat, sed aliquando etiam ædificationem totius gregis. Hoc autem fit, dum quis confusus de iniquitate commissa mutat in melius vitam suam, patienter sustinens quicquid sibi pro pœnitentia illatum fuerit. Econtrariò autem euenire solet illi, qui prælato non obtemperans impudenter erigitur, defendens suum errorem, illum emendare non curans, quin potius spernit correctionem. Facit autem hoc, ne inconstans putetur, aut diu errasse seipso iudice teneatur. Hic enim correptus de suis delictis iratus abscedit confusus, ferens moleste correptionem. De hoc enim in Prouerbiis illud scribitur: Qui increpationes odit, morietur: & alibi, Qui increpationes odit, insipiens est. Huic enim nulla est sperãda salus, sic perseueranti in malum, & vitam emendare non curanti. Sed de illa confusione, quæ peccatum adducit, Augustinus locutus, ait: Qui modo respuunt confundi salubriter, confundentur in iudicio in suam perniciẽ. Et sic patet quid fuerat dicendum.

Confusio. beneficia. *Prou. 15.* *Prou. 12.*

CONTRAPO. CCLXVIII.

Deus solus iustificari dicitur. Eccle. 18.
Factores legis iustificabuntur. *Rom. 2.*

Si solus Deus iustificari dicitur, quid somniat Paulus de factoribus legis? Idcirco & huic pariter nouimus dicẽdum, aliter iustificari Deum, & aliter legis factorẽ. Nam Deus cũ sit summa iustitia, & in abstracto, nullatenus est iustificandus aliunde quàm à seipso, cùm hæc iustitia, qua iustificatur non sit sibi accidens, quemadmodum illa, quæ creaturis inest, sed est sibi realis, ac consubstantialis. De hac enim Augustinus locutus, ait:

Iustitia Dei non est sibi accidens.

Iuſtitia Dei illa dicitur, qua non ſolùm ipſe iuſtus eſt,
Rom.2. ſed etiam qua nos iuſtificat. Qua in re ad aliam pariter dicendum placuit, quòd factori legis hoc iuſtificationis munus non eſt tribuendum, quaſi illud ex ſe habeat, ſed Deo qui gratis nouit iuſtificare hominem, vt Pau-
Rom.8. lus nouerat. Sic autem hominem iuſtificat Deus, vt non ſecundum electionem propoſitum eius maneat, ſed ex propoſito electio, id eſt, non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propoſitum iuſtificationis ipſius, ſed quia illud manet, vt iuſtificet credentes. Et ꝙ homo hoc ex ſe non habeat, patet per il-
Pſal.142 lud quod Propheta dixerat in pſal. Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Colligimus ergo ex iam dictis qualiter Deus ſua nos benignitate, & clementia iuſtificat, & non ex meritis noſtris, vt non glorietur
Rom.3. omnis caro in conſpectu eius. Quos verò ipſe iuſtificabit nemo condemnare poterit vt paulus arcanorum re-
Rom.8. ſerator depoſuerat. Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque vlla contradictione.

CONTRAPO. CCLXIX.

Eccle.11. *DA bono, & non peccatori.*
Luc. 6. *Omni petenti te tribue.*

Si tantùm bono tribuendum eſt, cur vt omni petẽti nos tribuere debeamus, mandatur in altera? Vtrunque enim cùm ſit per legem indictum tenemur facere, dum opportunitas ſe offert, ne eiuſdem legis tranſgreſſores inueniamur. Sic enim fieri edocemur ab illo, qui
Mat.13. verba vitæ mundo palàm locutus, hanc patris volunta-
Mat.5. tem eſſe dixerat: Quem vt veri filij imitari debemus, verba ſalutis omnibus impartientes æqualiter: bonis enim, vt in bono propoſito magis roborentur, impiis verò, vt noſtram cernẽtes benignitatem ab impietatibus reſipiſcant conuertantúrque à viis ſuis malis ad Dominum,
Ioan.1. iuxta illud: Conuertatur vnuſquiſque à via ſua mala. Secus autem facientes timeamus ne illum impium & im-
Tren.4. manem incurramus errorem, quo dicitur: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Scientes ab

Apoſtolo fuiſſe ſcriptum: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Quanquam illa quæ ſacramentis plena ſunt, non ſint aperienda indifferenter omnibus, ſed perfectis duntaxat, imitantes illum, qui ait: Sapientiam loquimur inter perfectos ne aliter facientes arguamur ab illo, qui conuerſus ad Deum ait in pſal. In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Ad hoc propoſitum pariter locutus eſt Xiſtus ille Pythagoricus, dum ait: Verbum de Deo non omni homini cõmittas. Et amplius infrà dicit: Et qui non credis eſſe Deum, de Deo nihil loquaris. Et ſic patet quid fuerat dicendum. *Iaco.3.* *Roma.1.* *Pſal.118.*

CONTRAPO. CCLXX.

Curam habe de bono nomine, ait ſap.
Per infamiam Paulus incedendum docuit.

Si de bono nomine, tanquã de precioſo theſauro curam habere iubemur, cur doctor gentium etiam per infamiam incedendũ docuit? Huic quoque ſic reſpondẽdum nouimus, dicentes ad alteram, quòd non eſt credendum, quòd ſanctus Apoſtolus qui ſcribens Philippenſibus dixerat: Quæcunque ſunt bonæ famæ, &c. aliter ſeſe habuerit, Corinthios alloquens: quinpotius formam rectè viuendi ſecundum Chriſtum præbens præfatis (quam & Dei miniſter ſequi debebat) inter multa, quæ illos docuerat etiam per infamiam, & bonam famam docuit incedendum, vt huius ſententiæ talis eſſet ſenſus, videlicet, quòd ſi Dei miniſter falſo de aliquo crimine infametur, vel ſi bona fama de eius religioſa conuerſatione habeatur, vtrunque per patientiam æquanimiter ducat, vt nec illum detrahentes deiiciant, nec laudantes nimium extollant. Quia & nonnunquam contigit vtroſque mentiri. Et ad hunc ſenſum Apoſtolus Petrus locutus eſt cum fidelibus, dum illos admonens, ait: Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonã, vt in eo quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum *Eccle.42.* *2.Cor.6.* *Philip.4.* *Miniſter Dei qualis eſſe debeat.* *1.Pet.2.*

in die visitationis. Ipsa enim bona fama vmbræ comparatur, quam si secuti fuerimus, fugiet à nobis, si verò cõuerso ipsam fugerimus sequetur nos: nam bona fama est virtutum manifestatiua, malorum tristificatiua, & bonorum lætificatiua. Et sic seruantur præmissæ cõcordes.

CONTRAPO. CCLXXI.

Eccle. 13. *Noli esse humilis in sapientia.*
Eccle. 32. *Noli extolli in sapientia.*

Si nõ licet esse humilem in sapientia, nec minus in illa extolli, quod medium tenendum erit, vt illa proficuè vtamur? Clarum est enim, & patet sensui, extolli & humiliari esse contraria, & non minus quàm album & nigrum. Elaborandum est ergo à nobis, vt pręmissas cõcordes reddamus. Dicimus ergo, quòd per secundam illam, extollentiã nobis interdictam nouimus, qua quisque apud semetipsum extollitur, putans se aliquid magni esse: quo vitio laborasse nouimus illos sapiẽtes, quos & Paulus commemorans dicebat: Dicentes se esse sapi-
Roma. 2. entes, stulti facti sunt. Idcirco ne hanc apud se habeat homo, fuit prohibitum ab illo qui super hoc documentum
Prou. 3. tradens, ait: Ne sis sapiens apud temetipsum. Pariter & alius ad hunc sensum locutus ait: Nolite esse prudentes a-
Rom. 12. pud vosmetipsos. Nouerat enim fuisse scriptum alibi:
Prou. 3. Ne innitaris prudentiæ tuæ. Hanc & Iacobus terrenam,
Iaco. 1. animalem & diabolicam sapientiã esse iudicauit. Quanquam & infrà illam multum laudauerit, quæ à patre luminum descendit, humilibus & mansuetis duntaxat col-
Psal. 18. latam, iuxta illud: Et sapientiam pręstans paruulis: His e-
Mat. 13. nim sic sapientibus regni Dei mysteria aperiuntur, sed econuerso occultantur huius sæculi sapientibus. Quod liquidò designauit Christus, dum ad patrem cõuersus ait:
Mat. 11. Confiteor tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

CONTRAPO. CCLXXII.

Eccle. 39. *Nihil apud te absconditum.*
Mat. 7. *Deo nunquam noti aliqui, alibi.*

Si nihil abscõditum apud illum dicitur, cui omnia in luce clarescunt, cur Christus introducitur dicturus de aliquibus, Nescio qui estis? Nónne ipse sapientia patris dicitur? Idcirco & huic, quæ nullam penitus includit in se contradictionem, placuit dicendum, duplicem esse cognitionem Dei super mortales agnoscentes, vnam videlicet approbationis, & alteram reprobationis. Prima quidem illos nouit Deus, quos in libro vitæ scriptos viderit. Hi enim sunt omnes prædestinati ad vitam, de quibus dicitur: Nouit Dominus qui sunt eius. Si enim Mosen nouerat, cui dixit: Noui te ex nomine. Nouerat Hieremiam, cui pariter dixerat: Antequam exires de vulua sanctificaui te. Nouit Christus Nathanaëlem, cui dixit: Dum esses sub ficu, noui te. Nouerat Simonem Petrum, cui dixit: Simon Petre antequam de naui vocarem te, noui te, & super plebem meam principem te constitui. Quorum verò opera non approbat, hos se nescire testatur, nisi punitione, & vindicta. De quorum numero fuerant illi, quibus comminatoriè dixerat: Habeo de vobis multa iudicare. Causa autem cur eos non agnoscebat cognitione approbationis, hanc esse putamus, quia & ipsi malè viuentes illum noluerunt agnoscere, dum erant in mundo. Quemadmodum fecerant illi scribę, & pharisęi, de quibus fit mentio in altera. Sit ergo præmissarum cõcordia, quòd Deus bonos cognoscat, vt illos in æterna remuneret patria, sed econuerso malos nouit, vt eos videlicet ad æterna, & infernalia supplicia deputet. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

Dei notitia duplex. *2. Tim. 2.* *Exod. 33.* *Hier. 1.* *Ioan. 1.* *Ioan. 8.* *Boni & mali quomodo agnoscãtur à Deo.*

CONTRAPO. CCLXXIII.

Eleemosina à morte liberat.
Statutum est hominibus semel mori.

Si tantæ virtutis fuisse eleemosinam iudicauerat Sapiens, vt illã faciens liber esset à morte, quomodo verum erit quod ex aduerso dicitur absque vlla exceptione? Idcirco & huic, quæ nil in se controuersiæ continere videtur, dicendum placuit, quòd aliter fit mentio in

Eccle. 12. *Hebr. 9.*

prima de morte,& aliter in ſequenti.Profectò de morte peccati,qua per eleemoſinam liber efficitur homo, prima eſt intelligenda. Ipſa enim eleemoſina purgat, lauat, & mundat animam ab omnibus peccatorum fœcibus, Saluatore atteſtante & dicente: Date eleemoſinam,& omnia munda ſunt vobis. Quam non admittit eſſe gratam Deo hominíque proficuam pernicioſus error Talmudiſtarum dicentium in libro Barthea, quòd
Lucæ 9. faciens eleemoſinam grauiter peccat,niſi ſit vir Iudæus. Licet de illa eleemoſina potiſsimùm ſit prima intelligenda, qua homo animæ ſuæ compatiens miſeretur & parcit,dum videlicet vitam ſuam à malis emendans dolet de culpis commiſſis,iuxta conſilium eius qui ait:Miſerere animæ tuæ placens Deo. Pariter & de illa elee-
Eccle. 30. moſina arbitramur dicendum,quam in proximum terminari nouimus,dum videlicet quiſpiam ſponte & hilariter donat proximo ſi quas contra ſe illatas habet querelas,ob amorem illius qui mortem ſubire voluit,vt vi-
Coloſ.3. tam nobis acquireret.Ipſe enim typum huius eleemoſi-
Lucæ 6. næ tradens nobis ait:Dimittite,& dimittetur vobis: date,& dabitur vobis. Quem fidelis tubicen imitatus ſcri-
Roma.1. bens Romanis ait:Si eſurierit inimicus tuus,ciba illum: ſi ſitit,potum da illi. Profectò nulla maior eleemoſina nulláque Deo gratior nulláve nobis vtilior quàm iſta, qua videlicet offenſa donatur in proximum, purgantur peccata,virtutes augētur, plenáve remiſsio condonatur. Quanquam & alia ſpernanda non ſit, nec excludenda, quæ in facultatum erogatione,ac pauperum releuatione
Lucæ 11. conſiſtit. De hac enim Pythagoricus ille Xiſtus locutus ait:Melius enim eſt nihil habere,quàm multa habere,& nemini impartiri.Nam pauperi ſubuenire,& ei impartiri de frugibus terræ,legis naturæ eſt. Decimam verò illi diſtribuere partem,cerimoniale eſt. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CCLXXIIII.

Eccle.7. N*On iteres verbum in tua oratione.*
Pſal.62. *Deus Deus meus,Dominus Dominus noſter.*

Si verbum

Si verbum non eſt iterandum in oratione (vti Sapiēs docuerat) cur non obſeruauit hanc formā Propheta regius qui plerunque dum orat ad Dominum, verbū iterat, dicens: Deus Deus meus, Domine Dominus noſter? cur pariter Chriſtus cū Apoſtolo ſine intermiſsione orādum mandarunt? Nam Chriſtus Apoſtolos alloquēs, ait: Oportet ſemper orare. Et huic pariter, quæ nullam in ſe prorſus continet contradictionem, dicendum placuit, quòd bene ſtat, vt aliquis ſine intermiſsione oret, & ꝙ verbum in ſua oratione non iteret. Vtique mētalis oratio, quæ in longū protenditur, verborū iteratione non indiget. Dum enim cor in Deum accenditur, verborum ſerie non eſt illi opus. Abſit enim ab huiuſmodi oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio, ſi feruens perſeueret intentio. Nam multum loqui, eſt in orando rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis. Multum autem precari eſt ad eum quem precamur, diuturna & pia cordis excitatione pulſare. Nam plerumque hoc negocium plus gemitibus, quàm ſermonibus perficitur, plus fletu, quàm affatu. Ponit enim Deus ob benignam ſuam pietatem lachrymas noſtras in conſpectu ſuo, & gemitus noſter tunc ab illo non eſt abſconditus. His præmiſsis placuit dicendum ad primam, quòd non inutiliter iteratur verbum, dum quouſque accendatur animus, quiſque verbū iterat in ſua oratione vocali, prout & de Propheta dicitur in altero. Nec quidquam, aut parum valet oratio vocalis, ſi à bono deſiderio fuerit aliena, quinpotius ſine fructu exiſtimabitur: & aliquando in peccatum illam conuerti nouimus, dum videlicet orantis fuerit intentio mala, vt in pſal. dicitur. Vtique de ſic ſine fructu orantibus, illud adagium dicitur: Si cor non orat, in vanum lingua laborat. Vtranque enim Chriſtus docuit, & faciendam præcepit. Vocalem quippe, dum Apoſtolos alloquens, ait: Cùm oraueritis, dicite, Pater noſter qui es in cœlis: ſed mentalem, dum in prænotato loco præmiſerat, dicēs: Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum. Et ſic patet quid dicendum.

1. Tim. 5. *Lucæ 18.* *Multum precari ad Deū quid ſit.* *Pſal. 55.* *Pſal. 35.* *Oratio vocalis quando vana.* *Lucæ. 11.* *Mat. 6.*

CONTRAPO. CCLXXV.

Eccle.12. Mat.5.

INimico tuo nunquam credideris.
Aduersario tuo esto consentiens.

Si inimico nunquam credendum est, cur in altera præcipimur consentire aduersario, qui & inter inimicos connumerari potest? Idcirco & huic arbitramur dicendum, quòd forsan pro aduersario hoc in loco conscientia nostra intelligi potest, quæ tũc aduersatrix nobis est, dum in operando illi obstamus recedentes à recto tramite, quam econtrariò pacatam & tranquillã nobis facimus, dum Deo per obedientiam, & fidem rectã adhæremus, proximo per patientiam, & pietatem condescendimus, nobis verò per mortificationem sensuum, & custodiam cordis, & linguæ. An forsan de aduersario proximo intelligitur litera, cui & ante solis occasum reconciliari præcipimur? & si quam contra illũ habemus querelam, sponte & hilariter donantes? Secus autem facientes, ac ex hoc mundo in proximi odium migrantes, non est nobis speranda salus? Vel adhuc dicamus, quòd forsan de aduersatrice lege sit in proposito mẽtio, quę pariter tunc nobis offertur aduersa, dum malè agimus, cui ex aduerso consentire dicimur, dum in illa recto calle incedimus non declinantes ad dexteram neque ad sinistram. Licet hoc in loco Origenem imitantes possemus dicere, quòd per aduersariũ diabolus intelligendus sit, qui nobis aduersarius dicitur ab exordio mundi, cui & consentire vtiliter dicimur, dum illi relinquimus quę sui iuris esse agnoscimus, videlicet voluptates, ambitiones, carnalia desideria, ac vitia omnia: quorum tanquam immundus spiritus habet imperium & dominium. Idcirco hunc sensum secutus Paulus, Deum huius mundi cũ appellauerat, suum in hoc imitatus præceptorem, qui principem huius mundi eum esse dixerat. Ob quod quotiens in his oblectamur, quibus in baptismatis lauacro abrenuntiauimus, sponte damus huic aduersario iustam causam querimoniæ contra nos coram iusto iudice. Idcirco ne contra nos veluti canis rabidus ac rugiens leo insurgat notétque de latrocinio & rapina, re-

Conscientia quando nobis aduersatrix dicitur.

Conscientia quando ĩ nobis trãquilla.

Quę diabolo sunt relinquenda.

Ephes.6.

Ioan.12.

Diabolus quãdo cõtra nos insurgit.

1.Petr.5.

linquamus illi, quæ sui iuris esse nouimus. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CCLXXVI.

Beatus, vir qui non est compunctus tristitia, ait sapi Eccl.14.
Tristes & lugentes esse admonemur, alibi. Iac. 4.

Si lugere & tristari cōtinuè debemus, vt monuit Iacobus, cur commendatur in altera, qui non est compunctus tristitia? Idcirco & huic pariter sic dicendum placuit, duplicem esse tristitiam agnoscentes. Aliam videlicet qua dolere & tristari debemus de culpis, dum conscientiam oneratam & grauatam nouimus illis, dicentes cum publicano: Deus esto propitius mihi peccatori. *Luc.18.* Scientes esse scriptum voce Domini: Si fuerint peccata *Esa.1.* vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Edocti nihilominus ab illo, qui per singulas noctes lectum *Psal.6.* suæ conscientię lauabat lachrymis, idcirco tanquam humilis ac supplex Deum audiens poterat confidenter dicere: Dixi aduersum me iustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Nec licet hominem hanc mortalem vitam degentem hac carere iustitia: vel enim ipse peccauit, & per tristitiam compunctus abluit peccatū, vel cū fratre lapso doluit. Et hic quoque non exiguam habet mercedem. In calamitatibus enim cum proximo multā nobis apud Deū fiduciam prębet. Quod & ille nouerat, qui vnūquemque hortatus dixerat: Flete cū flentibus. De hac enim Chryso. locutus ait: O magnum donum, quod enim tristitia dat in pœnam, hoc in salutem vertit. Peccatum quidem tristitiā peperit, sed tristitia postea peccatū interemit. Sed de illa tristitia fit mētio in prima, qua dum quis diuina in se operante clementia, peccatis se mundatum agnouerit, gaudens & lætus dicit cum Paulo: Nihil mihi conscius sum. *Psal. 37.* Vel si placet dicamus ad hanc, quòd de illa tristitia fit *Tristitia* mentio in altera, qua homo suum incolatum deplo- *vtilis.* rans tristatur & luget, cupiens hanc deponere sarcinam, & supercœlestē indui. Idcirco clamans & gemens dicit *Psal. 119.*

cũ Propheta regio: Heu mihi, quia incolatus meus prolõgatus est. Et sic patet quid dicendũ fuerat ad præmissa.

CONTRAPO. CCLXXVII.

1. Cor. 4. Eccl. 21. *ANimas interficientes aliqui.*
Animam non possunt occidere.

Si Saluatore attestãte, anima non subiicitur interfectioni, cur de quibusdam illam interficientibus fit locutio in altera? Et huic, quæ nil controuersiæ in se continet, placuit dicendum, primam non esse realem, sed metaphoricam sententiam. *Mat. 10.* Profectò de dentibus animam proximi lanientibus ipsam nouimus esse intelligendã. *Dentes animam interficiẽtes.* Hi enim vnà cum labiis iniquis & lingua dolosa consilium inierunt, vt fraude & dolo laniantes animam iusti, illámque sauciãtes, interficerẽt. Hũc enim sic maleuolũ, videlicet labiis, lingua, & dentibus persequebatur Propheta regius. *Psal. 100* Idcirco in psal. dixerat: detrahentẽ proximo suo hunc persequebar. Sed & animã suam eripi cupiẽs ab huiusmodi interfectoribus dixerat alibi ad Deũ conuersus: *Psal. 118.* O Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa. Pariter & de prænotatis dentibus animam interficientibus sermonem faciens, dixit in alio psal. *Psal. 57.* Conterat Dominus dentes eorum, detrahentium supple proximum suũ. Qui dẽtes nisi diuino malleo contriti fuerint, proculdubio stridebunt in alio sæculo præ nimio cruciatu, iuxta illud: *Luc. 13.* Ibi erit fletus, & stridor dentium. Sed altera ita in se clarũ sensum continet, vt explanatione non indigeat. *Luc. 12.* Nam ipsa anima cùm sit immortalis cædi hominum non est subiicienda, nec minus illam occidere valet tyrannus. *Anima cui morti subiicia-tur.* Quanquam si lethali vulnere seipsam percusserit, illam æternalem mortem non sit euasura, quam & mortem secundam appellauit Ioannes, quæ mors gehennæ dicitur in Euangelio. *Mat. 10.* Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CCLXXVIII.

Eccl. 44. Rom. 8. *ENoch manens in carne placuit Deo.*
Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.

Si Enoch(vti Scriptura refert)ante quã raptus esset, Deo placuerat, cur ex aduerso Apostolus hoc non esse posibile iudicauit? Idcirco & huic sic nouimus dicendum, quòd sententia Pauli non sic est intelligenda, vt sonat litera, vt videlicet eius sit sensus, quòd hanc carnem inhabitantes Deo placere nequeant: quia si talis esset intellectus eius, nec Abraham placuisset Deo, quem Scriptura sic commendatum facit, vt eum iustificatum cõmemoret, dum in carne maneret. Et sic pariter de plerisque dicere possumus, qui in mandatis Dei incedẽtes placuerunt illi. Sed de illis litera est intelligenda, qui econtrariò brutalem & bellualem vitam imitãtes, carnalia desideria secuti sunt. Quibus Apostolica vox minatur, dicens: Si secundũ carnem vixeritis, moriemini. Hi enim cùm sint carnali vlcere sauciati, Deo odibiles efficiũtur, ob quod & illi placere nõ possunt. De quorum numero non fuit Enoch, sed ecõuerso ambulans, videlicet secundum spiritum. Idcirco quia in terris viuens vitam cœlestem duxerat, rapuit illum DEUS, & amplius non est visus in terris. Vel si placet dicamus ad illam Pauli, quòd de degentibus sub lege carnis, litera est intelligenda, qui sine fine perfecta placere nequibant. Non enim ex lege (vt Paulus aperuit) poterat esse iustitia, quinpotius si qui talium iustificari referuntur, hoc sunt consecuti ex fide Christi venturi. Et sic patet quid dicendum fuerat.

Gene. 5. *Luc. 3.* *Rom. 8* *Eccl. 44* *Rom. 8.*

CONTRAPO. CCLXXIX.

Fides in sæculum stare dicitur. Eccl. 40.
Charitas sola non excidit. 1. Cor. 13.

Si soli charitati priuilegialiter concessum est, vt viatorem in patria socians, illic cum illa perpetuò maneat, cur Sapiens hoc donum pariter tribuendum fidei nouerat, quæ & in sæculum stare dicitur? Quibus sic respondendum placuit, dicentes, quòd aliquid stare dupliciter potest intelligi, videlicet, vel in se, vel in aliud permutatum. Vtique primo modo charitas standa est perpetuè: ipsa enim aucta, & ad perfectum deducta, permansura est in patria cum viatore, iuxta illud Pauli dicẽtis: Cùm

Aliquid stare dupliciter intelligitur. 1. Cor. 13.

venerit quod perfectũ est,&c. Sed nec fides, nec minus alia virtus Theologalis eo munere dotanda est, vt in se ibidem permaneat, licet dum in tẽtione fuerit cõmutata, quam ipsi fidei succedere nullatenus Theologi hæsitant. Nec his litera Pauli obstat, qua dixerat, cessandum esse omne, quod est ex parte, vt putetur, ꝙ fides vnà cũ spe taliter cessent, vt nihil omnino sint, sed potius, quòd permutatę in aliud permaneant pariter. Sit ergo primæ sensus, ꝙ fides stabit in sæculum, nõ in se, sed in tentione permutata: dico non in se, quia cùm ibi fuerimus,

1.Ioan. 3. videbimus Deum in quem credebamus & sperabamus dum essemus in carne, illis non indigebimus, sicuti modo dum viatores sumus, sine quibus minimè illi placere possemus, cùm altera, vt Paulus docuerat, sit solidum & stabile fundamentum totius nostri spiritualis ædificij, sine qua vanum esset nostrum operari. Quinpotius nisi fides præcedat in opere, vita bona sequi non poterit. Nam fides impetrat, quod lex imperat. Et sic patet quid dicendum fuerat.

Heb. 6.
Hebr. 11.

CONTRAPO. CCLXXX.

Esa. 58. CLama ne cesses, dixerat Deus Esaiæ.
Ephe. 4. Clamor, vt omnino tollatur Paulus præcipit.

Si iussu Dei Prophetæ mandatur, vt clamet, cur omnem clamorem tolli ex aduerso præceperat Paulus, in cuius pectore loquebatur Christus? Huic quoque dicendum arbitramur, quòd vtrunque loco, & tempore à nobis agendum est, cùm opportunitas videlicet se offert. Profectò clamor ille omnino tollendus est à fidelibus, qui ex bullienti ira procedens, spiritus vnionem perturbat: hic cùm sit carnalis, terrenus, & diabolicus nullatenus permittendus est esse nobiscum, sed à fidelium finibus expellendus est, tanquam perniciosus, cùm non aliud pro obiecto habeat nisi vltionem & vindictam in proximum. Sed alius, qui ex zelo Dei prouenit contra obstinatos & impios nullatenus tollendus est, sed econtrariò cum omni imperio exercendus. Et de isto sic salubri fit in prima locutio, pertinente nõ solùm ad prȩlatos

Clamor tollendus.

Clamor laudabilis

contra ſubditos delinquentes, ſed pariter ad conciona-
tores populum increpantes præuaricãtem, vt à vitiis re-
ſipiſcentes conuertantur ad dominũ. Sic enim nouimus *1. Tim. 4.*
Paulũ dediſſe præceptum illi, cui dixerat: Argue, increpa
in omni patientia. Eſt & alius clamor in Deum tendens,
dum videlicet quis de peccatis contritus ex intimis cor-
dis penetralibus clamat inceſſanter ad Deum, pro obti-
tinenda venia, ſicuti edocemur ab illo qui ex gemebũdo *Pſal. 129*
pectore clamans aiebat conuerſus ad Deum: De profun-
dis clamaui ad te domine. Et ſic ex præmiſsis patet qua-
lis clamor tollendus ſit, & qualis ſit admittendus.

CONTRAPO. CCLXXXI.

Ezechias rex cor perfectum habuit. *Eſa. 38.*
Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile. *Hiere. 17*

Si prauum eſſe dicitur cor hominis, vnde hauſerat
Ezechias cor perfectum, quo coram Deo ambulaſſe di-
citur? Et huic pariter arbitramur dicendum, ponẽtes pri- *Cordium differentia.*
mò quid interſit inter cor prauũ habere, & cor perfectũ.
Quiſquis enim hominum quicquid patitur præter volũ-
tatem propriam, afflictiones, merores, labores, humi- *Cor prauum quis habeat.*
liationes, non tribuit niſi voluntati Dei, iuſtè ipſe rectus
dicitur eſſe corde. Secus autem dicitur de illo, qui & cor
prauum habere dicitur, dum quæ patitur mala, iniquè & *Iob 17.*
iniuſtè ſe pati illa dicit, & conqueſtus de Deo dicit: Non *Eſa. 38.*
peccaui, & in amaritudine moratur oculus meus. Hoc *Ezechias quomodo cor perfectum habuit.*
cor non habuit Ezechias, ſed perfectum obtinuerat ab
illo qui nouit cor mũdum creare in homine. Nam quia
talis rex optimè ſe habuerat in regno, idcirco hoc cor
perfectum poſsidere meruit, vt non ſolùm bonum feciſ-
ſe referatur coram Deo, iuxta omnia quæ fecerat Dauid
pater eius, ſed eo magis de illo dicitur, quòd poſt eum
non fuit ſimilis de cũctis regibus Iuda, ſed neque in his
qui præceſſerant eum in regno. Idcirco non miremur ſi *4. Re. 18*
tali corde perfecto fuerit priuilegiatus à domino, qui
illud confert bene ſe gerentibus coram ſe. Nec primæ
obſtat ſequens, quia & illa in ſe vera eſt. Vtique contem
platus homo, vt ex Adæ congerie formatus eſt, prauum *Hiere. 17*

Luc.2. cor habere dicitur, quod vt rectum fiat & optimum, fide præcedente paratur à domino, qua acceditur ad Deum directum, vt cor fiat rectum. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CCLXXXII.

Esa.19. *Dominus mittet Aegyptiis saluatorem.*
Ibidem. *Dominus percutiet Aegyptios plaga magna.*

Quomodo enim plaga magna fuerāt percutiendi illi, quibus Deus promiserat Saluatorem mittere? Quibus dicendum placuit, quòd hæc domini percussio non perdentis, sed miserantis dicenda est. Parcit enim Deus
Iob 12. illis, quos ita decreuit percutere; vt sic salubriter percus-
Heb. 12. sos, curatos & sanatos reddat ab vlcerum atrocitate, iuxta illud Pauli: Flagellat enim Deus omnem filium quem recipit, qui nisi sic flagellaretur minimè curaretur. Vtiq; plaga tumens, & plena sanie nisi pungatur stimulo, mortifera efficitur & insanabilis. Percussus enim fuit Paulus
Act. 9. cæcitate, vt vulnus infidelitatis eius sanaretur. Quanquā non omnes qui sic percutiuntur sanitati reddātur, quinpotius multi sic percussi peruersiores plerunque efficiuntur. De quorum numero fuerant illi, de quibus Pro-
Hiere. 5. pheta locutus dixerat, quòd percussi non doluerunt. Per-
Gene. 4. cusus enim fuit Cain à domino propter fratricidium,
Hiere. 5. sed non sanitati redditus. Percussus Pharao, sed non sanatus. Percussi Babylonij, sed non curati. Idcirco dolentes Angeli & recedentes à prouincia dixerunt: Curauimus Babylonem, & non est sanata. Percussi pariter fue-
Esa. 1. rant illi, de quibus conquestus dominus ait: Quo percutiam vos vltrà addentes præuaricationem? Omne caput languidum, &c. Sic ergo premissis intellectis, nulla in eis cernitur contradictio.

CONTRAPO. CCLXXXIII.

Esa. 11. *Scientia Dei terram fuisse repletam legimus.*
Osee 4. *Scientiam Dei in terra non fuisse, alibi.*

Si scientia Dei plenam fuisse terram Esaias præuiderat, cur alter qui eo tempore pariter fuerat vaticinatus,

vacuam esse terram scientia domini dixerat? Idcirco & huic, quæ nil prorsus contradictionis videtur in se continere dicendum nouimus, alterum de illo tempore, alterum verò de tempore gratiæ fuisse locutum contemplantes. Profectò Esaias tempus Christi prænuntians, quo aperienda erant, quæ sub legis cortice tenebantur abscondita, illud dixit, ponens præteritum pro futuro, in quo Christo reserante, ea quæ sub tenebrarum caligine, ac errorum culturis occultabantur, luce clariora apparuerunt. Vtique licet diuina dispensatione per tot annorum spatia, ignorantia Dei increuerit super mortales, vt Deo ignoto tot idolatriæ cultus introducti fuerint, & perdurauerint per multorum temporũ curricula, tamen aduentãte tẽpore præfinito à patre luminum, expulsa iã caligine, in luce deambulauimus, salutis scientia ad plenum nobis elargita, quã & filius Dei detulit de cœlis, vt pater præcursoris cecinerat in cantico. Qua edocti sancti Apostoli, tot & tanta arcana à Christo suscepta, in suis reliquerunt libris. Hanc pariter scientiam edocti Emaus oppidum contendentes dixerunt adinuicem: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret scripturas? Alter verò priori non fuit oppositus dicens scientiam hanc non fuisse in terra. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

Iac.1. *Luc.1.* *Luc.24.*

CONTRAPO. CCLXXXIIII.

V*Ae mihi, quia tacui.* *Esa.9.*
Bonum est præstolari cum silentio. *Tren.3.*

Si pręstolari cum silentio nouerat esse laudabile & bonum prænotatus Vates, cur de sua taciturnitate sic tristabatur alter? Et huic pariter nouimus dicendum, ꝙ forsan primum indictum alteri, tanquam præconi, non fuerat executus, sicuti sibi mãdatũ fuerat à domino. Vtique dixerat illi Deus: Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, &c. Idcirco dolens & tristis nimis effectus est. Decet enim hominem, cui ex officio incumbit arguere ac increpare delinquentes, vt castigationibus huiusmodi emen-

Esa.58. *Increpare quando debemus.*

dati resipiscant à malis. Quare hanc corripiendi forma tradiderat Paulus discipulo, cui dixit: Argue, increpa in omni patientia & doctrina. Tacere verò homini conuenit, quando loqui laudabile non est. Sicuti documento reliquerat Sapiens, dum ait: Sapiens tacebit vsque ad tempus. Profectò de huiusmodi laudabili & honesto silentio Augustinus locutus aliquando ait: Lingua tua sensum tuum sequatur & rationem, sed non voluntatem: Innuens his verbis, quòd non tantùm debemus oculos clausos seruare, sed & linguam infra dentes reseruare illæsam. Sermo enim vanus, vanæ conscientiæ index est. Qualis enim es, tales sermones loqueris, talis & mens comprobatur esse. Quanquam laudabile & vtile sit homini, dum peccatis se inuolutum nouerit, in hoc intraneum silentium irrumpentē clamare ad Deum pro obtinenda venia, ne tacendo robur virilitatis debilitatum ac inueteratum languescat in se, sicuti & illi euenerat, qui de se ipso locutus, ait in psal. Quoniam tacui, iueterauerunt ossa mea. Profectò hoc in loco per ossa huiusmodi, robur hominis placuit intelligi. Et sic seruantur præmissa absque contradictione.

2. Tim. 4 — *Tacere quādo cōueniat.* — *Prou. 11.* — *Silentiū vtile.* — Psal. 129 — Psal. 31.

CONTRAPO. CCLXXXV.

Dirigite viam Domini.
Omnes vias hominis dirigam.

Si vias hominis Deus se dirigere spondet, cur alter præceperat, vt hæ viæ dirigerentur ab homine, tanquam si in hominis facultate esset has dirigere vias? Quibus respondendum nouimus dicentes, quòd licet domini sit, gressus hominis dirigere, vt recto calle incedat, tamen potissimùm illius hominis vias dirigit, qui suo nutui se committit. Quod & experimento didicerat ille, qui de huiusmodi homine sic composito locutus, ait in psal. Apud dominum gressus hominis dirigentur, qui & hoc donum consecutus dixerat alibi: Dominus direxit gressus meos. Licet hominis secundum carnem viuētis, & qui ab huiusmodi diuina voluntate se subtraxerit, iter nō dirigat Deus, dum illum perseueraturum in ma-

Esa. 45. — *Hier. 18.* — *Viæ quas Dominus dirigit.* — Psal. 36. — *Psal. 39.*

lis præuiderit, ſuam vitam emendare non curans. Tali enim mandatur in primo, vt auertens ſe à viis ſuis peſsimis, illam domini omnino dirigat, quod & nullo ſalubriori modo fieri nouimus, quam per lachrymarũ effuſionem, dum quis ad Deum toto corde conuerſus dicit cum rege illo: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Sic enim & Deum promereri nouimus. Idcirco, vt viam tenebrarum (& quæ ducit ad mortẽ) relinquamus, hortatur nos Deus, dicens ore prophetico. Conuertimini à viis veſtris peſsimis. Et iterum: Cõuertimini qui in profundum receſſeratis. Et ſic liquidò patet quæ ſint viæ, quæ diriguntur à domino, & quæ ab homine dirigendæ mandantur.

Eſa.38.
Eſa.1.
Ezec. 33.
Eſa.31.

CONTRAPO. CCLXXXVI.

Eſa.19.
Ezec. 24.

R*Euertentur ad Dominum, & placabitur eis.*
Non parcam, nec placabor, dicit alibi.

Si Vates loquens de Aegyptiis ad dominum reuertentibus, denuntiauerat illum placandum, cur de eiſdem alter locutus dixit oppoſitum? Nónne de illo ſcriptum eſt, quòd omnibus miſericors eſt, parcens in millibus? Et huic, quæ nullam prorſus ſapit contradictionem placuit dicendum, quòd non de Aegyptiis altera eſt intelligenda, ſed de rege Babylonis, qui diuinæ clementiæ taliter peruerſe ſe oppoſuerat, vt nullatenus locus veniæ pro ſe relictus fuerit in theſauris Dei. Nam hũc Deus mundare decreuerat à ſua fæce, ſed ipſe infœlix mundari renuit, vt ſic de illo diceret Deus: Quia mundare te volui, & non es mundatus à ſordibus tuis, ſed nec mundaberis amplius, donec quieſcere faciam indignationem meam in te: poſtea ſubiungitur: Nec parcam, nec placabor. Pariter & de angelis, qui ad curandam prænotatam prouinciam Babyloniæ miſſi fuerant, dicitur, ꝙ reuertentes vacui, & ſuper flumina ſedentes, & flentes aiebãt: Curauimus Babylonem, & nõ eſt ſanata. Euenit enim (permittente Deo) vt dũ quis pluries fuerit viſitatus correctionibus, & flagellis, & emendari renuerit à ſuis delictis, taliter impœnitẽs efficiatur, vt amplius curari non poſsit,

Ibidem.
Hiere. 51

sic iacens in sterquilinio. Sicuti & illis meritò euenit, quibus diuina comminatio facta fuit, dicens: Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Et alibi: Vocaui & renuistis. Non enim sic pertinacibus parcit Deus, nec miseretur, cùm nõ inueniat in talibus locum veniæ, vnde posit requiescere pes suæ clementiæ, quæ quantum in se fuit, illos curare decreuerat ab vlceribus, sed ponentes obicem, insanabiles effecti fuerũt, quibus imputandum est, & non Deo. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

Mat.23. *Prou.1.* *Gene.8.*

CONTRAPO. CCLXXXVII.

Esa.30. *Ioan.15.*

Filij desertores fecerunt consilium absque Deo.
Sine me nihil potestis facere, alibi.

Si sine Deo nihil agitur ab homine, quo fauore consilium fecerunt filij desertores? De his enim conquestus est Deus in primo voce Prophetica. Idcirco & huic, quæ nil sapit in se controuersiæ, placuit dicendum, alteram intelligentes de fructu boni operis, quem nullatenus absque Deo facere possumus (vti Paulus nouit) sed quia homo ex facultate sui liberi arbitrij habet vnde posit transire ad opus siue non transire, idcirco non implicat contradictionem, vt filij desertores cõsilium facere elegerint sine Deo. Quanquam non sine eius permisione, sine qua nihil facere potuissent, vt aliâs diffusius explanauimus. Porrò enim voluntas mala potestatem accipit implere quod intendit, ex iudicio Dei euenit, apud quem nulla iniquitas esse potest. Punit etiam isto modo, nec ideo iniustè, quia occultè. Et hoc est quod designauit Apostolus, dum de quibusdam sic dimisis in sua facultate locutus, ait: Idcirco tradidit illos Deus in sensum reprobum, & in concupiscentias cordis illorum, vt faciant quæ non conueniunt. Ex quibus verbis colligimus malos tunc accipere potestatem ad damnationem, dum in sua mala relinquuntur voluntate. Boni verò suffragantur, vt bonum opus, quod non absque Deo cœperunt, fructuose perficiant. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

Ioan.1. *Rom.7.* *Rom.3.* *Rom.1.*

Maliquã do suo arbitrio relinquuntur.

CONTRAPO. CCLXXXVIII.

SAluat Dominus populum suum.
Derelinquit Dominus populum suum. *Esa.49.* *Ibidem.*

Quomodo derelictus dicitur populus, quē Dominus saluare dicitur? Vtique si saluat, non derelinquit: & econtra, si derelinquit non saluat. Huic itidem dicendum nouimus, quòd Deus absque vlla sui mutatione, & saluat, & derelinquit: quem enim in malis perseuerantem fore cernerit, hunc tanquam non idoneum ad operandum bonum, suæ malæ derelinquit voluntati, vt sic peccatis addens peccata, consumatur in sua malitia, iuxta illud: Consumetur nequitia peccatorum, vt sic deducta in periodo æternis cruciatibus puniatur. *Psal.7.* De quibus sic impœnitentibus locutus Ioannes in Apocalypsi ait: *Apo.12.* Qui nocet, noceat adhuc. Nam sicuti figulus argillam de manibus proiicit non idoneam, vt construatur ex ea vas, quousq; madefacta melius disponatur, sic facit Deus plerunque de peccatore homine, quem non idoneū fore videt, vt vas efficiatur Spiritus sancti: proiicit enim eum à se, quousque lachrymis, & gemitibus, sui cordis argillam disponat & madefaciat, vt vas in honorem efficiatur. *Deus quādo proiiciat à se hominem.* Quod si facere respuerit, vt sit vas in contumeliam derelinquit. *2.Tim. 2.* Idcirco Vates regius ne de his vasis contumeliæ esset, tristis & dolens effectus post adulterium, per singulas noctes fundebat lachrymas, vt sic madefactus mereretur fieri rursus vas in honorem. *Psal.6.* Ob quod cor mundum in se creari petiit. Hos enim sic dispositos, ac à sordibus emendatos saluat Dominus, qui cor contritum & humiliatum nescit despicere. *Psal.50.* Quos verò imparatos nouerit, hos in sua mala voluntate derelinquit, vt crucientur in semetipsis, quousque mercedem quam oportet sui erroris reportent. *Dominus quos saluat.* Et sic patet quid fuerat dicendum. *Rom. 1.*

CONTRAPO. CCLXXXIX.

SPiritum sanctum super Esaiam descendisse legimus.
Spiritus sanctus nondum datus erat credentibus. *Esa.6.*

Si Ioannis tempore nondū Spiritus sanctus datus *Ioan.7.*

erat credentibus, quomodo super Esaiã descendisse præmittitur? Idcirco & huic, quæ nil contradictionis sapit in se, dicendum placuit, quòd per illam Ioannis sententiam non excluditur, quòd vsque ad illud tempus spiritus iste non fuerit datus credentibus. Sed litera sic est intelligẽda, vt eius talis sit sensus, quòd Spiritus sanctus non fuerit datus in illa abundantia, vel in illa forma qua datus fuit in die sancto Penthecostes, quãdo in linguis igneis super illos descendit. Qui taliter corda illorum repleuisse dicitur, vt ex omni genere linguarum expeditè loquerentur. Nec decebat illos sic ad plenum repleri isto diuino flamine, quoad vsque cœlos scanderet ille, qui eundem spiritum se missurum promiserat, vt postmodũ diceret Apostolus, Romanos alloquens: Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Profectò Apostoli tanquam præcipua membra istius mystici corporis prius repleri debebant isto diuino flamine, vt postmodũ aliis impartirent abundé. Qui minimè illũ recepissent, nisi personaliter Christus tolleretur ab eis. Idcirco ipse dixerat: Nisi ergo abiero, Spiritus sanctus non veniet ad vos. Nam (vti Cabalistæ fideles attestantur) solus Christus illum quinquagesimum gradum ascendit, vnde magnus Iobeleus descẽdit, quem attingere non valuit Moses, licet quadragesimum nonum ascenderit. Idcirco nunquam fuit ausus liquidò promittere beatitudinem, sed terram illam duntaxat desiderabilem lacte & melle manantẽ. Sed Christus qui super omnes cœlos eleuari debebat, terram illam, quæ omnium viuentiũ mater dicitur, suis promisit fidelibus: ipse enim solus propria virtute illum gradum quinquagesimum ascendere valuit. Idcirco non in enygmate, nec sub figuris velatam, sed palàm, vitam æternam se sequentibus promisit, dicens: Et ego vitam ęternam do eis. Idcirco mater Ecclesia sacro dictante flamine hoc sacramentum tangens, huncq; clauiculariũ supepliciter alloquens, ait: O clauis Dauid, qui aperis, & nemo claudit, claudis & nemo aperit. Profectò ipse idcirco aperuit, vt patens esset aditus regnum Dei ingredi

Acto.2. *1.Ioan.2.* *Rom.5.* *Apostoli fuerunt membra præcipua Christi.* *Ioan.16.* *Cabalistæ* *Moses nũquã promisit beatitudinẽ.* *Leui.20.* *Ioan.20.*

volentibus. Quod mysterium tangens Apostolus, ac loquens de Christo ait: Per quem habemus accessum in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriȩ Dei. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa. *Rom.5.*

CONTRAPO. CCXC.

Tollatur impius ne videat claritatem Dei.
Videbunt impij, in quem pupugerunt.

Si impij visuri sunt illum, in quē pupugerunt viuentes, cur econuersò voce Prophetica nouimus interdictum, ne videlicet videant claritatem Dei? Et hanc, quam aliâs explanauimus, nihilominus sic modò illam enodandam nouimus dicentes, quòd aliter iusti visuri sunt Christum in iudicio, & aliter impij. Vtique iusti videbunt eum, tam in natura diuinitatis, quàm humanitatis, quia quem incarnatum crediderant verū Deum esse, cum postmodum in sua claritate in iudicio cernēt. Mali verò nequaquam illum valebunt respicere in forma diuinitatis: & hoc duplici ratione: Primò propter defectum dispositionis in ipso vidente, quia natura sine gratia non sufficit ad visionem Dei. Secundò propter defectum delectationis, quæ est in visione diuinitatis, quia videre Dominum (vti Ioannes sentit) vita ȩterna est, quȩ nullatenus potest communicari reprobis. Et ad hoc propositum currit Prophetæ sensus. Non enim decet, vt impij Christum videant in iudicio, nisi in ea forma hominis, quam assumpserat, quam ipsi malè viuentes despexerant. Ad quem sensum pariter locutus est Euangelista, qui ait: Videbunt in quem confixerunt. Quæ visio sic tremebunda & terribilis erit illis, vt in illum sic turbatum & iratum nequeant aspicere præ tremore, sed suas ab illo obliquabunt facies. Profectò & si populi Israëlitici pati nequiuerant præsentiam Dei loquentis, & dantis legem fœderis, sed tremefacti dixerunt Mosi: Loquere tu nobis, ne fortè moriamur: quomodo non minus poterunt respicere impij in eum, quem sic contra se iratum videbunt, propter transgressionem fœderis? Nec hoc absonū iudicetur, videlicet, quòd idem vul-

Esa.26. Apo.1.

Iusti & impij quo modo visuri sunt Deum.

Ioan.3.

Zach. 12. & Ioan.

Impij pauidi in iudicio.

Exo. 20.

tus iudicis, aliis quidem terrificus & tremebundus, aliis verò hilaris, blandus, & iocundus appareat, quia hæc mutatio vultus non penes ipsum, sed penes videntes attendenda est, sic aliter & aliter se habentes, vti de eadem virtute solis iudicium est varios in passis producente effectus. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CCXCI.

Esa.6. *VIdi Dominum sedentem in sede altissima.*
1.Tim.1. *Regi sæculorum inuisibili, &c. alibi.*
Quomodo Vates potuerat videre Dominum, si Paulus dixerat eum esse inuisibilem? Ioãnes etiã de Deo locutus ait: Deum nemo vidit vnquam. Idcirco & huic sic dicendum placuit, plura genera visionum in Scripturis contemplantes. Profectò vnum secundum oculos corporeos, & sic vidit Abraham tres viros, dum sub ilice mambre sederet in ostio tabernaculi. Pariter & Moses ignem viderat in rubo, & discipuli tres transfiguratum Dominum in monte Thabor, & sic multi alij. Alterum verò genus est, dum imaginamur ea, quæ per corpus sentimus. Nam & pars ipsa nostra cùm diuinitus assumitur multa ei reuelantur, non per oculos corporis, aut per aures, neque per alium sensum carnalem, sed tantùm per quædam his similia. Et sic vidit Petrus discum illum submitti de cœlo plenum variis animalibus. Sic etiam credimus Esaiam Dominum vidisse. Non enim Deus corporea forma circuncernitur, sed quodammodo figuratè. Tertium verò visionis genus est secundum mentis intuitum, quo intellecta cõspiciuntur veritas, atque sapientia, sine quo genere, illa duo prius posita, vel infructuosa sunt, vel etiam in errorẽ mittũt. Cùm enim ea quæ suis corporeis sensibus, siue illi parti animæ quæ corporalium rerum imagines capit diuinitus demonstratur, non solùm sentiuntur his modis, sed etiam mente intelliguntur, tunc est perfecta reuelatio. Et hoc tertio modo dicitur illa visio, quam commemorauit Apostolus, dum ait: Inuisibilia Dei à constitutione mundi per ea quæ facta sunt intellecta cõspiciuntur. Hac enim

(Margin: Gene.19. Exod.3. Mat.17. Act.10. Rom.1.)

visione videtũr Deus cùm per pietatem fidei, & per agnitionem Dei, morum optimorum corda mũdantur, quibus non inuisibilis, sed visibilis dicitur Deus, prout huic statui congruit quousque ad illam claram & apertam visionem perueniant, quando videlicet illum videbunt absque velamine, & sicuti est. Et sic patet quid dicendum. *Deus quibus visibilis dicatur.*

CONTRAPO. CCXCII.

GLoriam meam alteri non dabo. *Esa. 42.*
Gloria Domini nobis reuelanda. *Rom. 8.*

Si gloria Dei taliter sua esse dicitur, vt alteri minimè danda sit, solus Deus in cœlis erit. Quam ergo gloriam Paulus expectabat fidelibus aliquando esse reuelandam? Et huic, quæ nonnihil contradictionis in se videtur includere, dicendum placuit, primam esse intelligendam de illa celsitudinis sede, quæ nullatenus creaturis danda est, cùm soli isti sanctissimæ ac indiuiduæ Trinitati conueniat. Nam si creaturis conferenda esset: iam non esset solus Deus omnipotens. Sed de illa gloria sentit Apostolus quam beati Spiritus vnà cum animabus sanctis hauriunt ex illa suprema, quam & Apostolus expectabat se aliquando consecutum esse ex Dei benignitate. Hanc quippe licet Deus ex se & per se habeat, tamen ex sua nimia bonitate & clementia creaturam facit participem, cùm non dedignetur hanc gloriã & beatitudinem suis seruis conferre fidelibus, quinpotius tanquam pius pater quos in filios adoptari placuit, eiusdem gloriæ hæredes fieri statuit. Quos vt diuinæ naturę consortes faceret, suam dignatus est imaginem impartiri. Profectò gloria hæc, quam, vt præmisimus, futuram expectamus, erit æquari angelis & Deum videre, quam & aliter assequi non valemus nisi illam gloriam fugiamus humanam, quæ huic diametraliter opposita est. Nam qui istam quæsierit, illam diuinam proculdubio perdet, cuius amissio amarior esse iudicatur quàm gehẽnę supplicium, vti Chrysostomi verbis vtar. Et sic patet quid dicendum.

Deus ex se glorificatur.

Gloria quam speramus.

Gloriæ amissio qu[illegible]ta.

CONTRAPO. CCXCIII.

Hiere.4. DEum prouocatum ad iracundiam legimus.
Hier.20. Iracundiam longè esse à Deo,infrà dicitur.

Quomodo ad iracundiã prouocatus dicitur ille in quo nulla pasſio poteſt cadere? Idcirco & huic ſic dicendum nouimus, quòd licet in Deo nulla ſit ira, quo ad affectum, ineſt tamen illi quo ad effectum, dum videlicet peccatorem punit,cùm aliud nõ ſit ira Dei quàm rigor ſuæ iuſtitiæ,qua aliquando peccatorem lædit temporaliter puniendo, vel æternaliter damnando. Idcirco ira in eo non ſignat animi motum,ſed tantummodo executionem ſuæ iuſtitiæ. Nam ſicut aqua pura & limpida ac fæcibus impermixta licet quandoque moueatur, nunquam tamen propter hoc turbatur, ſic Deus quanuis aliquando videatur motus iracundia, vel vindicta propter ſeueritatem iuſtitiæ quam exercet, nunquam tamen realiter iraſcitur vel turbatur,ſed in tranquillitate perpetua eſt immobiliter. Et ideo quidam iram Dei ſic diffiniens,ait:Ira Dei, eſt tranquilli iuſtique ſupplicij conſtitutio.Idcirco in ſacris codicibus vbicunque inuenitur mentionem fieri de membris Dei,ſiue de animæ motibus, videlicet ira, furore, obliuione, pœnitentia,& recordatione, non carnaliter iuxta hiſtoriam, ſed ſpiritualiter & myſticè intelligenda ſunt. Inde calũniandus eſt error pernicioſus quorundam inſipientium Talmudiſtarum aſſerentium in libro Senedrin, diuinitatem pati dum homo triſtatur.Ob quod ſtante præmiſſa declaratione placuit dicendum,quòd Deus cogitur aliquando,ſi fas eſt dicere, noſtris exigentibus demeritis gladium euaginare ſuæ vindictæ.Quanquam ſic iratus memor ſit ſemper ſuæ clementiæ,iuxta illud: Cùm iratus fueris,miſericordiæ recordaberis. Non enim punit ſecundum multitudinem iræ ſuę,ſed ſemper citra condignum;& pronior eſt ad ignoſcendum,quàm ad puniendum.Nam miſericordia,vti aliâs præfati ſumus,ſuæ naturæ proprietas eſt,ſed iraſci effectus ſuę iuſtitię ſic mandantis,vt puniatur ſuæ legis trãſgreſſor.Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

Paſsio nõ cadit in Deum.

Membra quæ De⁹ habet.

CONTRAPO. CCXCIIII.

PEccata multa habebant Iudæi ante Christum. Hier. 17.
Peccatum non haberent, si ego non venissem. Ioan. 15

Si peccata multa Hebræi commiserant ante Christi aduentum (vt Vates nouerat) quid est quòd veritatis magister aliud sentit in altera? Et huic pariter dicendum nouimus, quòd de peccato infidelitatis est intelligenda Christi sententia, propter illud quod illi subnexum est. Idcirco hanc explanãtes dicimus cum Augustino, quòd August. in illa peccatum indefinitè sumendum est, vt sit sensus, quòd si ipse Christus non venisset in carne, aliquod peccatum non haberent: nõ enim dixit, si non venissem nullum peccatum haberent, sed peccatum non haberent. Vnde necesse est dicere, si non omne peccatum, aliquod tamen eos ex aduentu Domini, quod non habebant, cõtraxisse peccatum: illud ipsum profectò est, quòd in præsentem sibíque loquentem non crediderũt, eúmque inimicum deputantes quoniam vera dicebat, insuper occiderũt. Hoc quippe peccatum tam magnum, & tam horrendum si non venisset, & locutus eis non fuisset, vtique non haberẽt, quod idcirco sic commemoratur, quia ipso peccato tenentur, & cætera. Hæc enim si non haberent, & in eum crederent, dimitterentur, &c. Et sic patet quid fuerat ad præmissa dicendum.

CONTRAPO. CCXCV.

EGo sum Dominus scrutans corda. Hier. 17.
Quis enim scit quæ sunt hominum?

Si (teste Paulo) nemo scit quæ sunt hominis nisi 1. Cor. 2. Spiritus hominis qui in illo est, quid est ꝙ econtrariò præmittitur voce dominica? Sed absit à fidelium mentibus, vt qui homini spiritũ tribuit, ignoret cogitatus illius. Nónne ipse dicit voce alterius Prophetæ, Ego noui Psal. 93. cogitationes hominum? Idcirco & huic sic dicendum arbitramur, quòd per sententiam Pauli non est excludendus Deus, qui hominis intimior est, quàm Spiritus qui in illo est, sed duntaxat spiritus alterius hominis excluditur per prænotatam sententiã, cui nisi alter reuelaue-

Cordis secreta, quomodo nota homini, & quomodo non. rit secreta, quæ apud se cogitauerit, aut cœlitus acceperit, seu ab intelligentia custodiente se susceperit, minimè illa scire poterit. Deus verò vt cordis secreta noscat, nõ indiget vt aliũde illa suscipiat, cùm illa præuideat antequam cogitẽtur ab homine, vocans ea quæ non sunt tãquam ea quę sunt, suísque simplicibus ac paruulis notà faciens incerta & occulta suæ infinitæ sapientiæ, vt prænotatus Propheta vnà cum Paulo nouerat. Et sic patet quomodo præmissa absque vlla contradictione sint.

Deus ex se omnia cognoscit. *Rom. 4.*

CONTRAPO. CCXCVI.

Hier. 22. NOlite flere super mortuum.

Ibidem. Plangite enim qui egreditur.

Si non est lugendum super mortuum, cur idẽ Vates quasi pœnituerit, aliud adiecit infrà, vtique oppositum? Idcirco & huic pariter arbitramur dicendum, nullam in prænotatis cernentes contradictionem. Profectò pro illo lugendum est, cuius vita semper mala fuit, declinans à mandatis Dei, nam de isto nulla spes habenda est, cùm ex hoc mundo migrauerit. De huiusmodi enim Augustinus locutus ait: Impossibile est malè viuere, & bene mori. De quorum numero fuerant illi, de quibus Iob comminatoriè dixerat: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Sed de illis econtrariò prima est intelligẽda, qui Deum præ oculis semper habentes, optimè se gesserunt in corpore: pro his enim lugendum non est, quibus mors ista temporalis finis carceris dicitur, iuxta illud Adagiũ quo dicitur,

Pro quibus lugẽdum.

Pro quibus non lugendũ.

La morte è fin d'vna pregion oscura,
Agli animi gentil, e a gli altri è noglia,
C'hanno posto nel fango ogni lor cura.

Transeunt enim isti de loco pugnæ ad locum pacis & quietis, à loco tenebroso & caliginis ad lucis splẽdorem. Quanquam possemus dicere ad hanc secundam, quòd de illo intelligenda sit sententia, qui verũ cultum Dei egressus est, vt sũt omnes hęretici & schismatici, qui idcirco lugendi sunt, quia verã & catholicam exiere Ec-

clesiam. De quorum numero extiterant illi, de quibus Ioannes in sua Canonica ait: Ex nobis prodierunt, sed non erant in nobis. Et sic patet quid fuerat dicendum. *1.Ioan. 2.*

CONTRAPO. CCXCVII.

NOli orare pro populo hoc. *Hier. 7.*
Orate pro persequentibus vos. *Mat. 5.*
Si pro persequẽtibus orare iubemur, qualis excluditur à Deo, ne Vates pro illo oret? Idcirco & huic sic respondendũ nouimus, dicẽtes, sicuti aliâs nos dixisse recolimus, videlicet, quòd in lege perfectionis multa fuêre admissa & concessa, pariter & præcepta, quæ minimè in lege Mosi continebantur. Vtique illa, mortis vltionis seueritatísque lex dicebatur. Sed lex Noua, lex vitæ, lex gratiæ & amoris dicitur. Idcirco & inimicũ pariter cum amico pręcipit & iubet diligi, & pro persecutoribus deprecari. *Legũ differentia.* Licet ad primam aliter respondentes possemus dicere, quòd idcirco fuit prohibitum, ne Propheta rogaret pro populo illo, quia peccauerat peccato ad mortẽ, pro quo nõ datur remissio: quem sensum dilectus discipulus imitatus ait: Est peccatũ ad mortem non pro illo dico vt roget quis: His verbis innuens aliqua esse peccata, quæ inimicorum persecutionibus grauia sunt. *1.Ioan. 5.* Licet tanquam cæcutientes possemus dicere hoc peccatum illud esse, dum post habitam agnitionem Dei donúmque Spiritus sancti in se susceptum, quisque oppugnat ac aduersatur ipsam gratiam qua reconciliatus est Deo, inuidentis facibus agitatus. *Peccatum ad mortẽ.* Peccatum verò non ad mortem illud esse dicimus, dum quisquam non amorẽ alienauerit à fratre, sed officio fraternitati debita per aliquam infirmitatem animi nõ exhibuerit. Idcirco Apostolus Paulus non orat pro Alexandro, qui iam frater fuerat, quia inuidentiæ facibus fraternitatem oppugnãtis peccauerat. *2.Tim. 4.* Pro his verò qui non abruperant amorem ad mortem, sed timori succubuerant orauit, vt illis ignosceretur. *Mat. 5.* Ex quibus colligimus orandum esse etiam pro inimicis & persecutoribus quos iudicamus non commisisse peccatum ad mortem, vt Deus det illis *Pro quibus orandum.*

pœnitentiam, & resipiscant à malis eripiantúrque à laqueis diaboli, quibus per peccatum tenebantur captiui. Et sic patet quid fuerit ad præmissa dicendum.

CONTRAPO. CCXCVIII.

Tren. 4. *COmpleuit Dominus furorem suum.*
Ezec. 5. *Complebo furorem meum, alibi.*

Si gemebundus Propheta nouerat Dominũ, suum compleuisse furorẽ, quid est quod voce Domini dicitur per alterum, Complebo furorem meũ? Et huic, quæ nil in se controuersiæ videtur includere placuit dicendum, quòd licet de eadem euersione Hierusalem fiat mentio in vtraque, nõ tamen eodẽ tẽpore, nec in eodẽ loco prænũtiata fuerat euersio huiusmodi, pro qua Domini furor esset complendus. Vtique Hieremias (vti Hieronymus attestatus est) non solùm Spiritu vaticinatus fuit prenotatam desolationem, sed etiã oculis carnis illam fuit intuitus. Altera verò in Caldea prophetauit his, qui cum illo captiui fuerãt, pœnitentibus quòd ad Hieremiæ vaticiniũ se vltrò aduersariis tradidissent, & viderẽt adhuc vrbem Hierusalem stare, quam ille casurã esse prædixerat. Quanquam ad præmissa possemus dicere, furorem propriè non esse in Deo, in quẽ (vt aliâs præfati sumus) nulla passio potest cadere, sed de consuetudine translatum est, iudicandi potentiam in Deo esse, quamuis vtrobique quidam ex nostris non furorẽ, sed Domini animũ interpretati fuerint. Complet verò Dominus hunc furorem, dum indignationis sue iram super aliquos effundit angelorum ministerio, quemadmodum Ioannes se audiuisse testatus est in suis Reuelationibus, dum ait: Et audiui vocem dicentem septem angelis: Ite & effundite septem phialas iræ Dei in terram. Quæ ira Dei nõ perturbatio animi est dicenda, sed iudicium, quo irrogatur pœna peccato, vel potius dicas, auersio vultus eius ab homine inpœnitente. Et sic patet quid dicendum.

Ezec. 5. *Passio in Deũ nulla cadit.* *Deus quã do furorẽ suum cõpleat.* *Apo. 16.* *Ira Dei quid figuret.*

CONTRAPO. CCXCIX.

Ezec. 17. *IMpius conuersus animam suam viuificat.*
1. Cor. 3. *Spiritus est qui viuificat, dicitur alibi.*

Si impio talis faculas conceditur ex Dei bonitate, vt animam viuificare poſsit, quomodo ex aduerſo iſtud viuificare ſpiritui aſcribendum erit? Dicimus primam in ſe talem continere ſenſum, videlicet, ſi quis prius exiſtens impius, diuino adiutus præſidio, à ſua impietate fuerit conuerſus, hic quantum in ſe fuit, animam ſuam viuificaſſe dicendus eſt, hoc eſt dictu, quòd ipſe taliter ſe idoneum præbuit, vt à Spiritu viuificante omnia, meruerit viuificari. Qui niſi per pœnitentiam, talem ſe præbuiſſet minimè huiuſmodi viuificationis fuiſſet capax, propter id quod ſcriptum eſt voce domini: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Quanquam potior ſenſus ſecundæ ſit de ſpiritu ſub cortice literæ latente, qui illuminans literam, reddit ſenſum clarum & limpidum, qui prius rectus & obſcurus ſeruabatur ſub litera: ſecundum quem ſenſum locutus eſt ille, qui ait: Spiritus eſt qui viuificat, ſed dũtaxat illum qui de Chriſti corpore membrum eſt. Nam ſicuti manus præciſa ac ſeparata à corpore nequit viuificari, ſic pariter qui membrum extiterit ſeparatum à corpore Chriſti, viuificari non poteſt. Nec enim particeps diuinæ charitatis dicitur, qui hoſtis fuerit vnitatis. De his enim qui ſeipſos ob peccata ſegregant, ſcriptum eſt: Animales, ſpiritum non habentes. Qui ergo ab huiuſmodi ſpiritu viuificare deſiderat, caueat ne extra Eccleſiam remaneat, ſed taliter ſe diſponere ſtudeat, vt veraciter coaleſcat arboríque vitæ inſeratur. Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque vlla contradictione.

Impius quomodo ſe viuificare dicitur.

Zac. 1.

Ioan. 6.

Iac. 1.

CONTRAPO. CCC.

Impio ſe conuertenti dimittuntur peccata.
Aliquos releuari non poſſe per pœnitentiam, alibi.

Ezec. 18.
Heb. 6.

Si impio conuertẽti ſe ad Deum, nouimus omnia relaxari peccata, cur doctor gentiũ aliquos non fore participes huius muneris nouerat, quinpotius hoc pro impoſsibili habuit? Nónne & huic reſpondentes dicimus, aliquorum fuiſſe iudiciũ, quòd illud impoſsibile, quod in illa continetur litera, pro, difficile accipiendum eſt?

Heb.6. Quanquam hæc impotentia non ex parte Dei iudicanda sit, qui & omnes homines vult saluos fieri, ac ad agnitionem veritatis deuenire: sed ex parte talium sic male se habentium prouenit, ad Deum conuerti non curantium quinpotius obicem ponentium diuino influxui cordáque claudentium, ne sol iustitiæ illos illuminans ingrediatur. De quorum numero fuerant illi quos sic induratos alloquens dominus, ait: Quotiens volui congregare filios tuos & noluisti? Pariter & illi ad quos sermo diuinus ait: Vocaui & renuistis. Hi enim cùm sic in malis perseuerare decreuerint, nullatenus conuerti volunt, quinimo impunitatem suorum reatuũ sibi promittentes contemnunt conuerti. De quibus in Prouerbiis dicitur, Impius cùm in profundum peccatorũ peruenerit, contemnit. Quibus seuerum iudicium reseruatur sine misericordia, qui sibiipsis misereri neglexerunt. Torquentur enim foris flammis & intus conscientia propria. De tali enim impio sic peruerso quidam locutus ait: Impius magis condemnandus est quàm peccator, quia hic non ita statim euellitur funditus à superis sicut impius, licet futuri sæculi miseria pariter condemnet vtrumque, si sic moriantur impœnitentes. Et sic ex prædictis patet qualiter hæc conuertendi impotentia ex parte talium dicenda est.

1. Tim 2. *Mat. 23.* *Prou.1.* Ioan.18. *Impotentia se conuertendi.*

CONTRAPO. CCCI.

Ezec.33. Ioan.9.

P*Eccator cùm ingemuerit, saluus erit.*
Peccatores Deus non exaudit, alibi.

Si sermone Euangelico teste, Deus non exaudit peccatorem hominem, cur aliud Vates præmiserat: Huius autem secundæ sensum talem esse nouimus, quòd Deus illum peccatorem exaudire renuit, quem in peccatis cernerit perseuerantem, nullatenus ad se conuerti curantẽ. De tali enim locutus Chrys. ait: Si Abraham patriarcha pro hoc supplicet, qui in suis vitiis permanendo immedicabiliter ægrotat, abibit Deus relinquens rogantem, nec vocẽ interuenientis exaudiet: Non enim ad manus, sed ad cor Deus respicere dicitur. Sed si quempiã homi-

Peccator *quem non exaudit Deus.*

num ad ſe corde conuerſum viderit, compunctúmque ac ingemiſcentem de culpis hunc nullatenus deſpiciet, ſed benignè exaudiet. Profectò ſic conuerſus veraciter, peccator eſſe deſinit, iuxta illud: Verte impios & non erunt ſupple in impietatis culpa (vt gloſa continet) licet hoc non fiat abſq; fauore illius qui huiuſmodi conuertẽtes alloquens, ait: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: & alibi hos ad ſe reuertentes allocutus ait, Si fuerint peccata veſtra rubra quaſi vermiculus, quaſi lana alba erunt. Quanquam ad hanc ſecundam aliter reſpondentes poſſemus confidenter dicere, illa non fuiſſe verba Chriſti, nec minus Euangeliſtæ, ſed illius qui oculos corporis iam quidem reſtitutos habebat, ſed ei oculi cordis nondum patebant. Vnde ipſum dominũ adhuc Prophetam duntaxat putabat, ſed poſtea plenius cognitum, tanquam Dei filium fideliter adorauit. Et ſic patet quid fuerit ad præmiſſa dicendum. *Eſa.50.* *Prou.12.* *Zac.1.* *Eſa.1.*

CONTRAPO. CCCII.

Opera iuſtitiæ per peccatum perduntur. *Ezec.33.*
Opera cuiuſcunque ponderantur per ignem. *1.Cor.3.*

Profectò ſi Propheta teſte opera iuſtitiæ per peccatũ ſunt admittenda, quomodo verum erit, ꝙ ſint ponderanda per ignem? Non enim ponderandum eſt, ꝙ iam per peccatum amiſſum fuerat. Idcirco & huic, quæ puerilis eſſe cernitur quæſtio, dicendum placuit, quòd de igne illo ſecunda eſt intelligẽda, quo defunctorum animæ in purgatorio, vel in inferno torquendæ ſeruantur: Hæ vt perpetuò crucientur: ſed illis, vt aliquando æterna ſit conferenda gloria: licet vtrique ſecundum menſuram, & quantitatem operum. Profectò hic ignis magis aut minus cruciabit animas, prout peccatorum expoſtulat quantitas ſeu grauitas, iuxta illud: Pro menſura peccati erit & plagarum modus. Sed ad primã arbitramur dicendum, quòd opera præcedentis iuſtitiæ taliter perdenda ſunt per ſuperuenientem iniquitatem, vt nihil ex eis remaneat ad vitam. Nam tantæ malignitatis eſſe cernitur peccatũ, vt quicquid boni, quicquid virtutis prius *Deut.25.* *Peccati malignitas.*

extiterit, illud prorſus calcat, & deſtruit, ac ſi nuſquam fuiſſet in anima. Talem igitur arbitramur fuiſſe veridicum ſenſum primæ, dum dicitur, quòd opera iuſtitię per peccatum perduntur, & taliter, vt per illud voluntas ſuo iure priuanda veniat: cùm aliud non ſit peccatum, niſi prauus liberæ voluntatis aſſenſus, cùm videlicet condeſcendimus ad ea quæ iuſtitia vetat. Vel dicas (vt Auguſtini vtar verbis) peccatum nil aliud eſſe, quàm factum ſeu dictum aut concupitum, contra legem æternam. Et ſic præmiſſa ſeruantur abſque contradictione aliqua illæſa.

Peccatū quid ſit.

CONTRAPO. CCCIII.

Ezec. 40 GAzophylacium ſacerdotum ad Aquilonem locatum.

Ibidem. Gazophylacium idem ad Auſtrum ſitum, alibi.

Profectò pręmiſſa ſimul ſtare nequeũt, vt videlicet Gazophylacium ad Auſtrum poſitum intelligatur, & pariter ad Aquilonem, cùm iſta opponantur contrarié. Idcirco ne in erroris ſylua remaneamus, dicẽdum placuit, quòd de maiori ſacerdote eſt ſecunda intelligenda, qui ſacrificio fungens in ſancta ſanctorum, quam ſemel in anno introire licebat, verſa facie ad Auſtrum debebat reſpicere, vt inde diuinum influxum ſuſcipiens, oblata ſanctificaret, quæ pro ſuis, & populi delictis offerebantur non ſine ſanguinis effuſione, vt Paulus refert. Qui influxus idcirco ex illa Auſtrali parte ſuſcipiendus fuerat, quia inde venire debebat ille, à quo (vt præmiſimus) illa priſcorum patrum ſacrificia ſuam hauriebant virtutem. Hinc colligimus quanta mundicia, quantáve ſanctitudine, ac quali charitate decorandus ſit ille, qui in huiuſmodi præſidentia conſtitutus eſt. Profectò & de huiuſmodi ſacerdote maiore, necnon & de conditionibus eius Paulus allocutus Timothæum diſcipulum, dixerat: Oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, ornatum, prudẽtem, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolẽtum, &c. Cæterorum verò ſacerdotũ Gazophylaciũ ad plagam Aquilonarem, & non ad Auſtrum locatum fuerat, vt inde ſeruos tribunalis

Sacerdotis officiũ.

Abac. 3

1. Tim. 3.

Gazophylaciũ cur ad Aquilonem.

iustitiæ præsidentes, his hostiis pacatos redderent. Quod & non minus necessarium fuisse nouimus, quàm ad impetrandam pietatem, & beneficium à principibus beneficis, & piis pietatis tribunali præsidentibus vt Cabalistę attestantur, dicentes duplex fuisse sacrificium apud priscos patres, alterum videlicet matutinum, & alterum vespertinum: quorum primum ad impetrandum, sequens verò ad placandum necessariò existimarunt esse. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa. *Cabalistarũ opinio.*

CONTRAPO. CCCIIII.

Ezec. 18.
Ezec. 33.

IVstitia iusti super eum erit.
Iustitia iusti non liberabit eum.

Si iustitiam iusti super eum esse dixerat Vates, cur ex aduerso in sequenti dicitur, quòd eum liberare nequeat? quem enim effectum hæc iustitia causare habet in iustificato homine, si eum liberare nequit? Idcirco & huic, quæ nil controuersiæ in se continere cernitur, dicendum placuit, quòd per primam nõ infertur quòd prorsus per suam iustitiam iustus liberetur, sed dicitur quòd super se erit. Vtique & de legis iustitia nullatenus hæsitandũ est, quin in præmissis fiat mentio, quæ cùm sit inualida & claudicans, nequit hominem iustum reddere. De hac enim iustitia infirma & debili locutus Christus ait suos fideles, admonens: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Ad quem sensum pariter nouimus fuisse locutum Paulũ, qui dum de operibus huiusmodi inualidæ legis mentionem haberet, dixit: Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quem pariter intellectum prima continere cernitur. Nec obstat quia ibi dicitur, quòd super eum erit, quia ob hoc non sequitur ꝑ iustus sit apud Deũ, qui iustitia duntaxat fidei iustificat hominẽ, sed idcirco super habẽtem se dicitur esse, quia facit talẽ gloria & honore dignum esse, cùm sit moralis virtus, quæ cõmunis dicitur virtus. Idcirco & librã tenet in manibus, vt & cæteras libret virtutes, quas si iusti ponderis esse reperiet, *Rom. 3.* *Mat. 5.* *Rom. 4.* *Iustitia moralis cur librã tenet in manibus.*

coaceruabit cumulo. Hanc moralem virtutem quanuis quiſpiam contineret in ſummo, non ob hoc redderetur iuſtus apud Deum, quia per illam duntaxat corriguntur vitia, ſed per illam fidei non tantùm à ſordibus expiatur homo, ſed Deo pariter dignus redditur, hæredéſque regni cœlorum efficimur, & cohæredes Chriſti. Et ſic patet quid dicendum.

Iuſtitiæ fidei effectus.

CONTRAPO. CCCV.

Ezec. 33. IVſtitiæ iuſti obliuioni tradentur.

Rom. 2. *Deus reddet vnicuique ſecundum opera ſua.*

Si iuxta opera cuiuſcunque reddendum eſt, cur præmittitur quòd iuſtitiæ iuſti ſint obliuioni tradendæ? Nã & ſi obliuioni tradendæ ſunt, nulla ex eis ſperanda erit merces. Idcirco ne indiſcuſſa relinquamus præmiſſa, placuit ad illa dicendum, quòd de iuſtitiis illa prima eſt intelligenda, à quibus per ſequentem iniquitatem auerſus eſt homo, qui prius iuſtus fuerat: ſicuti prænotatus Propheta eo in loco præmiſerat, dicens: Et ſi iuſtus auerſus fuerit à ſua iuſtitia, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitię quas prius fecerat non recordabuntur. Quæ idcirco recordari nõ merentur, quia de libro vitæ in quo iuſti ſcri-
Philip. 4 buntur deletæ ſunt. Quanquam ex aduerſo in libro mortis, vt puniantur, ſcriptæ reperiantur in iniuſtitiis permutatę. De quibus locutus Vates regius dum formam in ſe
Pſal. 137 ſuſciperet cuiuſlibet peccatoris, ait in pſal. ad Deum conuerſus: Imperfectum meum viderũt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur. Nec primæ contradicit ſequens,
Eccle. 11. quia ſcriptum eſt, Vbi ceciderit lignum, ſiue ad Auſtrũ, ſiue ad Aquilonem, quocunque loco ceciderit, ibi erit. Hæc autem iuſtitia tunc in nobis perficitur ac augetur, dum de peccatis victoriam obtinemus: quæ licet per fidem in bonum operante ſit modo perfecta, erit tamen perfectior, dum illa coronabimur in cœlis. Nec hæc iuſtitia fidei alibi eſt, niſi in ea republica, cuius conditor Chriſtus eſt, nec in alia ciuitate præter illã, de qua ſacra Scriptura dicit, Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Sic
Pſal. 86. ergo intellectis præmiſsis, nulla in illis erit contradictio.

Iuſtitia fidei quãdo erit perfectior.

CONTRAPO. CCCVI.

ANimalia ibant, & reuertebantur. *Ezec.1.*
Animalia cùm incederent non reuertebantur. *Ibidem.*

Si animalia iſta euntia reuertebantur pariter, cur oppoſitũ ſubiungitur in altera, videlicet quòd non reuertebantur cùm incederent? Et huic reſpondentes licet poſſemus dicere, quòd veritas Hebraïca non ita continet ſicut noſtra traductio, ſed dicit cùm incederent non impediebantur: nihilominus arbitramur dicendum, ꝙ hoc in loco per animalia iſta vitam & motum progreſſiuum habentia, angelos intelligi placuit, qui (vt Paulus docuit) ſunt adminiſtratorij ſpiritus in noſtrum miniſterium miſſi. Ipſi enim dũ è cœlo mittuntur ad nos, & reuertuntur & non reuertuntur aliquando: reuertuntur quippe, dum in bono propoſito nos perſeuerantes cernunt, ſed econuerſo non reuertuntur, dum carnalibus deſideriis nos eſſe deditos conſpiciunt. Vel dicamus, quod per hæc animalia viri iuſti poſſunt intelligi, qui tanquã rationalia animalia habent motum, ſenſum & actum: motum quidem bonæ voluntatis, & affectionis: ſenſum verò dulcis pietatis & compaſsionis, quia ſcilicet ipſi ſentiunt miſeriam alienam, habent etiam actum bonæ & vtilis operationis. Idcirco dum dicitur, quòd animalia ibant, denotatur motus bonæ voluntatis viri iuſti, qui tunc dicitur reuerti, dum compatitur proximo. Vel forſan dicamus, & non ab re, quòd per animalia iſta ſermo Dei accipiendus eſt, qui veluti animatus ex ore proferẽtis ſe exiens ad aures audientis præſentem ſe offert. Viuus eſt ſermo Dei dixerat Paulus, & penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens vſque ad diuiſionem ſpiritus & animæ. Qui ſermo ſi (vt decet) in anima illũ recipientis ſe deuotè & fideliter rẽtentus fuerit, magnum inde emolumentum fœliciter reportabit, fructum videlicet faciens ſexageſimum, & centeſimum. Non retentus verò in anima, vacuus ab illa recedit non amplius reuerſurus ad illam, quouſque melius diſponatur ad ſuſcipiendum ſe. Et ſic patet quid dicendum.

Heb. ver.

Heb.1.

Angeli quãdo ad nos reuertantur.

1. Pet.2.

Hebr.4.

Mat.13.

CONTRAPO. CCCVII.

Eze.18. Mat. 10.

A*Nima quæ peccauerit, ipsa morietur.*
Animam autem non possunt occidere.

Si anima (saluatore teste) nõ potest occidi, cur ex aduerso in primo pręmittitur, quòd anima quę peccauerit ipsa morietur? Reliquimus aliâs multiplices esse mortes. Hoc autem in loco de peccati morte primam intelligendam esse nouimus, qua anima sic infecta verè mortua est dicenda. Nam sicuti gratia Dei, anima viuere dicitur, sic econtrariò carens illa, mortua dicitur. Hanc licet tyrannus suis satellitum armis occidere non valeat, (vti Saluatoris sententia fuit) potest tamen homo peccator illam sic lethalibus ferire iaculis, vt Deo mortua dicatur. Profectò toties occiditur anima, quotiens peccatorum iaculis vulneratur. Nec hoc dubites, peccatis eam velut telis & gladiis vulnerari, quia & Apostolus de huiusmodi iaculis quibus lethaliter feritur anima locutionem faciens, ait: In omnibus assumite scutũ fidei, in quo possitis omnia iacula maligni ignita extinguere. Idcirco vt illã de mortis somno excitem⁹ & sanemus à vulnere, resipiscamus à malis, & taliter, vt nõ peccemus amplius. Nempe conuersio à malis & pœnitẽtia fructuose gesta, celerẽ confert huiusmodi vulneribus medelã. Quia pœnitentia non solùm vulnus præteritum purgat & sanat, sed & vltrà non sinit sic faciliter animã vulnerari peccato. Sic igitur facientes, animam per pœnitentiam viuificabimus, quæ prius per peccatum videbatur mortua. Et sic præmissa seruantur absque vlla contradictione.

Anima quando Deo mortua dicatur.
Mat.10.
Peccator quando animam occidere dicatur.
Anima quotiens vulneratur.
Ephes.6.
Animã excitare à sõno quid sit. Pœnitẽtia medela animæ dicitur.

CONTRAPO. CCCVIII.

Ezec.18. Ezec.36.

F*Acite vobis cor nouum.*
Dabo vobis cor nouum.

Si Dominus ita benignè promittit cor nouum se nobis daturum, qui & alibi cor nouũ creare dicitur, cur præcipit vt cor nouum per nos faciamus, quasi hoc in nostra esset potestate? Idcirco & huic quã ita possemus soluere, sicuti soluta fuit illa de gressibus bonis faciendis, nihilominus dicendum placuit ad istam pariter, ꝙ

omne illud quod Deus iubet,dat:& omne quod dat,adiuuat,vt illud faciat cui dat: ſemper enim(vt Auguſtino placet)eſt in nobis voluntas libera,ſed non ſemper bona. Quia aut à iuſtitia ſoluta eſt,videlicet quando peccato ſeruit,& tunc eſt mala:aut à peccato libera eſt,quãdo ſeruit iuſtitiæ,& tunc eſt bona.Certũ eſt enim nos velle quando volumus,ſed Deus facit vt bonum velimus.Pariter certum eſt nos facere cùm facimus,ſed ille facit vt faciamus, vires præbens voluntati. Qui voce eiuſdem prophetæ alibi ait:Faciã vt in iuſtificationibus meis ambuletis,& iudicia mea obſeruetis & faciatis. Cùm enim dicit,faciam vt faciatis,quid aliud dicit, niſi quia auferã à vobis cor lapideum,cor durum,& dabo vobis cor carneum,cor molle, & cor obediens vt faciatis? Ille igitur facit vt faciamus,qui niſi faceret,minimè faceremus.Idcirco ille qui in huiuſmodi fuerat expertus, ſic rogauit conuerſus ad Deum:Cor mũdum crea in me Deus, &c. Nouum autem cor in nobis à Deo creatum,idcirco nouum dicitur, quia nouitate reuelatæ intelligentiæ decoratum eſt,ſicuti Nouum teſtamentum dicitur, quia nouo lumine gratiæ,atque æternæ fidei ſtabilitum eſt. Et ſic patet quid fuerat dicendum.

De⁹ quod dat, adiuuat. Voluntas ſemper libera in nobis. Deus facit vt bonum velimus.

Ezech. 11.

Pſal. 50.

CONTRAPO. CCCIX.

FVrorem meum immittam in te.
Non immittam furorem meum.

Profectò immittere, & non immittere contrariũ in ſe continent ſenſum.Sed ſi verborum ſeriem velimus diligenter perpendere, proculdubio agnoſcemus præmiſſa non eſſe contraria, ſed ad inuicem maximè conſona,ac omni veritate plena. Vtique primum cõminatoriè dictum fuerat præuaricanti populo,cuius malitiæ finis iam aſcenderat coram Domino, dum terra illa plena eſſet innocentum ſanguine ac omni dolo, ob iniuſtitiam populi,& potiſsimũ præſidentiũ, ob quod dixerat: Nũc finis ſuper te, & immittã furorẽ meum in te.Et infrà:Ira enim mea ſuper vniuerſum populũ iſtũ,foris gladius,& intus peſtis & fames.Licet(vt aliâs prefati ſum⁹)

Ezech. 7.
Mich. 7.
Ezech. 7.

Ira nō est in Deo. furor & ira propriè non cadat in Deum,sed de consuetudine translatum potentiam vindicandi hoc nomē accepit.Licet paucorum hominum sit agnoscere potestatē iræ Dei,quia plerisque magis irascitur cùm parcit. Potissimùm autem irascitur illi quem peccantem non flagellat.Nec ob hoc,quia irascitur, perturbatur aliqua inflammatione,cùm ira eius(vt sępenumero dictum fuit) non sit aliud quàm auersio vultus eius. Alterum verò populum quem Dominus nouerat à sordibus emendatū, non curauit percutere amplius, cui iam ad plenum noxam remiserat. Idcirco furorem suum mitigans decreuit eum non immittere illi.Profectò(vti Ambrosij verbis vtar)nouit mutare Deus sententiam si tu noueris emendare delictum. Pronior enim est ipse ad indulgendum,quàm ad puniendum,quorum primū est sibi proprietas,ad alterum suæ vltionis effectus, quam & quasi coactus infert super peccatorem hominem : idcirco per Prophetā dixerat: Heu, ego consolabor super hostibus meis.Et sic patet quid dicendum.

Deus pronus ad indulgendū.

Esa.1.

CONTRAPO. CCCX.

Ezec.20. P*Recepta non bona dedi eis.*

Ioan.7. *Mandatum bonum & sanctum dicitur.*

Mirū quippe videtur, vt non bona esse dicantur illa præcepta,quæ à Deo optimo collata fuerant.Profectò quod ab ore Dei procedere dicitur, quis ausus foret dicere non esse bonū? Vtique(Philosopho teste)à bono non nisi bonum emanare potest. Nónne & Legislator de operibus illius locutus,ait: Dei perfecta sunt opera? Idcirco & huic sic pariter dicendum nouimus, quòd si huiusmodi præcepta contemplari volumus,inquantum videlicet collata fuêre ab ipso Deo, bona & optima dicenda sunt. Et sic arbitramur Paulum accepisse mandatum in altero,dum ait: Et mandatum sanctum & bonū. Nec idcirco intelligendum est mandatum sanctum,quo præceptum est vt in Deum credamus: quanquā eo ipso totum continetur, si eam intelligamus fidem credentiū quæ per dilectionē operatur. Sed apertè expressit quòd

Deut.32.

diceret

diceret ſanctum mandatum, id eſt quo præceptũ eſt, vt ab huius mundi coinquinationibus recedentes, caſta cõuerſatione viuamus. Sed ſi recurſus habeatur ad ipſum mandatum, inquantum videlicet peccatum auget, & fiat quis per illud ſupra modum peccans, ſic forſan bonum non eſt dicendum, non in ſe, ſed malum malè vtenti illo, cui iram & vltionem infert, & talis videtur eſſe ſenſus primæ. Vel dicamus, & forſan melius, quòd ſi conſideretur mandatum, inquantũ ſine Chriſto nequit iuſtificare hominem, ſic bonum non eſt dicendum, quia ſic tanquã debile & infirmum eſt exiſtimandum. Licet ex hoc quia non bonum, malum dicendum non ſit, quia ſaltem iuſtitiam legalem conferre videtur cuſtodienti ſe. Nec eſſet bona conſcientia, dicere, præcepta legalia fuêre non bona, ergo mala, quia (vt præfati ſumus) bona in ſe fuerant, ſed per accidens mala forſan dicenda erant, quia videlicet mortem minabantur delinquenti. Quemadmodum & de ſole poſſemus dicere, qui bonus ſemper dicitur & beneficus omnibus, ſed accidit quòd lippoſis noceat oculis. Profectò quod eſt oculis ſanitas ad videndũ ſolem, hoc eſt gratia mentibus ad implendam legem. Et ſic patet quid fuerat dicendum. *Mãdatũ cui malũ dicatur.*

CONTRAPO. CCCXI.

Dominus non videt nos, dixerunt quidam.
Omnia nuda ſunt oculis Domini.

Si taliter omnia ſunt aperta & nota oculis Domini, vt nullatenus occultari poſsint, cur voce prophetica ac ſi Dei notitia nulla eſſet, dicitur quòd Deus non videt aliquos? Quomodo enim illũ latere poterunt, cui omnia nuda apparent? Huic primæ, quæ taliter omni veritate vacua eſſe cernitur, vt reſponſione digna non ſit, nihilominus dicendũ placuit, illa fuiſſe verba quorundam inſipientium ac non credentium Deum, illorum videlicet ſceleratorum principum ac ſeniorum Iſraël peruertentium iudicium pupillorum, & viduarum, quorũ cauſæ, cùm illi iniuſti eſſent, non rectè iudicabantur, quinpotius accipientes munera, tanquam auaritia pleni, cor- *Ezec. 8. Hebr. 4.*

rumpebantur, committentes pariter multa obſcœna ac enormia in abſconditis. Nã ſeducentes & fallentes mulierculas ingrediebantur ad illas, dicẽtes non eſſe in Dei cognitione illa turpia, quinimo ſicuti hominibus ignota erant, ſic & Deo pariter abſcondita: ignorantes etiã diuinum oraculum, vel illud malitioſe ſcire non curantes, quo dicitur: Nihil apud te abſconditum. Pariter & aliud quod dicit: Nouit Dominus abſcondita cordis. Idcirco tanquam vana, & riſu digna repudienda ſunt verba illa, ne illum incurramus errorem Commentatoris dicentis, quod intellectus diuinus vileſceret ſi hæc inferiora cogitaret. Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

Hier.32. *Pſal.43.* *Commentator.*

CONTRAPO. CCCXII.

Dan.8. *Danie.9.*

INterpretem Danieli nouimus Gabrielem.
Interpres nemo fuerat prænotato, infrá.

Si Prophetę, ſeipſo atteſtãte, nullus fuerat interpres in illo perſico incolatu, cur præmittitur in altera, quòd Gabriel erat ſibi interpres? proculdubio eſſe & non eſſe contradictionem apertam inferunt, iuxta illud Philoſophi dicentis: De quolibet dicitur eſſe vel non eſſe, & de nullo ambo ſimul. Idcirco ne indiſcuſſæ remaneant pręmiſſæ, dicendum placuit, ꝙ nõ obſtat, ꝙ quiſpiam ſit alteri interpres in vno negocio vel vno tempore, & quòd alio tempore vel in altero negocio non ſit ei interpres. Nam dũ Chriſtus nobiſcum fuit viator, multa fertur nota feciſſe Apoſtolis de regno Dei, multáque ex aduerſo occultauiſſe præfatis, dicente illo: Quæcunque audiui à patre nota feci vobis: & ex aduerſo, Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modó. Quod & infrà clarius declarabimus, fauente Deo. Fuerat ergo Danieli Gabriel interpres, cui multa reuelauerat de incolatu populi in illa captiuitate, ſed quia Daniel cùm eſſet vir deſideriorum, multo plura ſcire cupierat, quæ adhuc ei nota non fuerant: idcirco dixerat neminem ſibi fuiſſe interpretem, donec videlicet cõpleretur iniquitas populi, pro qua captiuus detinebatur in illo regno, cauſa nobis occultiſsima. Dictus autem fuit Daniel vir deſideriorũ in ſcripturis, quia panem deſiderij non comedit, & potum

Ioan.15. *Ioan.16.*

concupiſcentię non bibit,quia Chriſtum quem futurum eſſe prænouerat, magis quàm epulas illas regias cupiebat.Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque contradictione.

CONTRAPO. CCCXIII.

Sententia Dei determinata ſuper regem Babylonis.
Sententia eadem reuocata, infrà dicitur. *Dan. 4.* *Ibidem.*

Si prænotatam ſententiam nouerat Daniel iam determinatam fuiſſe ſuper regem illũ, quomodo eandem reuocatam eſſe dixerat infrà? Nónne ipſe Dominus per prophetam alium dixerat : Quæcũque procedunt de labiis meis,non faciã irrita? Et alibi:Ego ſum Deus,& non mutor. *Pſal. 88.* *Mala. 1.* Idcirco & huic ſic reſpondendum nouimus, dicentes,quòd hæc ſententia idcirco reuocata, quia diffinitiua non fuerat,ſed conditionalis duntaxat. Vtique licet intra conſiſtorium iudicij Dei per tabellam iam eſſet determinata & ſigillata,non tamen extra pergot (vt Cabaliſticè loquar) fuerat publicata, ſed reſeruata in theſauris iudiciorum Dei, idcirco & illam conditionalem appellãdam placuit. *Pergot.* Pariter & illam regis Ezechiæ, quem moriturũ præuiderat Eſaias in libro Domini. Similiter & illam Niniuitarum ſubuertendum poſt tres dies:& tamen quia conditionales extiterãt,idcirco executionem non acceperunt. *Eſa. 38.* *Ion. 3.* Nam alteri placatus Deus prolõgauit vitam,iſtis verò pepercit exitium. Quæ mutatio non penes ipſum Deum, ſed penes eorundem conuerſionem attendenda eſt.Nec mirũ hoc videatur, quia ſicuti vnica ſolis virtute cera liqueſcit,& cęnum induratur, ſic immutabili exiſtente Deo, iram in miſericordiã cõmutatam nouimus,dum videlicet quis à viis ſuis malis recedens ad Deũ fuerit conuerſus. *Deus ſemper immutabilis.* Profectò (vti Seuerini Boëtij verbis vtar) Deus ſtabilis manens dat cuncta moueri.Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CCCXIIII.

Regnauerunt multi, ſed non ex me. *Oſeæ. 8.*
Non eſt poteſtas, niſi ex Deo. *Rom. 13.*

Si omnis poteſtas ab illo eſt, cui omnis creatura

in potentia obedientiali eſt,cur ipſe voce prophetica cõqueſtus dixerat, quòd multi ſine illo regnauerant? Nõne ipſe in ſe continere dicitur omne dominium,& omnem principatũ? Huic quoque reſpondendum nouimus

Sine Dei permiſsione nihil fit in mũdo.

dicentes,non obſtare,ꝙ ſine Dei volũtate multi regnare dicantur in hoc mundo,qui videliet per tyrannidẽ principatũ cõſecuti ſunt,& ꝙ pręfati abſque Dei permiſsione principatũ gerere nequeant.Ipſe enim Deus, vti permittit hominem ſuo libero arbitrio ad placitũ. Permi-

1. *Reg.* 9.

ſit enim Saulem in ſuum regnare populum, quẽ reprobandum & expellendum nouerat è regno. Nam tantæ bonitatis eſſe cernitur Deus,tantæque clementiæ,vt ro-

Deus permittit multa mala fieri in mundo.

gatus ab homine non tantùm multa tribuat,quę nõ expedien‹t›ia eſſe agnoſcit,quòd magis eſt multa mala fieri permittit in vniuerſo,quæ ſi fieri nollet,facilè impedire poſſet. Licet omnia & faciat & permittat cauſa nobis occultiſsima , ſed ſemper æquiſsima. Proinde ſententia Pauli,ſententia diffinitiua eſt.Non enim dixit: Non eſt cupiditas niſi à Deo. Eſt enim mala cupiditas quæ non eſt à Deo,ſed quia ipſa mala cupiditas nulli nocet,ſi ille non permittit, non eſt inquit poteſtas,niſi à Deo.Colligitur ergo ex dictis,quòd licet ſine Dei voluntate multa committantur à creatura, nihil tamen ſine eius permiſſione fieri poteſt.Sic igitur intellectis præmiſsis,in nullo contraria cernuntur.

CONTRAPO. CCCXV.

Amos 1.

Adent & non reſurgent. C

1. Cor. 15.

Omnes quidem reſurgemus.

Si(teſte præcone euangelico)omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis in finali & extremo iudicio,cur de aliquibus cadẽtibus aliter pręmittit Propheta? Profectò quod ambo dixerunt,hoc ab vnico fonte hauſerant.Et huic,quam & aliâs nos explanaſſe recolimus,nihilominus & modò dicẽdum placuit,quòd nõ

Reſurrectio duplex.

de eadem reſurrectione fit in præmiſsis locutio. Vtique de reſurrectione à peccatis ad gratiã in prima fit mẽtio, qua impij cadentes ac in peccatũ perſeuerantes reſurre-

&turi non ſunt,vt prefati ſumus aliâs:pro quibus(vti ver bis Ioannis vtar) rogandũ non eſt , cùm non reperiatur locus veniæ in theſauris Dei,pro his ſpernentibus ac cõ temnentibus reſurgere,quinpotius ponentibus obicem diuinæ clementiæ.Aliam verò pluries declarauimus , & quomodo intelligenda ſit,alibi iam reliquimus. Vel adhuc ad primam dicamus ſi placet, ꝙ idcirco non dicuntur reſurrecturi cadentes,quia in ſe nil continent vt poſſint hoc conſequi, licet per ſe in peccatis ceciderint,iuxta illud:Perditio tua ex te Iſraël eſt. Sunt tamen ſuſcitãdi ab illo ſi pœnituerint,qui ait in Euangelio : Ego ſum reſurrectio & vita.Ipſe enim dixit:Qui credit in me,etiã ſi mortuus fuerit,viuet.Qui vt huiuſmodi ſic cadẽtibus ſpes eſſet ad reſurgendum,dixit per Prophetam: Si fuerint peccata veſtra rubra quaſi vermiculus, quaſi lana alba erunt.Et ſic patet quid fuerat dicendum ad premiſſa.

1.Ioan. 5. *Prou. 18.* *Oſeæ.13.* *Ioan.11.* *Eſa. 1.*

CONTRAPO. CCCXVI.

AMos Prophetam ſe eſſe negauit. *Amos 7*
Amos Prophetam eſſe nouimus, infrá. *Amos 12*

Profectò ſi Vates dum requiſitus fuit an eſſet Propheta,abſolutè negauerat,cur poſtea Prophetam ſe eſſe aſſeruit infrà,dum vaticinans ait: Audi verbum Domini?Hæc dicit Dominus: Vxor tua in ciuitate fornicabitur.Huic quoque,ſicuti & cæteris, nouimus reſpondendum,dicentes,quòd illud quod primò dixerat,ex humilitate fuit.Nam quemadmodum & Ioannes Baptiſta à ſcribis & phariſæis interrogatus negauit ſe eſſe Prophetam Domini:quanquam propheta prænuntiatus fuiſſet à patre: ſic & Amos,licet prius negauerit ſe eſſe prophetam,tamẽ ſuum proſecutus officium,prophetam ſe eſſe Domini reſerauit poſtea. Nam vaticinans illud , quod Domini ſpiritus ſibi ſuggeſſerat,prophetam ſe fuiſſe oſtendit aperté. Vel forſan dicamus ſi placet, quòd dum Amos interrogatus fuit, an Domini Propheta eſſet , & negaſſet, ſenſerat forſan Domini ſpiritum à ſe receſsiſſe in illo tunc,quapropter nõ fuit auſus ſe Domini cõfiteri

Ioan.1.

Sap.7. prophetam. Nam ſpiritus iſte & mobilis & diſcurrens ad placitum dicitur in prophetis, vt experimento didicimus fuiſſe factum in Heliſæo, qui interrogatus de ali-
4. Rg.4. qua re dixerat ſe ignorare illam, ait enim, Et Dominus celauit à me. Pariter & de ſene illo Propheta ſcribitur, quòd videlicet fefellerit cũ Propheta alter à leone oc-
Ioan. 1. ciſus. Profectò de ſolo Chriſto dicitur, quòd ſpiritus iſte deſcendens à patre ſic permanſit in illo, vt non amplius ab illo receſſerit. Et ſic patet quid ad præmiſſa fuit dicendum.

CONTRAPO. CCCXVII.

Malac.3. *EGo ſum Deus, & non mutor.*
Ion.1. *Deus mutauit ſententiam cum Niniuitis.*

Si verum eſt, ſi pro quia, ꝙ Deus mutabilitati non ſubiacet, cur mutauiſſe ſententiam cum Niniuitis dicitur? Nónne (vti ſermo diuinus atteſtatur) Deus decreuerat ſubuertendam ciuitatem cum populo, quod tamen non fecit? Et hanc, quamuis in præcedentibus ad plenũ declarauimus, nihilominus & modò ſic illam explanantes, placuit dicendum, quòd idcirco mutata fuit ſententia, quia pœnitentiam de peccatis egerunt. Sed dicis, quoquo modo ſit, mutatus oſtenditur Deus. Idcirco aliter dicendum putauimus & melius, videlicet quòd ciuitati illi ſicuti prædixerat Deus, ita factum eſſe agno-
Niniue quomodo fuit euerſa, et quomodo nõ. uimus. Euerſa enim fuit Niniue in malo, & ædificata in bono, ſicuti & de Paulo pariter dicendum arbitramur. Euerſus enim fuit Saulus perſecutor, & ædificatus Paulus prædicator. Sed à quo fuerunt iſta aperta? Nónne ab illo, qui voce prophetica ait: Ego percutiam & ego ſa-
Deut.32. nabo? Percutit enim putredinem facinoris, ſanat dolorẽ vulneris. Faciunt hoc medici, ſecant, percutiunt, & ſa-
Peccatores dupliciter euertuntur. nant. Sed notãdum eſt, quòd peccatores duobus modis euertuntur: aut ſicut Sodomitæ, vt pro peccatis ſuis ipſi homines puniantur: aut in propoſito, ſicut Niniuitæ, vt ipſa hominum peccata pœnitendo deſtruantur. Factum eſt ergo quod prædixit Deus: Euerſa eſt enim Niniue quæ mala erat, & bona ædificata eſt, quæ non erat. Stan-

tibus enim mœnibus, atque domibus, euerſa eſt ciuitas in perditis moribus. Niniuitæ igitur in hac vita pœnitẽtiam egerunt, & ideo fructuoſam velut in hoc agro ſeminantes, in quo Deus voluit cum lacrimis ſeminari, ꝙ poſtea cum lætitia meterent. Colligimus igitur quòd ſicuti Deus prædixerat, ſic omnia ſpiritaliter ad vnguem euenerunt, ſine Dei mutabilitate. Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

CONTRAPO. CCCXVIII.

MIſertus eſt Dominus ſuper malitia Niniuitarum. Ion.3.
Non parcam Niniuæ ciuitati magnæ. Ion.4.

Si per pœnitentiam Niniuitarum iam Deus illis miſertus fuerat, cur ex aduerſo, quaſi præfatis non fuiſſet miſertus, illico ſubiunxerat, dicens: Non parcam, &c? Nónne in præcedenti ad plenum declarauimus, quomodo illi ciuitati fuerat miſertus, dum illam peccatricem euerterat, & nouam ac iuſtificatam per pœnitentiã ædificauerat? Nec ſequens primæ contradicit, quia non abſolutè peperciſſe dicendus eſt qui ciuitatẽ aliqua in parte punitam reliquit. Vel aliter dicamus, ſi placet, quòd non obſtat, quòd Deus, alia ratione ciuitati fuerit miſertus, & alia ratione minatus fuerit illi, dixerítq; ſe non miſeraturum illis. Vtiq; Deus peccatis iratus quęſiuit illam ſubuertere & decreuerat, ſed quia ad prædicationem Ionæ, illos conuerſos nouerat à viis ſuis malis, idcirco fuit illis miſertus. Demum, quia forſan præuiderat præfatos recidiuantes in errores priſtinos poſt adeptam miſerationem, renuentes videlicet diſcernere inter ſiniſtram & dexteram, idcirco cõminatus fuit illis, dicens: Non parcam: Sic enim præfata litera continet, Ego non parcam Niniuæ ciuitati magnæ, in qua plures ſunt qui neſciunt diſcernere inter ſiniſtram & dexteram ſuam. Quam ſiniſtram cauendam homo non poteſt perfectè cognoſcere, niſi prius cognouerit quid interſit inter ſiniſtram & dexteram, propter id quod à philoſopho dictũ nouimus, videlicet, Oppoſita, iuxta ſe poſita, magis eluceſcunt. Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque vlla contradictione.

CONTRA P O. CCCXIX.

Hester.13 Ephes. 6.

REctorem mundi Deum esse, omnis Scriptura fatetur. Rectores mundi aduersarij nostri, alibi.

Si rectorem mundi Deum esse vbique legitur, cur aliud Paulus nouerat? Idcirco & huic pariter sic respondendum arbitramur, dicentes & agnoscentes aliter Deum esse huius mundi rectorem, & aliter aduersarios nostros. Profecto Deo competit legitimè huius mundi habere regimen, tanquam creatori & factori omnium, licet Diabolus tyrannicè hoc dominium sibi vsurpare curauerit, erroresque multiplices introducens, vt ipse pariter, tanquam dominus mundi veneraretur à malis, primatúmque haberet in illis, & hoc non tantùm in infidelium cordibus, sed pariter in falsis Christiânis, in quibus per peccatum diabolum regnare non dubitamus. Nam sicuti Deus regnare in bonis per gratiam dicitur, ita ecõuerso diabolus pec peccatum in virum malum imperium habere dicitur. Idcirco & tenebrarum harum rectorem eum appellauerat Paulus. Quem licet Christus dum venit ad nos (vt aliâs prætulimus) è mundo expulerit, id est à cordibus hominum, regnat tamen adhuc in his, qui cupiditates diligunt, quas quidam appetentes errauerunt à fide, & prolapsi sunt. Per hanc enim radicem regnat diabolus in homine malo, & cor eius tenet astrictum. Mittitur autem denuo foras à nobis dum toto corde operibus mundi huius renũtiamus. Sed dicet aliquis, quomodo possumus illum sic vincere, vt foras eum postmodum mittamus, quomodo non videmus? Audi magistrum, qui modum & formã tibi tradidit quomodo inuisibiles hostes tu posis facilè vincere. Ipse enim vt te doceret sic facere, exuens se carne, principatus & potestates exemplauit, fiducialiter eos triumphans in semetipso. Ibi ergo vincuntur inimicæ, & inuisibiles potestates, vbi vincuntur inuisibiles cupiditates. Et ideo qui in nobismetipsis vincimus temporalium rerum cupiditates, necesse est vt in nobismetipsis vincamus & illum, qui per ipsas cupiditates regnabat in homine. Sed quia nostra natura per peccatum tota infecta fuerat, dignatus est vnigenitus Dei filius ipsam naturam

Deus quomodo mũdi rector.

Diabolus quod dominiũ habet in mũdo.

Ephe.6.

Diabolus quãdo foras a nobis mittitur.

Colos.2.

Modus vincendi diabolũ.

noſtram ſuſcipere, vt in ipſa vinceretur diabolus, & quē ipſe ſemper ſub ſe vinctum habet, etiam ſub nobis illū eſſe faceret. Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque vlla contradictione illæſa.

CONTRAPO. CCCXX.

Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem. *Ioëlis. 2.*

Spiritus Domini non permãſurus in homine, quia caro eſt. *Gene. 6.*

Si Deus primis tẽporibus decreuerat Spiritũ ſuum non eſſe permanſurum in homine in æternũ, quia caro eſt, cur poſt illud tempus voce prophetica promiſerat Spiritum hunc effundendum ſuper omnẽ carnem, quaſi prioris ſui decreti factus fuiſſet obliuioſus? Idcirco & huic, præter id quod aliàs de huiuſmodi Spiritu Dei locuti fuimus, & illud hoc in loco ſuperaddendum duximus dicentes præmiſſa ſimul ſtare poſſe. Non enim futuris temporibus effundendus erat iſte domini Spiritus, & permanſurus in illa carne corrupta & infecta, quemadmodum fuerat illo tempore, quando dixit Deus Spiritum ſuum non eſſe permanſurum in homine: ſed de illa carne eſt altera intelligenda, quæ per verbum domini taliter mundificanda erat ab omni corruptione & infectione, vt non amplius caro veteris hominis, ac trãſgreſſoris Adæ diceretur, & eſſet, ſed caro purificata & ſanctificata per fidem Chriſti, ſuper quam carnem Spiritus iſte in omni abundantia erat effundendus, vti Prophetæ vaticinio prænũtiatum fuerat. Modus autem quo iſte Spiritus adhæret homini, eſt ipſa aſsimilatio, adhæret enim ſimile ſimili. Fit autem aſsimilatio per conformitatem noſtri conceptus conceptui diuino, quæ conformitas reſultat ex eo, quòd nos eadem pro modulo noſtro concipimus, quæ diuinæ menti inſunt. Stat ergo vt domini ſententia in ſuo permanſerit robore, & quòd de huiuſmodi Spiritu ſecutura eſſet effuſio ſuper omnem carnem iam purificatã & ſanctificatam per aſſumptionem Verbi, quòd & nos tali decorauit munere, vt membrum de mẽbro, & caro de carne ſua efficeremur & eſſemus. Et ſic patet quid dicendum.

Ibidem. *Caro quãdo mũdificanda. & à quo.* *Ioelis 2.* *Aßimilari Deo quomodo poßumus.* *1. Cor. 6.*

CONTRAPO. CCCXXI.

Zach.7. *IVdicate iudicium verum.*
Luc. 6. *Nolite iudicare, dicitur alibi.*

Non enim diuina lectio, quæ ab vnico emanauit fonte sibi contraria poterit esse, sed intellectum sibi sobriũ quærit. In conuersatione enim humana sunt aliqua, quæ rationabiliter reprehenduntur. Sunt verò quædam, quæ non sine peccato iudicari possunt. Aperta enim mala, & iudicari & argui debent, illa autem quæ ignoramus, & vtrum bono vel malo animo fiant, scire non possumus, iudicare penitus non debemus. Melius est enim vt ad partem dexteram nostrum animum declinemus, quia tollerabilius est nos in hoc præfiniri, vt illos qui mali sunt, bonos esse credamus, quàm ex consuetudine iudicãdi etiam de bonis quod malũ est suspicemur. De istis ergo quæ Deo soli cognita sunt, & nobis incognita, periculose nostros proximos iudicamus, & de istis secunda intelligitur. Sed de illis (vt prætulimus) quæ aperta sunt & publica mala iudicare & redarguere, cum charitate tamen & amore, & possumus & tenemur, odio habentes non hominem, sed peccatum, non vitiosum, sed vitium, detestantes morbum potius quàm ægrotum. Nam publicus adulter, raptor, assiduè ebriosus, proditor, & superbus si iudicati seu castigati non fuerint, implebitur in nobis illud quod dicitur: Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Profectò (vt beati Cypriani verbis vtar) Qui peccatũ verbis adulantibus palpat, peccati fomitem subministrat. Propter apertam tamen iniquitatem illud dictum est: Argue, increpa, obsecra, in omni patientia & doctrina. Hæc enim si cum grandi sollicitudine, Deo donante, obseruare volumus, non de paruo peccato liberabimur. Et sic patet quid dicendum.

Iudicium quomodo inferẽdũ.

Proximi redargutio qualiter fieri debet.

1. Cor. 5.

2. Tim. 4

CONTRAPO. CCCXXII.

Sap. 1. *SPiritus domini repleuit orbem terrarum.*
Ioan. 14. *Spiritum domini mundus non potest accipere.*

Profectò si spiritum domini, qui & veritatis dicitur

ſpiritus, mundus nequit accipere, quomodo verum erit quod pręmittitur in altero? quòd videlicet orbem terrarum repleuerit? Meminimus aliâs primum explanantes dixiſſe, illam intelligendam eſſe de ſpiritu illo, qui in inicio temporum ſtans ſuper aquas, calore ſuo viuifico fœturam omnium rerum creãdarum repleuit, vt inde poſtmodum perfecta ſequeretur generatio, quam ex calido & humido procedere Philoſophus non hæſitauit. Profectò quidquid Dei verbo factũ fuerat, hoc & pariter fuit viuificatum à ſpiritu, vt ibidem ſubiungitur. Sed ad alteram dicendum placuit, quòd idcirco hunc domini ſpiritum mundus non poteſt accipere, quia non cognoſcit illum. Mundana enim & carnalis dilectio inuiſibilibus carens oculis, hunc ſpiritum videre nequit, nec agnoſcere. Sed præcurſor illis non caruit, dum teſtimonium perhibens de chriſto, ait: Quia vidi Spiritum ſanctum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum. Hic autem ſpiritus nequit replere & ingredi, niſi illos, quibus Verbi cognitio præambula fuerit. Quod & liquidò Chriſtus oſtendit, dum Apoſtolos allocutus de iſto ſpiritu ait: Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Sic forſan fieri requirebat ille diuinus ordo, vt videlicet Verbi cognitio illa prius doceret in genere, quæ poſtmodum in ſpecie ſuggerenda erant à ſpiritu. Decet enim ſicut illa productio Spiritus procedit à filio, iuxta illud, Ille de meo accipiet: ſic ipſius verbi cognitio ſpiritus ſuggeſtionẽ præcedat. Vtique Apoſtoli, Chriſti ſermone purgati ac mundificati, iuxta illud: Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis, idoneos iſtius ſpiritus repletione ſe reddiderunt: quod & poſtmodum locum habuit in die ſancto Penthecoſtes. Qui ſpiritus idcirco in linguis igneis ſuper illos venit, quia illos ardentes pariter, & loquentes fecit. Et ſic patet quid fuerat dicendum.

Gene. 1. *Sap. 6.* *Ioan. 14.* *Carnalis dilectio nequit videre ſpiritum.* *Ioan. 1.* *Ioan. 14.* *Ioan. 16.* *Ioan. 15.* *Act. 2.*

CONTRAPO. CCCXXIII.

Deus neminem diligere dicitur. *Sap. 4.*
Diligis enim Domine omnia quæ ſunt. *Sap. 11.*

Quomodo verũ erit dicere, quòd Deus neminem dicatur diligere, qui ante temporum initia nimio præuentus amore, vt extrà ſuam manifeſtaret gloriam, creauit omnia vt eſſent? Quomodo inquam erit verum dicere, quòd neminem diligat, qui ante mundi conſtitutionem dilexit nos, tanquam membra ſui vnigeniti, ad imagi-
Rom.5. nem cuius nos creare dignatus eſt, vti Paulus diuinorum ſecretorum ſcrutator depoſuerat? Et iterum quomodo verum erit, ꝙ nos non dilexerit Deus, qui cùm inimici eſſemus, decreuit nos ſecum reconciliari per mortem
1.Ioan.4. vnigeniti filij ſui, quem propitiatorem miſerat pro peccatis noſtris, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viueremus? Hanc quippe dilectionem, qua nulla maior fuiſſe cerni-
Rom.5. tur, cõtemplatus & admiratus Apoſtolus dixerat, Commendat autem Deus Charitatem ſuam in nobis quoniam ſi cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro
Coloſſ.1. nobis mortuus eſt. Nec ſic accipiendum eſt, quòd ex hoc quia ei reconciliati ſumus per ſanguinem ſui vnigeniti, quem pro nobis in ara crucis effundit abunde, cœpit nos Deus diligere, qui & priuſquam omnino aliquid eſſemus, ſic nos dilexerat, vt regnum nobis pararet in cœlo. habebat enim ipſe erga nos ſuam dilectionem, etiam cum inimicitias aduerſus eum exercentes operaremur iniquitatem. Proinde enim miro quodam diuino modo, quando nos oderat, diligebat. Oderat quippe nos, quales ipſe non fecerat: quia iniquitas noſtra, opus eius non ex omni parte conſumpſerat. Nouerat enim ſimul in vnoquoque noſtrûm, & odiſſe quod feceramus, & amare quod ipſe fecerat. Et hoc in omnibus
Sapię.11. dici poteſt de illo dum dicitur, Et nihil odiſti eorum quę feciſti. Ad aliam verò, quæ ſuæ conſociæ nullatenus contraria eſſe cernitur, placuit dicendum, illic non eſſe ter-
Sap.7. minatam ſententiam, dum dicitur, Neminem diligit Deus, quinpotius & illi additum eſt, Niſi eum qui cum ſapientia inhabitat, vt ſententiæ ſit integer ſenſus, quòd Deum neminem dicatur diligere, niſi illum quem cum ſapientia morari proſpexerit. Hunc & ſcriptura beatum
Sap. 24. celebrat, dum ait, Beatus vir qui in ſapientia morabitur, illa videlicet de qua in pſal. dicitur, Omnia in ſapientia

fecisti. Quem sensum secutus Caldaïcus interpres dixit in exordio mundialis fabricæ, In sapientia creauit Deus cœlum & terram, vbi & nostra traductio vsualis habet, in principio. Pariter Euangelista secutus hūc sensum dixerat tangens hoc sacramentum, Quod factum est, in ipso vita erat. Cui pariter & Paulus consonanter dixerat, In quo omnia, per quem omnia. Cum hac enim sapientia qui habuerit domicilium, maximis delectationibus exuberantium pascetur voluptatum, vti Ambrosij verbis vtar. Profectò fontis ipsius vbertate recreatus diuinitus, nullatenus amplius sitire poterit. Sic igitur pręmissę intellectæ in nullo contrariari cernuntur. *Genes.1.* *Ioan.1.* *1.Cor.8.* *Ambro.*

CONTRAPO. CCCXXIIII.

DIluuium non amplius futurum super terram.
Dominus diluuium inhabitare facit.

Si Noë tēpore exeuntis de arca fœdus cū omni anima viuente iam firmatum fuerat, vt non esset amplius diluuium super terram, dicente Domino, Neque erit deinceps diluuium dissipans terram, cur Propheta regius aliud sensit dicens in psalmo, Dominus diluuium inhabitare facit? Enimuero si rursus facit Domin⁹ inhabitare diluuium, iam sui fœderis violator erit, quod cum omni viuente prius pepigerat. Idcirco vt præmissa concordia reddamus, & Deum immutabilem ostendamus, dicendum placuit, quòd non æquanimiter accipiendum est diluuium in prænotatis sententiis. Nam in prima de diluuio reali aquarum multarum fit mentio, quę taliter super vniuersum orbem inundauerant priori tempore, vt consumpta vniuersa carne, super omnes montes fierent, quos & operuerant: sed metaphoricè diluuium est accipiendū in altera, pro inundantia persecutionis acerrimæ, quam & necessariò fore præuiderat futuris temporibus Propheta regius ponens tempus præsens pro futuro, tanquam si hoc diluuium persecutionis haberet præ oculis. Et sicut primo tempore induxit Deus diluuium super vniuersam terram, vt illa purgaretur à fœditatibus, quibus prorsus infecta & corrupta fuerat (vti *Genes.9.* *Psal.28.* *Diluuiū duplex.*

Genes.9. Scriptura commemorat) sic pariter permisit Deus diluuium persecutionis fieri in vniuersa Ecclesia, quam nouerat inficiendam idolorum culturis, vt sic postmodum purgata ab huiusmodi erroribus, semen bonum seruaretur per arcam fidei, & Deus vnicus ab omnibus agnitus veneraretur: quod & postmodum actum esse cernimus. Vtique his temporibus Deus vnicus ab omnibus veneratur & colitur. Nam si quæsieris ab Hebræo, quẽ Deum reueneatur & colat, illico respondebit tibi, Deum colo vnicum, qui creauit cœlum & terram. Pariter Maumetanus interrogatus, dicet tibi, Deum veneror, qui regnat in cœlis. Licet ex alia causa, hi cultus inficiantur & perniciosi reddantur ab eis, cùm non agnoscant Deum sicuti vnicum in essentia, sic trinum pariter esse in personis: nec minus accipiant Christum Deum, ac redemptorem omnium fuisse, quinpotius ab altero seductorẽ populi, & Prophetam nequam fuisse, ab altero verò flatus esse Dei dicitur, sed non Deus, neq; Dei filius ab illo creditur. Sed præmissis obiiciẽs diceret forsan aliquis, Cur Deus qui summè bonus & iustus vbiq; dicitur, hoc persęcutionis diluuiũ, quod est quoddam malũ, inhabitare fecit, prout in altera pręmissarũ pręmittitur? Huic sic respondendum placuit dicentes, quòd hoc nõ fecit Deus, neque voluit, licet fieri permiserit. Permiserat enim pariter & filium suũ vnigenitum capi, flagellari, & crucifigi, vt ex eius morte vitã consequerentur credentes in illum. Pariter & hoc persecutionis diluuium, licet malum fuerit respectu persequentium fideles, fuit tamen bonũ, inquantum coronæ martyrum per illud fuerunt auctæ, fidésque multiplicata & roborata. Sed si Caldaïcam literam sequi placuerit, mysterium non occultandum reserabimus, dicentes sic contineri in illo versiculo psal. Deus in tempore diluuij super sedẽ iudicij sedit, vt vicẽ redderet prauis, sedítq; super sedẽ misericordiæ, vt liberaret Noë. Et sic patet quid ad præmissa fuerat dicendũ.

Persecutio fideliũ cur permissa à Deo. De⁹ vnicus ab omnibus colitur.

Cultus varij.

Psal.118.

Caldaica litera.

CONTRAPO. CCCXXV.

Psal.31. *Psal.118.*

Confitebor aduersum me iniustitiam meam.
Feci iudicium & iustitiam, alibi.

Quomodo iustitiam se fecisse poterat dicere, qui alibi suam iniustitiam agnoscens, suam pariter accusauit iniquitatem? Idcirco ad hæc arbitramur dicendũ, quòd licet præmissæ sententiæ possint intelligi de quolibet iustificato, qui post iustificationem habitam potest facere iustitiam, tamen hoc in loco alteram esse intelligendam iudicauimus de Dauid mystico, qui ex germine alterius suscitandus erat, dicente Domino voce Prophetica: In diebus illis germinare faciam Dauid germen iustitiæ, & faciet iudiciũ & iustitiam in terra. Ipse enim duntaxat confidenter dicere poterat ad patrem conuersus, Feci iudicium & iustitiam. Quanquam forsan possumus dicere, & nõ ab re, quòd & de Dauid carnali sunt pariter pręmissa intelligenda, qui post peractam pœnitentiam fructuosam ob commissum adulterium cum homicidio sic laudabiliter se in regno gesserat, vt & ipse dicere posset, Feci iudicium & iustitiam. Profectò (vti oraculum de illo attestatur) sic eiusconuersatio habita fuit coram Deo & hominibus, vt in nullo extiterit reus, dempto negotio Vriæ Ethæi. Sic enim dicit de illo sermo diuinus, Eò quòd non declinasset Dauid ab omnibus quæ præceperat ei Deus cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Ethæi. Et sic seruantur præmissa absque contradictione.

Hier. 23. & 33.

2. Reg. 11.

Psal. 118.

3. Re. 15.

CONTRAPO. CCCXXVI.

Posui ori meo custodiam.
Pone Domine custodiam ori meo.

Psal. 38.
Psal. 140

Cur ori suo custodiam poni petierat Propheta, si iam per seipsum hanc custodiam ori suo posuerat vt pręmittitur? Et huic quam ab omni contradictione prorsus nouimus alienam, arbitramur dicendum, quòd illud verbum, posui, nullatenus continetur in veritate Hebraïca, nec minus illa dictio custodiam, vt sit nomen apud Hebræos, sed verbum. Sic enim continet Hebraïca litera, vt dicat: Custodiam oris mei clausuram. Sed illam omittentes, dicamus stantes in nostra traductione vsuali, quòd de custodia interioris hominis se-

quens ſententia eſt intelligenda, quam forſan nondum obtinuerat, dum primum expreſſerat, ſed illam tantùm exterioris. Idcirco vt potiorem cuſtodiã attingeret ſubdidit dicens conuerſus ad Deum, Pone Domine cuſtodiam ori meo. Parum enim ſibi eſſe nouerat os corporis duntaxat continere, ne aliquid inde quod non expedit, per ſonum vocis erumpat. Proinde intus in ore cordis cuſtodiam & oſtium ſibi poni inſtanter petierat, vt in vtroque perfectus eſſet: ibi enim ponendam eſſe cuſtodiam neceſſariò iudicauit, vbi & tacentium conſcientia loquitur intus. Fit enim per oſtium continentia, vt non inde exeat, quod etiam clauſis labiis carnis, vitam polluat cogitantis. Multa quippe faciunt homines ore clauſo, quieta lingua, voce frenata, ſed tamen nihil agunt corporis opere, quod non prius in corde dixerint. Erit tamen ab vtriſque puritas innocentiæ, ſi circum interiora labia ponamus oſtium continentiæ. De hac enim & Auguſtinus locutus ait aliquando: Cuſtodi os cordis à malo, & innocens eris, innocens pariter lingua corporis erit. Erunt innocentes manus & pedes, erunt innocẽtes oculi, erunt innocentes pariter & aures. Omnia enim membra tua iuſtitiæ militabunt, ſi imperator iuſtus cor tuum tenuerit. Et quòd hanc cuſtodiam ſibi poni Propheta rogauerit, liquidò patet, per illud quòd continuò ſubdit, dicens: Ne declines cor meum in verba maligna. Nouerat enim, quòd poſito ſibi huiuſmodi odio continentiæ in ore cordis, vnde cuncta exeunt quæ coinquinant hominem, ſequi munditiam, & talem, vt ex omni parte ſerenetur anima, qua tuta poſſit gaudere conſciẽtia. De hac pariter continentia locutus Saluator ait in Euangelio: Mũdate quæ intus ſunt, & quæ foris ſunt munda erũt. Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque contradictione.

Cuſtodia oris vbi ponenda.

Oſtiũ continentiæ cur ponendum.

Mat. 25.

CONTRAPO. CCCXXVII.

Eccle. 12. *Scito cui bene feceris.*
Luca 14. *Ne eligas cui benefacias.*

Si cum electione conferendum eſt beneficiũ (vti docuerat Sapiẽs) cur Chriſtus locutus in parabolis aliã tradidit

tradidit formam huic oppositam? Profectò de faciente conuiuium locutus ait in Euangelio: Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, non fratres, non cognatos, non vicinos tuos. Idcirco & huic, quæ nonnihil contradictionis in se videtur includere, arbitramur dicendum, quòd Christus hoc indicio formam faciendæ eleemosinæ significari voluit, ne eam videlicet faciamus secundum sæculi dignitatem, eligentes potius personam quàm pauperem, quinpotius tanquam bonus præceptor statim subintulit, dicens: Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris. Quibus verbis instruimur, ne in personis diuitum eleemosina conferatur. Quod & euenire nullatenus dubitamus, dum in electione libitus nostri non egentem considerantes, reficimus pascimúsque diuitem. Quam formam secutus non fuerat ille, qui hos sic electos secundum sæculi dignitatem respuens, dicebat in psal. Et non communicabo cum electis eorum. Nouerat enim hanc formã eleemosinæ faciendæ secundũ huiusmodi electionem, Deo esse exosam & odiosam. Nam sic habenti dare, quid aliud esse putamus, quàm quod das perdere? Nec huic altera contrariatur, quę dicit, Cùm benefeceris, scito cui benefeceris, quia & hæc pariter ad vnguem seruanda est in collatione eleemosinæ dum videlicet in largiendo consideratur ætas, atque debilitas, nõnunquam verecundia, quæ ingenuos prodit natales, vt senibus plus largiatur qui sibi labore iam non queunt victũ quærere. Similiter & debilitas corporis, & hæc iuuando promptius: tunc si quis ex diuite cecidit in egestatem, & maximè si non vitio suo, sed aut latrociniis, aut proscriptione, aut calũnia, quæ habebat amisit. Hæc si diligentius secundum quod dictum est, considerentur, repugnare sibi nullatenus videbuntur. In vno enim eodémque præcepto Domini, vtraque exposita inuenimus. In eo enim quod dicit: Noli vocare amicos tuos, &c. intelligitur illud, Ne eligas cui benefacias: in eo verò quod subiungitur: Voca pauperes, & debiles, &c. ad illud pertinere nouimus, quod in primo dicitur: Si bene-

Lucæ 12.

Psal. 114.

Eccle. 12.

Quæ consideranda sunt in eleemosina.

Lucæ 14.

feceris, ſcito cui benefeceris. Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque aliqua contradictione illæſa.

CONTRAPO. CCCXXVIII.

Eccle. 19. *INgreſſus hominis enuntiant de illo.*
Ioan. 7. *Nolite iudicare ſecundum faciem.*

Si ingreſſus hominis ſic de illo enuntiant, vt ſe intuenti manifeſtum faciant, cur Chriſtus prohibuit iudicium facere ſecundũ faciẽ? Profectò huiuſmodi ingreſſus ad facialem notitiam pertinere agnoſcuntur, quibus qualis ſit homo liquidò oſtenditur. Idcirco & huic, quæ nil prorſus cõtradictionis in ſe videtur includere, dicendum placuit, ꝙ ingreſſus huiuſmodi accipiuntur in prima pro quadam qualitate ſeu cœleſti diſpoſitione, quã vnuſquiſque in ſuo natali proprium ſortitur è cœlis, quã & pariter homo imitatur in moribus quoad vixerit. Hæc enim qualitas ſeu diſpoſitio licet aliqualiter enuntiet de homine, non tamen plenè, ſed ſemiplenè duntaxat; quia hominis perfecta cognitio ad illum ſolum-
Hier. 17. modo ſpectare agnoſcitur qui cordium ſcrutator eſt, cui
Heb. 4. abſque velamine omnia nuda apparent, vt Paulus docuit. Quo ſenſu ſtante, ſequens non opponitur primæ. Quia Saluator idcirco ſuis cultoribus iudicium inferre
Ioan. 7. ſecundum faciem interdixerat, ne temerè quiſpiam ſuũ auderet iudicare proximum, propter id quod videt aut audit de illo, quia ſæpenumero contingit falſum referri: Ne ſecus facientes, in illam incidamus ſententiã, qua di-
Mat. 7. citur, In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & in qua menſura menſi fueritis, &c. Sed proh pudor maxima enim pars humani generis indiſcreto iudicio ad reprehendendum prompta & parata eſt, cùm tamen non ita ſe velit ab aliis iudicari quomodo vult alios iu-
Eccle. 11. dicare. Propter quod diuina ſcriptura admonet, dicens: Priuſquam interroges, ne vituperes quempiam, & cùm interrogaueris corripe iuſté. Quicquid enim volumus ab aliis fieri, iuſtum eſt hoc in aliis ſtudeamus implere. Prius ergo cum patientia interrogemus, & ſoliciti ſimus, vt cum aliquid certius agnouerimus, tunc aut ſi

mala sunt, reprehendere: aut si bona, defensare valeamus, propter illud quod scriptum est: Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Propter apertam tamen iniquitatem dictum est: Argue, obsecra, increpa, &c. *Mat. 7.* *2. Tim. 4*

CONTRAPO. CCCXXIX.

NE reueles turpitudinem tuam. *Exo. 20.*
Ne confundaris confiteri peccata tua. Eccl. 4.

Si per Mosen, ne turpitudo reueletur mãdatũ fuerat, cur ne id facere confundamur, monemur in altera, turpitudinem videlicet peccatorum confitendo reuelare? Nónne prima intelligenda est de ascendẽte ad altare per gradus, quos prohibuerat Deus ne essent ab inuicem nimium distantes? Ob quod ascendens altare per huiusmodi gradus sic distantes, cogeretur facere magnos passus, & inde turpitudo ascendentis altare reuelaretur circũstantibus, nimia cruriũ distẽsione. Sic enim continetur in litera, vt dicatur, Neque ascendens per gradus ad altare meum, ne fortè reueletur turpitudo tua, iuxta illud. *Exod. 20* Quę sententia sic intellecta, nullatenus contradicit sequenti, qua admonemur ne cõfundamur, dum alteri, & non nisi sacerdoti vicem gerenti Christi cor nostrum aperientes, cõfitemur peccata nostra, vt inde absolutione ab illo accepta, redimamus illa. *Eccl. 4.* Nam & de sic confitentibus peccata sua dixerat Iob: Sapientes cõfitentur, & non abscondunt patres suos. *Iob. 15.* Scientes nos illa cõfiteri non homini, vt illa in publicum proferat, sed sacerdoti locum tenenti Christi in terris, vt apud se retineat neminíq; aperiat, idcirco & auriculariter fit. Sed potius dicas, quòd ei potissimùm cõfitemur, qui omnium Dominus est, ei confitemur qui curam nostram gerit, ei qui medicus noster est, vulnus ostendimus, & medicamine suę clemẽtiæ sanet illud, ei cõfitemur qui omnia nouerat, etiam si tu illa nõ reuelaueris sacerdoti, ei confiteris qui distinctè & absque velamine sciebat, antequam illa perpetrares. Nec per primã excluditur amicus domesticus & fidelis, ad quem pro fauore & consilio ple-

runque recurrendum est. Huic absque pauore reuela secretum cordis tui. Reuela dico si talem amicum inueneris, iuxta consilium Senecæ dicentis: Omnia cum amico delibera. Et ne indifferẽter de quolibet amico intelligeres, protinus ibidem addidit, dicẽs: Sed de amico prius. His verbis innuens, quòd non omni homini qui amicũ se esse dicit, secretum est reuelandum, sed illi duntaxat, qui verus amicus esse comprobatur. Quem sensum prius fuerat secutus ille, qui ad hoc propositum locutus ait: Non omni homini cor tuum manifestes. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

Seneca. *Eccl.10.*

CONTRAPO. CCCXXX.

Eccle.12. *Genes. 1.*

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.
Cuncta quæ Deus fecerat valde bona.

Si cuncta quæ Deus fecerat in initio temporum bona fuêre dicta, cur Sapiens contemplatus omnia, dixerat ex aduerso ea vanitatum esse? Nónne & sapientiam qua splenduerat, sibi à Deo collatã fuisse nouimus? Idcirco & huic, quã & aliâs iam explanatam reliquimus, placuit dicendum, quòd si habeatur recursus ad originem rerum omnium creatarum, quæ in sua creatione primæua plena fuêre Deo, nulli dubium erit, quin bona & optima dicenda sint, cùm de omnibus creatis illud vniformiter dicatur, Vidit Deus cuncta quę fecerat, & erãt valde bona: sed si ecõuerso recursus habeatur ad eadem creata, ea videlicet contemplantes secundũ statum & conditionem quã sortita fuêre post rebellionem & lapsum prothoparentis Adæ: seu potius dicas, ea considerantes secundũ statũ huius calamitosæ & infœlicis tempestatis, in quã (vti Pauli vtar sententia) fines sęculorum deuenerunt, nequimus subterfugere, quin vanitatis titulo meritò nuncupanda sint omnia, cùm ferè in totum suam perfectionem amiserint: secundum quem sensum forsan locutus est Salomon, dum ait: Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Quod & illum pariter non latuit, qui locutus in suis epistolis de huiusmodi vanitate ait: Vanitati creatura subiecta est. Idcirco ne id huiusmodi vani-

3. Reg.3. *1. Cor.10.* *Rom. 8.*

tatisinſpectionẽ laberetur Propheta regius petiuit oculos ſuos auerti ab illa dum ait in Pſal. conuerſus ad Deum: Auerte oculos meos, ne videant vanitatẽ. Nouerat enim eſſe exoſos ac odioſos Deo obſeruantes & reſpicientes in huiuſmodi vanitatem. Idcirco dixerat alibi, Deum alloquens: Odiſti omnes obſeruantes vanitatem. Et alibi, vanitatem diligentes increpans, dixit: Vt quid diligitis vanitatem? Ille verò (Auguſtino teſte) vanitatem obſeruare dicitur, qui in alia re quàm in Domino ſperat: Quapropter in pſal. beatus celebratur homo, qui in huiuſmodi vanitatibus nõ reſpexerit. Quibus, teſte Regũ hiſtoria, irritatur Deus ne mortales exaudiat dum illum deprecantur. Idcirco Paulus diuinorum ſcrutator, dum Coloſſenſes alloqueretur, prohibuerat ne ea quæ ſunt ſuper terram ſaperent, quinpotius quæ ſuper cœlos ſunt, crebrò contemplarẽtur: Verebatur enim Apoſtolus, ne per huiuſmodi vanam inſpectionem terrenorum, raperentur eorum corda, & ſic à cultu veri Dei recederent. Et ſic patet quid dicendum.

Pſal. 118. Pſal. 30. Pſal. 4. Pſal. 39. 2. Reg. 17 Coloſſ. 3.

CONTRAPO. CCCXXXI.

Frater peccator corripiendus publicè.
Frater peccator ſecretè corripiendus.

Leu. 19. Mat. 18.

Si frater peccans eſt publicè arguendus, docẽte Domino per Moſen, cur Chriſtus qui legem non venerat ſoluere, docuit vt ſecretè corriperetur? dixerat enim in Euangelio ſe ſequenti: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Hæc enim vt decernimus, ſimul ſtare nequeunt, cùm ſecretè & publicè contrarium ſenſum contineãt. Idcirco præmiſſa conciliare curantes, præter id quod nos aliâs de huiuſmodi materia locuti ſumus, & illud modo ſuperaddendum eſſe putauimus, dicentes, primam intelligendam eſſe de defectibus publicè commiſsis, vel conſcia multitudine. Nam ſi frater multis audientibus tibi fecit iniuriã, & in illos peccauit, quos & teſtes ſuæ iniquitatis effecit, tunc meritò corripiẽdus eſt corã omnibus, qui & ſcandalum intulit multitudini. ad quem ſenſum Paulus allocutus

Mat. 18. Luc. 17

1.Tim.5. Timothæum dixit,Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorẽ habeant. Altera verò non huic contraria est,ait enim,Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum:quare? quia peccauit, in te: quid est in te peccauit? quia tu scis, quia peccauit, quia secretum fuit, quando in te peccauit. Idcirco secretum quærere debes cùm corrigis quod in te peccauit. Nam si solus nosti quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere,non eius correptor,sed proditor meritò diceris. Idcirco debemus cernere quando vnum, & quando alterum est faciendum à nobis: Quia aliquando frater corripiendus est inter te & ipsum solum, & aliquando palàm & publicè coram omnibus. Nam de publica correptione locutus Hieremias dixit aliquando: Male-
Hier. 48 dictus qui prohibet gladium à sanguine. quod quidem intelligendum est de gladio locutionis increpatoriæ & duræ,quę trãsfigit carnis sensualitatẽ. Nec omnino gregem liberabis,nisi sic corripueris peccatorem, iuxta illud adagium: Morbida facta pecus,totum ouile corrumpit. Quod si quis facere neglexerit, particeps fiet peccatorum illorum. Quem sensum Innocentius secutus ait, Negligere quippe cùm perturbare possis peruersos, id est remouere à malis, nil aliud est quàm fouere & oleũ lignis addere. Idcirco sanctus Thomas de huiusmodi correptione publicè exercenda locutus ait: Non debet prelatus manifestum peccatũ impunitũ dimittere: Quia hæc correptio cùm sit actus iustitiæ, habet in se vim coactiuã & ordinatur ad cõmune bonum. Et ideo si delinquens, sponte propria emẽdare non vult, per pœnas cogendus est, vt peccare desistat, tum etiam & si corrigibilis sit, per punitionẽ eius prouidetur bono cõmuni, dum seruatur ordo iustitiæ, vt vnius exemplo alij deterreantur: Altera verò cùm sit actus charitatis, ad vnumquemque vicissim pertinere dignoscitur, propter id quod scriptum est: Vnicuiq; pręcepit Deus curam habere de pro-
Eccl. 17. ximo suo. Idcirco & superior siue prælatus, si deliquerit cùm sit suo subdito proximus, potest ab illo corrigi. Verùm in correptione huiusmodi mod⁹ cõgruus adhiberi

Delinquẽs quãdo per pœnas cogendus sit.

debet,vt non cum proteruia & duritia,sed cum mansuetudine & reuerentia fiat. Et ad hunc sensum Paulus allocutus Timothæum,ait:Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem. Sic ergo intelligentes pręmissas,scripturam concordem reddemus,quæ per Mosen mandat, vt palàm corrigatur frater, & ex aduerso vt inter te & ipsum solum huiusmodi correptio fiat. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

1. Tim. 5. Leu. 18. Mat. 18.

CONTRA PO. CCCXXXII.

Qveniam omnes Dij gentium dæmonia. *Psal. 95.*
Dij gentium non dæmonia. sed homines fuêre. *Poëtæ.*

Si omnes Deos gentium dæmonia esse existimauerat Vates regius, cur Deos gentiũ mortales fuisse homines nobis tradidit antiquitas? Vtiq; si homines fuêre, non ergo dæmonia. Idcirco vt & pręmissa à cõtradictione seruemus illæsa,arbitramur dicendum,æquiuocationem latere in huiusmodi, cùm non accipiatur Deus vniformiter in illis. Profectò in prima pro Diis gẽtium accipiendum nouimus. Quorum primum colendũ ac venerandum tradiderat Ninus rex Babyloniæ. Ipse enim *Sap. 14.*
patre suo mortuo,simulachrum seu statuam erigens, ipsam summa reuerentia veneratus est, eámque à populis venerari mandauit: ita vt etiam reis ad eam confugientibus parceret. Inde progressu temporis homines huiusmodi decepti errore, cœperunt hanc statuam venerari *Dan. 14*
vt Deum, quem alij Bel, alij autem Baal, alij verò Baa- *3. Reg. 16*
lim, sed & alij Beelzebut secundum varietatem lingua- *1. Reg. 12*
rum vocauere. Quos & sacra Scriptura, tanquam diui- *4. Reg. 1.*
nitate vacuos ac omni numine carentes spernit ac despi- *Exod. 20*
cit,vocãs illos dęmonia, quia in horum simulachris dæ- *Psal. 95.*
mones latitantes hominésque fallentes dabant responsa, quo errore pariter decepti nonnulli reges Israël, hos *3. Reg. 20*
Deos falsidicos venerati sunt in excelsis, vt Regum historia sæpius attestatur. Veruntamen post aliquorũ curricula temporũ, alius error surrexit similis huic de Diis gentium vbique terrarum inhábitãtium. Hi enim con- *Act. 14*
spicientes aliquos homines nonnullis pollere virtuti-

*Psal.*113. bus,diuinum eis exhibentes honorem, vt Deos venerati sunt; statuas siue simuachra argentea & aurea erigentes in titulum post illorum mortem, Deósq; immortales esse credentes. De quibus in lib. Sap. fit mentio, dum *Sap.*13. dicitur: Multitudo hominum abducta per speciem operis, eum qui ante tempus, tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum existimauerunt. Qui error quantum fuerit mortifer, liquidò patet ex eo, quòd per hunc cultum à Deo viuo & vero honorem aufert, & creaturæ cuius non est, confert, æquátque creaturam creatori. De his enim Diis, quos prætulimus, Homerus poëta vnà cũ Cicerone & Plinio locutus dixerat, Deum esse vim quãdam per vniuersum fusam, qui dum esset in æthere, Iuppiter omnium Deorum pater & genitor dicebatur, dum verò in aere Iuno, dum mare perambulat Neptunus, dũ in terra Pluto, dum in focis domesticis Vesta, dum in fabrorum fornace Vulcanus, dum in syderibus Sol, Luna, & Stellæ, dum autem in diuinationibus Apollo, dum verò esset in merce Mercurius, dum in tempore Saturnus, dum in bellis Mars, dum in frumentis Ceres, dum in syluis Diana, dum in ingeniis Minerua. Et sic de singulis quibuscunq; fuerunt opinati. De quibus August. in lib. 4. cui titul. de Ciuitate Dei inscribitur, latè dixerat. Qui Dij sic nuncupati, non dæmonia, sed homines mortales & peccatores maximi extitere dum viuerent, modo autem æternis suppliciis cruciandi sunt deputati. Hos *Galat.*4. & Paulus in suis Epistolis tanquam falsidicos Deos desspicit & contemnit. Et sic patet quid ex prædictis adhæc fuerat dicendum.

CONTRAPO. CCCXXXI.

*Gene.*8. NOë ædificauit altare Domino.

1.*Reg.*14 *Saul primùm cœpit ædificare altare Domino.*

Si Noë postquam de arca exierat primum fuisse legimus, qui altare ædificauerat Domino (nam tollẽs de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocaustum domino super altare, vt Moses refert) cur ex aduerso dicitur in sequenti, ꝙ Saul Rex Israel fuit pri-

mus, qui cœpit ædificare altare domino? Nam postquam percusserat Philistæos à Magmas vsque in Aialon (vt Regum attestatur historia) tollens de ouibus & bobus, quos prædatus fuerat populus, obtulit eos in holocaustum Domino. Nam si Noë (vt præfati sumus) prius altare ædificauerat, quomodo verum erit quòd Saul primum altare ædificauerit? Profectò primum & non primum (vt cernimus) contrariè se offerunt. Idcirco & hanc, vt seruemus à contradictione, placuit dicendum ad secundam, quòd non excluditur per illam, quòd Noë prius non cœperit ædificare altare domino, sed intelligendum est, quòd Saul post habitam illam victoriam de Philistæis primus ædificauit altare, super quo animalia illa obtulit domino in holocaustum. Idcirco & præfatæ sententiæ præmittitur illud aduerbium TVNC. Sed his dimissis & sententiam Pauli secuti, qua dicitur, omnia in figura contigisse patribus, arbitramur dicendum, quòd de spiritali altari, quod est fides, potissimum iudicamus esse intelligendum in præmissis, sine quo nec Noë, nec Saul potuerunt offerre sacrificium gratum domino. Nam de hoc spiritali altari Paulus allocutus Hebræos, ait: Impossibile est sine fide placere Deo, cuius altaris signum fuerant illa altaria visibilia lignea vel petrea, quæ Noë pariter & Saul ædificauerant. Vtique quodlibet munus quod Deo offerimus, siue sit prophetia, siue doctrina, siue oratio, siue sit hymnus vel psalmus, non potest Deo esse acceptum, nisi fidei sinceritate fulciatur. Et propterea cùm tale aliquid oblaturi sumus in corde nostro, id est in interiori Dei templo, offeramus illud super altare fidei, vt Deo sit gratum. Extat adhuc & aliud altare inuisibile, quod & nobilius dicitur eo quod sublime & supercœleste est, super quo non animalium sanguis, vt olim in lege non in terris, sed in cœlis fidelium ac sanctorum animæ cõtinuè offeruntur ab illo summo & magno sacerdote, de quo idem Paulus in illa Epistola, cuius titulus ad Hebræos inscribitur, ait: Hic autem eò quòd manet in æternum, sempiternum habet sacerdotium, vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum

1.Cor.10.

Fides altare nostrum dicitur.

Heb.11.

Num. 18

Heb.7.

ad Deum ad interpellandum pro nobis. Ad quod altare non accedit iniustus, nec vinolentus, sed solus ille securus accedit, qui ad illud fidei in terris prius accesserit: Nam in isto sublimi & cœlesti, vitam suam inueniet, qui in illo fidei suam causam prius decernerit: qui enim sic vtiliter facit, de sancta hac Ecclesia egrediens, ad altare Dei sublime intrat fœliciter, assumpturus in sacrificium. Ad quod admittendi non sunt, nisi qui in terris degētes vitámq; bonam ducentes, membrū Christi hîc per gratiam fuerunt effecti, vt illic postmodum fieri mererētur per gloriam. Et sic concordes redduntur præmissæ.

CONTRAPO. CCCXXXIIII.

Leu. 19. *NOn oderis fratrem tuum in corde tuo.*

Luc. 14. *Qui fratrem non odit, non est dignus Christo.*

Si diuino oraculo pluribus in locis prohibitū est ne quispiam fratrem suum odio habeat, cur ex aduerso mandauit Christus fratrem vnà cum parentibus odio haberi? Nónne ipse est qui prophetarum oraculis tot veritates locutus est? vnde ergo venit, quòd fratrē odio habendum mandat in Euāgelio, si olim præceperat eum non odire? Meminimus aliâs nos dixisse, quòd ex illa parte, qua quis cognoscitur frater esse, nullatenus odio habendum esse, sed diligendum: stat enim vt quisque diligat hominem, & odio habeat peccatorē. In ipso enim vno qui malus est, & fratrem habes quem diligas, & peccatorem quem odio habeas: Non ergo oderis in eo carnem & animā, quod Deus fecit, sed odio habe malitiam, quam ipso consentiēte diabolus intromisit. Frater enim noster est omnis homo, conditione terrenæ natiuitatis, & mortalitatis, & etiā spe cœlestis hæreditatis, quia nescimus quis quid futurus sit, quoniam aut Iudęus, aut hęreticus, aut paganus, fortè enim per misericordiam Dei conuertetur ad Deum, & inter sanctos primum locum habere merebitur: sic autem diligendus est omnis homo, vt ei velis prouenire quod tibi, id est vt ad regnum correctus reuocatúsque perueniat. Nam si sic hominem etiam malum dixeris, & hoc sancto & pio animo fece-

Frater quomodo odio habendus.

Omnis homo quomodo diligendus sit.

ris, vices cœleſtis medici agis,odio habens morbum, & ægrotum diligens. Accidit enim ſæpenumero, vt cùm hominem malum dilexeris eíque benefeceris, quantumlibet ſit impius, & crudelis, barbarus, & cruentus, tamen tandem aliquando erubeſcet & dolebit de reatu & pœnitere incipiet. Nec primæ obſtat ſequens,quam & aliàs explanatam reliquimus,dicentes, ꝙ quando imminente tentatione ſic nobis frater foret impedimento, vt niſi ipſum odio habentes, regnum æternum minimè adipiſci poſſemus,quod primum & ante omnia quærendum eſt. *Mat.6.* Non enim in huiuſmodi fratrem tenemur diligere, quẽ ſic crudelem & impiũ eſſe cernimus, cum religio & cultus cæteris omnibus (vt præmiſimus) præponendus ſit: Et talis videtur eſſe ſenſus iſtius ſecundæ. Nec ſic odire fratrem,& vitioſum, ſed multum laudabile conſonúmque diuinis Scripturis, quia ſic non imaginem Dei, ſed malitiam hominis odis. Et ſic non ſolùm fratres,ſed pariter & parentes odire iubemur,cum tales ſunt, vt nobis *Luc.14.* obſtent in itinere Dei. Sic autem peccatores oderat ille, qui in pſal.cecinerat, dicens: Iniquos odio habui. Et ſic *Pſal.118.* patet quid dicendum.

CONTRAPO. CCCXXXV.

SAlutare Dei viderunt omnes fines terræ. *Pſal.97.*
Salutare Dei extra terram promiſſam inuiſum. *Mat.15.*

Si ſalutare Dei qui Chriſtus dicitur in ſcripturis,terram illam promiſſam patribus non exierat, idcirco inuiſus alibi (vt atteſtantur Euangeliſtæ) cur regius Vates ſpiritu præuentus ponens præteritum pro futuro dixit in pſalm. quòd omnes fines terræ viderunt hoc ſalutare Dei? Non enim hæſitandum eſt,quin de Chriſto homine litera intelligenda ſit in vtraq;.Nam ſic illum vocauerat ille ſanctus & iuſtus Simeon, dum eleuatus in ſpiritu templum ingreſſus & Deo gratias agens dixit in Cantico: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Idcirco & *Luc.2.* huic reſpondentes, vt moris noſtri eſt, dicendũ placuit, ꝙ non de corporea & extrinſeca viſione huius ſalutaris intelligendũ eſt Vatem fuiſſe locutum in prima, quinpo-

Psal. 97. et Esa. 51 tius de ſpiritali & intranea, quæ per fidem ſolum habetur, qua videtur & cognoſcitur Deus, prout ſtatui noſtro cóngrùit. *Deus per fidem cognoſcitur.* Nam licet ipſe Chriſtus limites terræ ſanctæ non exierit, quo ad ſuam perſonalem præſentiam, exierat tamen ſonus & fama nominis eius denuntiata *Luc. 10.* populis per ſanctos Apoſtolos ab eo miſſos, & taliter, vt omnis terra repleta eſſet. Nam Paulus vt ipſemet atte- *Rom. 15.* ſtatur Romanos alloquens ab Hieruſalem vſque ad Illyricum per circuitum Chriſti Euangelium repleuit. Matthæus verò prædicatione Iudææ expleta, perrexit Macedoniam, quæ ſibi in ſortem prædicationis aduenerat. Demum inde recedens vſque ad Aethiopiam, ſuam prædicationem protraxit. Sed & Bartholomæus ad Indiam pergens & Licaoniam, officium ſibi iniunctum exercuit fideliter. Thomas vero Mediam, Perſidem, & Hircaniam, & vltrò ad Orientalem plagam ſe transferens, interna gentium penetrans, ſua prædicatione omnes has regiones repleuit. Simon pariter pergens Aegyptum, ſuam prædicationem ibidem exercuit. Et ſic de ſingulis quibuſcunque Apoſtolis idem poteſt referri, qui ſingulas prouincias ſua prædicatione luſtrantes, totum repleuerunt orbem, & taliter vt locum haberet oracu- *Psal. 18.* lum de illis prænuntiatum, quo dicitur: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, & taliter vt omnes termini coadiacentium regionum reſpectiuè potuerint aliqualem notitiam recipere fidei prædicatæ ab illis, & ſic ad Chriſtum conuerti ſuſcipientes baptiſmum in nomine eius. Sit ergo harum primæ talis ſenſus, quòd omnes fines terræ viderunt, hoc éſt, potuerunt audire de hoc ſalutari Dei è cœlis miſſo pro omnium redemptione. Nec huic obſtat altera, ſtante hoc ſenſu, quia (vt præfati ſumus) licet ipſe Chriſtus ſuam non exhibuerit perſonalem præſentiam niſi terram illam promiſſam inhabitantibus, affuit tamen ſpiritualiter ac interna præſentia in omni ciuitate & loco, quò ipſe per fidem erat venturus, vt atteſtatur Lucas: quæ præmiſſæ ſic intellectæ prima redditur *Luc. 10.* concors ſequenti.

CONTRAPO. CCCXXXVI.

HOmo datus fuit in manu consilij sui.
Non est hominis via eius, alibi.

Si homo relictus est in manu consilij sui (vti Sapiens fuit attestatus) vnde hausit gemebundus Propheta, quòd via hominis non erat eius, vt in sequenti subiungitur? Profectò si via hominis non erit eius, falsum opinatus est Sapiens præmittens oppositum. Quibus Manichæus ille hæreticus diceret, quod taliter post lapsum primi parentis fuit debilitatum liberum arbitriũ in tota posteritate, vt homo amplius nõ habeat potestatem bene viuendi. Cui opinioni nonnulli nostrę tempestatis hæretici pariter consentientes, dixerunt: Liberum arbitrium non esse amplius dominum suorum actuum, ipsumque in homine non agere, sed potius pati. Et sic hi concorditer asserunt, facultatem liberi arbitrij omnino nullam esse in homine. Quæ si sic intellexerimus, prima nullatenus erit contraria sequenti. Pelagiani verò econtrariò sic efferunt liberum voluntatis arbitrium, vt gratiæ Dei locum non videantur relinquere. Nã gratiã Dei atque eius adiutorium non ad singulos actus necessariò dari asserunt, sed in hominis esse libera facultate etiam omnia perfectionis opera per liberum solùm arbitrium perficere. Hoc autem solùm diuinæ gratiæ tribuunt, quòd talem hominem condiderit Deus naturæ, vt hæc posſit. Sed relictis his vanis & suspectis opinionibus, respondentésque catholicè, arbitramur dicendum hominem habere liberum voluntatis arbitrium, in malum quidem per se, in bonum verò gratia Dei mouente & adiuuante, iuxta illud Oseæ: Perditio tua ex te Israël est, tantummodo in me auxilium tuum. Hanc autem libertatem liquidò insinuauit Deus, dum Cain alloqueretur, dicens: Nónne si bene egeris recipies? si autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Et in Deuteronomio: Considera inquit quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & econtrariò mortem & malum, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius. Et per Esaiam dicit, popu-

Eccle.15. *Hie.10.* *Oseæ 13.* *Genes.4.* *Deut.30.* *Esa.1.*

lum Iſraël alloquens: Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Et alibi in Scripturis multæ habentur auctoritates prænotatis conformes. Auguſtinus verò de libero arbitrio locutus ait: Liberum arbitriũ huc atque illuc ſic flectitur, vt malè vti malus poſsit, & bene bonus, ſed non niſi ex Deo bonam voluntatem habemus. Paratur enim voluntas à Domino, qui operatur in nobis velle & operari. Et alibi dixit: Non poteſt homo aliquid velle boni, niſi adiuuetur à Deo qui nos adiuuando præuenit, iuxta illud, Miſericordia eius præ-

Pſal.58. ueniet me, voluntatem videlicet mouendo vt bonum velit. Sed diceret quiſpiam: Si Deus voluntatem præuenit vt bonum velit, quomodo liberi arbitrij erimus? Dicimus, quòd Dominus dat gratuitò, vt bonum velimus: verùm quia omnia ſecundum ſibi inditã naturam gubernat, voluntatem quam liberam condidit, mouet quidem, vt liberè velit, non autem neceſsitate compel-

Chryſoſt. lit, iuxta illud Chryſoſtomi dicentis: Deus nolentes non cogit, ſed volentes trahit. Nam ſi ipſe vult, nos autem nõ volumus, ad noſtram ſalutem nihil proficiunt ea, quæ alioquin efficacia ſunt, non quia infirma ſit eius voluntas, ſed quia neminem vult cogere. In libertate itaque hominis ſitum eſt aſſentiri vel diſſentire diuinæ volũta-

Eccle.11. ti, parere vel ſpernere eius motionẽ, iuxta illud Sap. Ante hominẽ vita & mors, bonũ & malum, quod placuerit dabitur ei. Hieronymus verò cõtra Iouinianum ait, Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia neceſsitate trahimur, alioquin vbi neceſsitas eſt, ibi nec damnatio nec corona eſſe debet. Et infrà ait: Cõditi ſumus liberi arbitrij: ſed ipſum liberũ arbitriũ Dei nititur auxilio, illiusq; per ſingula ope indiget. Dat itaq; Dominus vt bonũ velimus, per voluntatẽ verò noſtrã liberè acceptamus & volumus bonum. Dum autem bonum volumus, nobis cooperatur Deus vt perficiamus, ſicut nos vt velimus. Quamobrẽ dicamus ei illud Eſaiæ:

Eſa.26. Omnia opera noſtra operatus es Domine. Cõcludentes igitur dicamus ad alteram, quę ſecundo loco poſita fuit, quòd via hominis idcirco eius non eſſe dicitur, quia ex

ſe non habet vt bonum agere poſsit, vt præfati ſumus: Nam ſolus Deus eſt, qui hominē præuenit, voluntatem mouendo vt bonum velit, licet nō neceſsitate illū compellat. Stat enim in poteſtate noſtra vt cordis noſtri oſtium aperientes, lumen ſiue ſplendorem ſuæ gratiæ, quo omnem hominem illuminare dicitur, ſuſcipiamns: quæ ſic intellecta maximè conuenit alteri, quæ dicit & atteſtatur, hominem fuiſſe derelictum in poteſtate ſui conſilij vt bonum ſiue malum ad libitum facere queat, licet alterū homo non poſsit perficere ſine Deo, qui nobis ſic cooperari ſtatuit, teſte Chryſoſtomo, vt quæ volumus perficiamus. Homo enim liberè cooperatur diuino auxilio perueniente & ſubſequenti. Nam ſic liberum in nobis confitemur eſſe arbitrium, vt dicamus nos ſemper indigere auxilio, & tam illos errare iudicamus qui dicūt cum Manichæis, hominem peccatum vitare non poſſe, quàm illos qui cum Iouiniano aſſerunt hominem non poſſe peccare. Vterque enim tollit arbitrij libertatem. Et ſic patet ex prædictis, quid dicendum fuit ad præmiſſa, quæ abſque vlla contradictione ſeruantur.

Ioan. 1.
Eccle. 15.

CONTRAPO. CCCXXXVII.

Deum pœnituit regem conſtituiſſe Saulem. *3. Reg. 15*
Non eſt homo Deus, vt pœniteat. *Ibidem.*

Mirum quippe videtur, quòd Samuel, cui Deus prius dixerat: Pœnitet me quòd conſtituerim regē Saul, Saulem allocutus dixerit de Deo: Quoniā non eſt Deus ſicut homo vt pœniteat. Quibus, præter id quod de pœnitere Dei aliâs locuti ſumus, dicendum placuit, quòd non eſt intelligendum, more hominum, pro tranſactis operibus ſuis Deum pœnitere. Qui omnia nouit antequam fiant, pro præteritis factis ſuis pœnitere non poteſt. Sed pœnitere Dei, eſt ſtatuta mutare, & quod prius aliter inchoatum fuit, in aliud mutare. Hoc autem fit, aut de bono culpis exigentibus in malum, ſicut in propoſito de Saul legitur eum pœnituiſſe, quòd conſtituerit illum regem. Et pariter ſicuti modò videmus in populo Iudæorum factum, qui cùm eſſet populus Dei pe-

Pœnitere Dei quid ſit.

culiaris,ob impietatem ſuam facti ſunt ſynagoga ſathanę. De malo verò in bonum mutatus fuit Deus,dum po-
Oſeæ 2. pulum gentium, qui antea non populus Dei dicebatur, ſibi populum dilectum fecit. Hanc verò mutationem de bono ad malum,ſiue de malo ad bonum,quæ occulto iuſtóque iudicio Dei,ſeu per ſeueritatem iuſtitiæ,ſeu
Pœnitentia Dei quæ dicitur. per miſericordiam eius fiat, pœnitentiam Dei dicimus. Cùm enim Deus opera ſua mutat per incõmutabile conſilium ſuum,propter ipſam non conſilij,ſed operis mutationem pœnitere dicitur Deus, cùm non aliud ſit eius pœnitere(vt diximus)quàm ſentẽtiæ mutatio,cùm non pœniteat cuiuſquam facti ſui. Vtique dum pœnitere dicitur,vult non eſſe aliquid, ſicuti fecerat vt eſſet, ſed tamen vt cùm ita eſſet, ita eſſe debebat. Sicut enim quædam laudabilia hominum non rectè dicuntur in Deo, ſic quædam culpabilia hominum rectè intelliguntur in Deo,ſed non vt in hominibus, ſed vocabulum tantummodo communibus,longè alia ratione ac modo. E conuerſo autem non pœnitere dicitur Deum, dum ſtatuta ſua nullo modo mutantur,vt eſt illud:Iurauit Dominus
Pſal.119. & non pœnitebit eum. Et ſic præmiſſis intellectis in nullo prorſus contrariantur.

CONTRAPO. CCCXXXVIII.

Eccleſ.3. ALtiora te ne quæſieris.
Coloſ.3. *Quæ ſurſum ſunt,quærite.*

Si altiora nobis interdicimur quęrere, vti Sapiẽs pro documento reliquerat, cur doctor gentium ex aduerſo ſe oppoſuit, docens ea fore quærenda à fidelibus
Mat.6. quę ſurſum eſſe noſcuntur? cui pariter & Chriſti ſententia adſtipulatur, monens regnum cœlorum primùm & ante omnia eſſe quærendũ. Nónne præmiſſa concilian-
Roma.11. tes placuit dicendum,quòd per primam illa nobis interdicuntur quærenda,quæ fidei menſuram videntur excedere? cùm vnicuique Deus taxauerit ſuam portionem,
Epheſ.4. ſecũdum menſuram donationis Chriſti,vltra quam nemini quærere licet? Ad quem ſenſum forſan Paulus allocutus Romanos ait, Dico autem vobis per gratiam

quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem, & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Profectò in illa ſententia magis videtur culpanda temeraria præſumptio, quàm cauta ignoratio. Non enim in huiuſmodi quæſitione homo debet excedere gradum ſeu periodum ſibi præfixam à domino, ne ſecus faciens in illam incurrat ſententiam, qua dicitur: Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Quo ſenſu ſtante, ſequens non contradicit primæ, qua monemur à Paulo, vt qui cum Chriſto ſurreximus à peccatis, in quibus manentes eramus mortui Deo, non amplius quæramus ea quæ ſunt ſuper terram, quinpotius ambulantes in nouitate vitæ, quæramus diligenter quæ ſuper cœlos ſunt. Ad quem ſenſum Paulus allocutus prænotatos Romanos dixit, loquens de Chriſto: Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in morte, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Quod vt facilius faceremus, promiſit ſe fore coadiutorem nobis vſque ad conſummationem ſæculi. Non igitur ab illis qui patrem habent in cœlis, quærenda ſunt amplius quæ ſunt ſuper terram. Vtique dedecus eſt homini, cui hæreditas eſt expectanda in cœlis, ea quęrere quæ in terris ſunt, ac illa plus diligere quàm Deum. Idcirco illa à nobis quærenda ſunt, quæ nunquam deeſſe poſſunt. Nam (vt Apoſtoli vtar ſententia) ea quæ videntur, temporalia ſunt: quæ verò non videntur, ęterna. Non ergo ſint nobis impedimento terrena, quibus cœleſtia parata ſunt, vti ſanctus ille Leo docuerat. Nam quidquid in terris quęritur non nobis ſufficit, etiam ſi inueniatur, vt beati ſimus. Quanquam præmiſſa non minus de donis naturalibus, quàm de gratuitis poſsint intelligi, quæ Deus naturæ vnicuique tradidit ſecundum propriam virtutem & captum, quibus vnuſquiſque debet eſſe contentus, nec altiora quærere, cùm eius captus ad maiora non extendatur. Et ſic ex præmiſsis liquidò patet quid fuit dicendum.

Rom.12. *Prou.25.* *Coloſſ.3.* *Rom.6.* *Mat.28.* *Mat.25.*

CONTRA PO. CCCXXXIX.

Prou.4. *Vias quæ à dextris sunt nouit Dominus.*
Ibidem. *Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram.*

Cur dixit in altera ne declines in dexterã, neque ad sinistram, cùm potius dicere debuisse videatur, tene dexteram, & ne declines ad sinistram, si bonæ sunt viæ quę à dextris sunt? nisi quia ita viæ sunt bonę, quę à dextris sunt, vt in dexteram tamen declinare non sit bonũ? *In dexteram declinare.* Vtique in dexteram declinare aliud esse nõ iudicamus, nisi dũ quis seipsum decipit, dicendo se sine peccato esse, cui de directo repugnat illa Ioannis sententia, quæ *1.Ioan.2.* dicit: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. In sinistram verò declinare quis dicitur, dum per nescio quam peruersam atque prauam securitatem, se tanquam impunè dat peccatis. Qui ergo ipsa bona opera, quę ad vias dexteras pertinent sibi vendicare curauerit, & non Deo hic in dexteram declinare dicendus est. Idcirco cùm dixisset Sapiens: Vias enim quæ à dextris sunt, nouit Dominus, continuò subiunxit, dicens: Peruersæ autem sunt quę à sinistris sunt, ac si quærenti se, respondendo diceret: Ob hoc nõ vult Deus vt declines in dexteram, quia ipse est qui cursus tuos faciet rectos, & in pace producet itinera. Vt ergo noueris te rectos facere gressus non declinans ad dexteram neque ad sinistram, hoc à Domino Deo tibi misericorditer præstari iudicabis, qui tibi tribuit vt hoc faciens, non declines ad dexteram, quamuis suo fauore ambules in viis dextris, non confidens in virtute tua, sed in eo qui virtus tua dicitur: Noli ergo declinare neque ad dexteram, neque ad sinistram, quamuis laudentur viæ quæ à dextris sunt, & econtrariò vituperentur quæ sunt à sinistris: Scientes quòd vias quæ à dextris sunt solus ille nouit, qui solus sine peccato fuit, in cuius ore (vti Petrus attestatus est) dolus non fuit inuentus. Epilogando ergo quę suprà prætulimus, dicimus quòd ille ritè dicitur non declinans in dexteram, qui superba præsumptione iustitiæ in itinere non incedit: pariter in sinistrã non declinare dicẽdus est, qui secuta de-

Declinãs ad dexteram quis. *Prou.4.* *Prou.4.* *Psal.159.* *Prou.4.* *Petr.1. & 2.*

lectatione peccati nō videtur incedere. Sic ergo (vt prætulimus) incedentes, recto itinere dicuntur incedere, quousque cursu completo, terram illam promissionis ingrediantur fœliciter. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CCCXL.

IVstifica animam tuam. Eccl. 14.
Non iustifices te ante Deum. Eccl. 7.
Si Sapiens de iustificatione locutus, prohibuerat ne quispiam tantæ temeritatis esset, vt auderet se iustum facere ante Deum, cur infrà ac si pœnituisset quod primum dixerat, subiunxit ex aduerso, dicens: Iustifica animam tuam? Nónne Propheta languidus locutus de huiusmodi iustificatione dixit: Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me? Idcirco & has conciliantes (vt moris nostri est) arbitramur dicendum, quòd harum altera de perfectione iustitiæ intelligenda est, quam homo ex se nullatenus consequi valet, cùm non possit se ad illam extendere, propter id quod scriptum est: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Sed altera speciatim intelligenda est de iustificatione illa, qua homo suam dicitur iustificare animam, in æqua diuisione sortis, quam aliquando facere consueuerat inter se & conseruum suum, dando vel accipiendo sortem, vt altera pars sententiæ hanc præcedens videtur innuere. Sic enim continet sententia, vt dicat: In diuisione sortis, da, accipe & iustifica animam tuam. Quæ iustificatio licet in hac parte reddat hominem laude dignum, non est tamen sufficiens ipsum facere dignum Deo per omnia, qui solus per fidem dicitur iustificare hominem. Vel dicamus si placet, quòd per hanc primam sententiam hortatur homo, vt quantum in se est, suam iustificet animam. Quod & tunc fructuose facere dicitur, dum humiliter suum accusans reatum, dicit cum Propheta regio: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: cui & concors fuerat ille, qui huiusmodi sic disposito ait: Narra si quid habes vt iustificeris. Sed secundum septuaginta interpretes, Dic tu prior

Iob 9. *Psal. 142.* *Eccl. 14.* *Eccl. 14.* *Galat. 3.* *Psal. 50.* *Esa. 34.*

iniquitates tuas vt iuſtificeris. Semper enim Deus
Eſa.50. ob ſuam innatam bonitatem paratus eſt iuſtificare hominem, qui & ſemper iuxta nos eſt, vt nos iuſtificet, vti ille nouerat, qui ait, Iuxta eſt qui iuſtificat, dummodo huiuſmodi iuſtificationi homo non ponat obicem. Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque aliqua contradictione illæſa.

CONTRAPO. CCCXLI.

Dan.3. B*Enedicat terra Dominum.*
Pſal.29. *Nunquid confitebitur tibi puluis?*

Si terra vnà cum cęteris creatis introducitur in triũ puerorũ Cantico, ad laudandũ & benedicendum Deum
Pſal.50. opificem omniũ, cur regius Vates, cui incerta & occulta ſapienitæ diuinæ fuerant reuelata, hanc non eſſe terræ proprietatem iudicauit, dũ ait: Nunquid, id eſt non confitebitur tibi puluis? Idcirco nobis elaborandum eſt, vt & iſtas concordes reddamus: dicamus ergo literam primæ ſic non eſſe intelligendam, vt ſonat, eſt tamen ſenſus, quo ipſam intelligere valeamus. Neque enim terra, neque cætera elementa habent ſenſum, neque vocem, neque os, vt Deum laudare ſeu benedicere queant, ſed tranſumptiuè & impropriè hoc dicitur de terra, quę pro
Terra mater eſt omniũ viuentium. modulo ſuo inuitatur cum omnibus quę generantur in illa, vt benedicat Deum, eò quòd ipſa ſit mater omnium generabilium & corruptibilium, & recipit è cœlo omnes actiuas influentias exiſtentes rationes ſeminales, ipſi terrę inditas in initio temporum, ad vtilitatem, tam hominum quàm animalium. Inuitatur inquio, vt benedicendo in laudem Creatoris prorumpat, & ſic confeſſionem veritatis acquirat hominibus. Hoc autem facit, dum iuxta mandatum ſibi à Domino datum germinat
Gene.1. & fructificat, dans ſemen ſerenti, & panem comedenti. Et taliter vt quantùm in ſe eſt, excitet hominem concreaturam ſuam, vt accipiẽs ex fructibus à ſe productis, Deum pariter laudet & benedicat. Idcirco ad ſpiritalem ſenſum hæc deducentes dicamus, quòd de terra illa potiſsimùm ſententia eſt intelligenda, de qua Propheta

vaticinio præuentus ait ad Deum conuerſus: Memento Domine quoniam terra ſumus. Ipſe enim tanquã prin- Pſal. 102. ceps creaturarum omnium inuitatur ad benedicendum Deum, qui eum de terra formauit, & tribuit ei linguam & os vt benediceret Dominum. Et quòd laudare Deum quàm maximè competat homini, patet expreſsè per illud quod non ſine myſterio Dauid dixit in pſal. Nam poſtquam inuitauerat omnes creaturas tam cœleſtes quàm terreſtres ad laudandum Deum, ibidem terminans ſuum pſalterium ait: Omnis ſpiritus laudet Dominum, pro quo Hebraica veritas habet, omnis Neſama. Quæ dictio interpretata, portionem illam diuinã, quam Deus inſufflauit in primum hominem, nobis repręſentat. Hæc enim terra (vt præfati ſumus) vt apta & idonea redderetur ad Deum benedicendum, prius benedicta Pſal. 84. fuit ab illo, qui ex ea carnem ſuſcipiens, ſic illam emundauit ab omni fæce & ſanctificauit, vt idoneam faceret ad producendum fructum bonorum operum. Quod & regius Vates præuidens in ſpiritu decantauit in pſal. di- Pſal. 84. cens: Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Sic ergo intellectis præmiſsis, in nullo prorſus contrariantur.

CONTRAPO. CCCXLII.

Homines & iumenta ſaluabis Domine. Pſal. 35.
Nunquid de bobus cura eſt Deo? 1. Cor. 9.

Si homines & iumenta (Propheta teſte) ſaluanda ſunt, cur ex aduerſo dixerat doctor gentium, Deo non eſſe curam de bobus, qui in iumentorum numero ſunt? Et huic pariter reſpondentes, placuit dicendum, quòd licet prænotatæ ſententiæ videãtur in ſe cõtrarium ſenſum continere, tamen rectè illas intelligentibus, vnicus earundem videbitur intellectus. Idcirco ſi cauſa hominis & pecorum inſpiciatur, manifeſtabitur veritas. Omnium enim curam gerit Deus, quaſi omnium opifex, ſed nõ ſeruat pecora propter ipſa, ſed propter homines, non homines propter pecora. Itaque qui hominũ curam gerit, cuſtodit pecora, vt non illi cura ſit de bobus ſed de

Deus curam gerit omnium.

hominibus. Quæ enim ſpes in pecoribus? ſed de his huc uſque. Aſcendentes verò in altiora placuit dicendum, quòd illi homines ſaluandi ſunt, qui tanquam rationalia iumenta vtentes ratione, ſuppoſuerunt ſe iugo legis diuinæ, de quorum numero extiterat ille, qui Deum allo-
Pſal. 72. cutus ait in pſal. Ego autem vt iumentum ſum apud te: & ſecundum hunc ſenſum Pauli ſententiam intelligendam iudicauimus, propter id quod illi ſtatim ſubnecti-
1. Cor. 9. tur, dum ibi dicitur: An propter nos vtiq; hæc dicit? Vel dicamus ſi placet, quòd hoc in loco per iumentum intelligenda eſt pars animalis ſiue corporea, quæ ſi bene ſe geſſerit, vnà cum ſpiritali & ipſa pariter ſaluanda erit, dum incorruptionis dotem recipiet in fine temporum.
1. Cor. 15. De qua doctor gentium locutus, ait: Oportet corruptibile hoc accipere incorruptionem. Ipſa enim iterum coniuncta animæ, ſimul cum ea glorificabitur cœlum aſcédens, perpetuo laureanda præmio. Sic ergo præmiſsis intellectis, nil contradictionis in ſe continent.

CONTRAPO. CCCXLIII.

Exo. 23. *PAuperis quoque non miſereberis in iudicio.*
Pſal. 40. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.*

Si Deus legẽ præbens Iſraëlitis mandauerat, vt nulla prorſus admiſſa miſeratione, perſona pauperis acciperetur in iudicio, ait enim: Pauperis quoque non miſereberis in iudicio, cur Vates regius huic decreto ſe oppoſuit, commendans in pſal. ac beatum celebrans virũ qui intelligit ſuper egenũ & pauperem? Nónne per primam ſententiam, vt liquidò patet, præcluditur via miſerendi pauperis, quem tantùm commendatũ fecerat Do-
Deut. 15. minus per os omnium prophetarum? Dixerat enim per
Tob. 4. Moſen: Aperias manum tuã egeno & pauperi. Thobias pariter filium adhuc tenellum inſtruens, ait: Noli auer-
Eccl. 7. tere faciem tuam à paupere. De paupere etiam Sapiens
Miſericordia in iudicio quomodo facienda. locutus ait: Pauperi porrige manum tuam. Ob quod ad iſtam dicendum placuit, quòd licet præmiſſa videantur contraria, nihilominus omnipotens Deus ſic mãdat, & vult miſericordiã fieri in iudicio cum homine paupere, vt propter hoc nõ deſeratur iuſtitia. Tunc enim dicimur

illi misereri, dum illo punito multi immunes reddũtur, ne morbida facta pecus totum ouile corrumpat. Misereri enim pauperi debemus, quem ad nostram cernimus factum imaginem, sed non ob hoc deserēda est iustitia, ne reus penitus seruetur immunis à pœna, quam sic peccans meretur. Nec putes ô homo, quòd ad te misericordia pertineat, iudicium autem non ad te pertineat. Dum enim causam audis inter duos quorum duorum vnus est diues, & alius pauper, vt contingit vt pauper habeat causam malam, diues autem bonam, iam si tu non es eruditus in regno Dei, videris tibi benefacere si quasi pauperis miseratus abscondas & cõtegas iniquitatem illius, & velis eum iustificare, vt quasi causam bonam habere videatur. Et si reprehensus fueris quòd malè iudicasti, quasi de misericordia respondes, Noui & ego scio, sed pauper erat, misericordia ei debebatur: quomodo tenuisti misericordiam & perdidisti iudicium & iustitiam? Non ergo sic faciendum est, vt ob misericordiam talem, iudicium deseratur. Misericorditer enim punitur vnus, vt multi saluentur. Per hanc enim sententiam domini, qua præcipit ne pauperis persona accipiatur in iudicio, admonemur ne persona diuitis pariter accipiatur. Nam si personam pauperis accipiat quis & dicat: Faui pauperi, nũquid ob hoc quia iniustè facit, placebit Deo? qualem enim misericordiam fecisti in eum, cuius iniquitati fauisti? Pauper iste iniquus remansit, & tanto iniquior, quanto te quasi hominem iustum fauere vidit iniquitati suæ, à te remansit iniustè adiutus, à Deo accessit iustè iudicandus & damnandus. Qualem ergo misericordiam præbuisti ei, quem iniustum fecisti? Ecce crudelior inueniris quàm misericordior. Quid ergo inquis facerem? iudicares primò secundum causam, argueres pauperem, flecteres diuitem. Alius est enim iudicandi locus, alius petendi: quando enim ille diues videbit te tenuisse iustitiam, & non erexisse iniqui pauperis ceruicem, sed pro merito peccati sui te eum obiurgasse iustè, nónne flectetur ille potius ad misericordiam petenti, qui lætus redditus erat te iudicãte? Et sic patet quid fuerat dicendum.

Pauperi quomodo sit miserendum.

CONTRAPO. CCCXLIIII.

1. Reg. 2. DEus ditat & Deus pauperem facit.
Act. 10. *Deus non est acceptor personarum.*

Quomodo saluari poterit hæc sententia, quòd Deus videlicet non sit acceptator personarum, si ipse & ditare & depauperare dicatur hominem? Nónne sic eo agente intellectus humanus cæcutiens auderet dicere eum non esse iustum? Quod & omnino absurdum & impium ac alienum à fide iudicamus de Deo dici, qui vbilibet iustus ac omni iustitia plenus dicitur in Scripturis. Concilantes ergo præmissa placuit dicendum, quòd his verbis sancta illa fœmina, ne pauperem contemnendum doceret, & econtrariò diuitem honorificandum, ostendit opificem amborum esse Deum, non vtique in paupertate & diuitiis, sed in eo quod sunt. Si enim facultatibus ab inuicem discrepant, non tamen naturæ substantia. Nec enim quia prouentus quosdam faciunt in mundo, aut prosperi in diuitiis sunt, aut infausti in paupertate, idcirco despiciendi sunt, quos Deus non illuminauit, aut suscipiendi quibus veritas non dedit testimonium. Contemnendi planè sunt corruptores morum, & sacrilegi in lege Dei. Honorandi verò diligentes Deum & disciplinæ cultores. Hi enim diuites apud Deum habentur, qui bonæ conuersationis sunt, & quanto in mundo contemptibiliores sunt, tanto honorificentiores sunt in cœlo. Nam qui beneficium temporis habent in ampliandis facultatibus, si recognoscant & intelligant Dei voluntatem, qui terram omnibus dedit, & solem suum cunctis oriri iubet, iniquitas autem temporis aut fortuitæ occasionis, aut indigentia quibusdam abneget, quæ Deus omnibus dedit, ipsi ministrant eis, non solùm in mundo hi diuites sunt, sed in cœlo pariter erunt. Illi verò quos paupertatis causa despiciendos putant, si futurum Dei iudicium contemplentur, illic semper diuites erunt, vbi diuites sæculi egebunt pœnitentes se pauperes non fuisse. Quanquam primam iuxta mysticum exponentes sensum possemus ad illam dicere, quòd de duplici populo intelligenda sit, videlicet de Iudaico

Psal. 118

Diuites veri qui sint.

Psal. 113.
Mat. 5.

Iudaicum populũ de

& de Gentili, quorum primum tunc Deus depauperasse dicitur, dum regnum & cætera bona gratiæ abstulit ab eo, & ad alterum transtulit, id est, gentilem, quem sic ditauit donis cœlestibus, vt filios Dei & hæredes regni fieri concesserit his qui credunt in illum. Idcirco hi qui primo tempore bonis spiritualibus repleti fuerant, nunc obcæcati mendicant scientiam & intelligentiam scripturarum, nec illam inuenire merentur. Sed gentiles qui prius pauperes & famelici fuerant, qui nunquam legem habuerunt nec Prophetas, nunc saturati sint, & diuites effecti donis gratiarum. Proinde & nos si diuites esse cupimus in hoc sæculo & delectamur aliquid possidere, Deum qui in omnibus diues est, & qui omnia ex nihilo creauit mente studeamus habere, & in eo habeamus quæcunque fœliciter & sanctè desideramus. Sed quia nemo possidet Deum, nisi qui possidetur ab eo, simus nos ipsi facti Dei possessio, & efficietur nobis possessio Deus. Nam quid potest esse in mundo fœlicius, quàm qui efficitur suus creator, census & hæreditas? Quid vltrà quęrit, cui omnia suus redemptor esse debet? Et sic ex prædictis patet quid ad præmissa fuerat dicendum.

pauperauit Domi nus.
Ioan.1.
Iudæi obcæcati.

CONTRAPO. CCCXLV.

Opera Dei reuelari honorificum est. *Tob.12.*
Opera Dei reuelarē interdictum à Christo. *Luc.5.*

Si opus Dei reuelare & confiteri honorificum esse agnouerat Tobias docente Raphaële angelo, cur Saluator noster ex aduerso mandauit leproso mundato, ne cuiquam diceret, vt refert Euangelista? Nónne præmissa conciliantes præter id quòd aliâs nos dixisse recolimus, arbitramur dicendum, opera Dei esse consideranda in duplici genere, quædam videlicet indifferenter omnibus reuelanda, vt nota ac scita ab aliis gloria Domini magis ac magis augeatur? quem ritum seruauerat ille, qui tanquam præco Dei in psalm. dixerat. Narrabo opera Domini. Et alibi eadem opera contemplatus, ait Deum allocutus: Mirabilia opera tua Domine Christus

Opera Dei duplicia sunt.
Psal. 117
Psal. 138

Luc.8. pariter mandauit à se curato à dæmonio, vt enarraret quanta sibi fecisset Deus. Sed his obiiciens diceret forsan quispiam, cur liberato à dæmonio mandat Christus, *Luc.5.* vt narret quanta sibi fecerit Deus, & econtrario interdicit leproso, ne cuiquam dicat: Nónne ambo ab eodem filio Dei curati fuerant? Idcirco & huic respondentes obiectioni arbitramur dicendum, quòd forsan Christus ob hoc mandauit alteri, vt palàm faceret quanta sibi fecisset Deus, quia ipse, & forsan domus eius tota, ad quam post curationem miserat eum fidelis erat. Di- *Luc.8.* xerat enim ei curato, Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecerit Deus. Sed leproso curato, per plateas & vicos eunti ac diuertenti ad angulos viarum, vbi crebrò populi multitudo inuenitur mandat, vt nemini dicat, ea forsan causa, ne increduli & peccatores commorantes in huiusmodi locis, in quibus sæpius inhonesta dicuntur & prophana operantur, participes redderentur. His verbis innuens, quantum exhorruerit testimonium commorantium in his locis. Ea verò opera, quæ sacramentis & mysteriis plena esse agnoscũtur, non permittit Christus vt non nisi quàm paucis aperiantur, do- *Mat.13.* cente eo qui ea quæ de regno Dei reuelanda à patre acceperat, duntaxat Apostolis nota fecit. Concludentes ergo præmissa, dicimus nullatenus ipsa contraria esse, quia prima sententia de Dei operibus communicabilibus tam dignis quàm indignis intelligenda est, sed alteram de operibus Dei mysteriis & sacramentis plenis nouimus fuisse dictam. Hæc enim non nisi mundatis ac purificatis mentibus reseranda sunt. Secus autem faciens, tanquam proditor diuinæ legis puniendus est. Idcirco Paulus ne ex illo genere esset, allocutus Corinthios, dixit: Sapientiam loquimur inter perfectos. Et ne hæsitares de qua sapientia loqueretur, protinus addidit, di- *1. Cor. 2.* cens: Sapientiam verò non huius sæculi, sed loquitur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est. Et sic ex prędictis liquidò patet, quę opera Dei reuelanda sunt, & quæ retinenda, ne indigni & peccatores participes efficiantur.

CONTRAPO. CCCXLVI.

Sterilitas vtriusque sexus in lege prohibita. *Deut.7.*
Non est spernendus spado si non generet. *Esa.36.*

Si indifferenter ne quispiam sterilis esset in populo à Domino mandatum fuit, cur in sequenti dicitur nō obesse spadoni si non generet? Nōnne idem Deus, qui primum mandauerat per Mosen, mandauit pariter & alterum per Prophetam denuntiari? Vnde ergo ortum habuit ista mutatio in illo, qui alibi per alium Prophetam dixerat: Ego sum Deus & non mutor? Idcirco mo- *Malac.3.* rem sequentes nostrum, dicendum placuit ad istam (quam & sine vlla contradictione nouimus esse) quoniam Iudæi cæcutientes aliter quàm dictum fuerat per Mosen intelligere cœperant, idcirco Esaias ostendit postea, quo sensu dictum est spadoni, ne ipse diceret conquestus: Ecce ego lignum aridum: cùm enim hoc ex causa offensi Dei sententiæ loco positum esset, quia de- *Esa.6.* serentes Deum in eo percutiebantur, ne ducentes vxores semen relinquerent, si hoc eripuit error humanus, vt putarent reos esse apud Deum, si qui aut vxores nollent, aut accipientes vt asserunt generare non possent, quasi nihil aliud quàm semen quæreret Deus, sicut arguuntur per Malachiam Prophetam. Idcirco Esaias vt *Malac. 2* spadones consolaretur, quos mala intelligentia contristauerat, docuit nil obesse, si quis aut non posset habere filios, aut nollet, dummodo legem Dei seruaret. Maledictum tamen illis competebat, qui cùm possent ac vellent, diuino obstante iudicio, steriles erant, ne fructum haberent creationis Dei, quem spernebant. Vnde cùm spadones viderent aut se non posse generare, aut genitos minimè posside re cognoscerent, indignantis Dei iram se incurrisse credebant. Nam & sancti viri cùm cupidi essent filiorum, & non id obtinerent, existimabant peccata obstare & dolebant, ignorantes Dei esse prouidentiam cuique seruabantur. Denique ad Dei procurationem, & Anna concepit & peperit Samuelem, & Elisabeth Ioannem, & vxor Manue Sansonem. Idcirco spiritalis intelligentia in hac causa ista est, vt maledicti habeantur, qui non reliquerint semen, quòd videat

Sterilitas quæ male dicta in lege.

1.Reg.1. *Luc.1.* *Iud.13.*

Deum, ſic enim interpretatur Iſraël,hoc eſt,qui non habuerit filium,aut ſeruum aut proximum, quem non inſtruxerit,& educauerit ad cognoſcendum Deum. Et hūc iudicauimus eſſe verum ſenſum primæ,dicant quicquid velint cæci Hebræi, obtenebrati & obcæcati in cortice literæ, & habentes oculum ad carnis poſteritatem duntaxat. Lex enim ſpiritalis eſt,inquit ille: Aut ſi contrariū putent fuiſſe Eſaiam Moſi,nobis autem ſufficit vnicum Deum locutum fuiſſe ore amborum, & ab illo ſpretum eſſe omnem qui non reliquerit ſemē in Iſraël, ſiue tunc cum populo ſecundum carnem propagando, ſiue nunc ſpiritalē prolem gignendo,hoc eſt fructū bonorum operum.Non enim dixit Deus,vt noſtra traductio continet: Creſcite & multiplicate, quinpotius creſcite & fructificate,vt non expertes iudicentur qui hunc fructum carnis non relinquerēt. Debet ergo homo pro modulo ſuo fructum gignere,ne tanquam infructuoſa arbor ſit maledictus à Chriſto,qui nos idcirco tanquā agricultores eligēs in ſuam locauit vineam, & illam fideliter & ſolicitè cultiuantes, fructum centeſimum reportemus ex illa, permanſurum nobiſcum in æternum.Et ſic ex præmiſsis liquidò patet, quòd illa diuina ſentētia ore Moſi prolata, ne videlicet quiſpiam ſterilis reperiatur in populo, tempora vtriuſq; Teſtamenti mira breuitate complectitur.

Rom.7. *Gene.1.* *Fructum quem generare debet homo.* *Mar.11.* *Mat.13.*

CONTRAPO. CCCXLVII.

Leu.1. *Hiere.7.*

Libamina offerenda præcepit Dominus.
Libamina offerre Dominus non mandauit.

Si dominus(teſte Moſe) mandauerat libamina offerre, cur gemebundus propheta locutus voce Dei dixerat: Holocauſta veſtra congregate cum ſacrificiis veſtris, & manducate carnes, quia non ſum locutus ad patres veſtros, neque mandaui illis, ab illa die qua eduxi eos de terra Aegypti? Et huic pariter conciliantes placuit dicendum,quòd ſi penitus aduertas de libaminibus & ſacrificiis,non de hac re facit quæſtionem: nec mentitum Dominum, aut immutatum putes,vt vnum mandaret, poſtea negaret. De huiuſcemodi libaminibus, ni-

hil inuenitur mandaſſe, de quibus nunc apud alterum ſe locutum teſtatur. Idcirco duo genera ſacrificiorum nobis contemplanda occurrunt, vnum videlicet quod per ſingula genera offerri mandatum eſt: aliud autem quod voluntarium dictum eſt: illud enim quod per diuerſa genera, ſiue pro peccatis, ſiue pro primogenitis offerri pręceptum eſt, quid, & quale, & quomodo offerendũ eſſet, mandatum eſt. Sacrificiũ autem voluntariũ non vtique mandatum eſt, quia arbitrio remiſſum eſt, vt ſi aliquis voluiſſet offerre, quod illi viſum fuiſſet, offerret. Voluntaria enim erant hæc ſacrificia: quia negligenter & improuidè hæc offerebant non deliberantes, quia qui offerret potentiori, munera electa offerret. Idcirco dicitur eis: Non mandaui vobis de his, ſed ſi vultis debetis quæ digna ſunt offerre. Manifeſtum eſt itaque ortas eſſe querelas, quia cùm voluntaria ſacrificia offerrent, non in his Deum honorabant offerentes indigna, cùm hæc vtique non eſſent neceſsitatis. Si enim mandata fuiſſent neceſſitate, videbantur qualiacunque offerre: quando autem arbitrio ſuo hæc offerebant, talia debebant offerre, ex quibus exequium in ſe Dei oſtenderent. Sed quia animus illorum, cupiditate idolorum errabat, inconſideratè hæc agebant. Igitur duplici genere exprobrabantur præfati, quia & iniqua agentes Deo audebant offerre, & quæ indigna erant offerebant: cùm iniqui actus non ſacrificiis redimantur, ſed lamẽtatione & miſericordia. Inquit enim Scriptura ore diuino: Miſericordiã volo pluſquam ſacrificium. Sed Iudæi cùm iniuſti eſſent & immiſericordes, propitium fieri Deum oblationibus arbitrabantur. Sicut & nunc quidam ſpernentes iuſtitiam, oblationibus laudari ſe putant. Bona eſt enim oblatio, ſi ſeruetur iuſtitia, & non negligatur miſericordia: quia quod nobis petimus, aliis præſtare debemus, aliter Deum propitium habere non poſſumus. Et ſic ex prædictis patet quæ libamina præcepta, & quæ non.

Sacrificiorum duo genera.

Hiere. 7.

Mat. 9.

Oblatio quando bona dicatur.

CONTRAPO. CCCXLVIII.

Sap. 1.
Eccleſ. 1.

Sapientia habitare renuit in corpore ſubdito peccatis.
Sapientia habitauit cum Salomone peccatis ſubdito.

Si ſapientia taliter exhorru erat maleuola m animam, vt nullatenus illam introire d ecreuerit,nec minus habitare in corpore ſubdito peccatis , cur ex aduerſo illam nouimus habitaſſe cum Salomone, qui vitam mundam non habuit,quinpotius mulierum amore nimis delectatus , eſſectus eſt odioſus Deo & peccator maximus ? Et hanc cōciliantes placuit dicendū, ꝙ ſapientia qua Salomon omnes Orientales ſuperauerat , non ſuis precibus
Ecclef.1. duntaxat ſibi acquiſierat petens illam ſibi à Deo dari, ſed regni merito:ſicuti & Nabuchodonoſor regni meri-
Danie. 3. to vidit Chriſtū in camino:ſed potius dicas, quòd quicquid Salomon à Deo conſecutus fuerat, hoc & meritis ac precibus patris ſui Dauid imputandum eſt , qui ante mortem ſuam filium adhuc tenellum in regio ſolio collocans,ad Deum conuerſus petiuit,dicens:Deus iudiciū
Pſal.71. tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis. Sed hæc ad myſticum deducentes ſenſum , placuit dicere, & forſan melius , quòd per ſapientiam in primo intelligendam, non illa quæ indifferenter poteſt ſtare , tam cum homine peccatore,quàm cum iuſto figuratur,ſed illam nouimus intelligendam,quæ patris ſapientia dicitur in Scripturis,quam non obtinuit Salomon dum voluptatibus carnalibus irretitus , cor deprauatum taliter habuit, vt mulierum amore correptus,etiam excelſis immolauerit
3.Reg. 3. idolis.De illa verò quam ex patris vberibus cōtinuò e-
Iaco.3. manare nouimus,locutus Iacobus ait: Quæ autē de ſurſum eſt ſapientia,primùm quidem pudica eſt,deinde pacifica,modeſta,ſuadibilis , plena miſericordia & fructi-
Sapientia Salomonis quæ fuit. bus bonis . Licet illam obtinuerit Salomon ad plenum quæ de rebus inferioribus eſſe dicitur, quam & Cabaliſtæ Bath,id eſt,filiam nominant.De hac enim oraculum dicit : Deus quoque dedit ſapientiam Salomoni & pru-
3.Re.4. dentiam multam nimis &latitudinem cordis,quaſi arenam quæ eſt in littore maris.Et iterum , Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium
Ibidem. & Aegyptiorum, & erat ſapientior cunctis hominibus: ſed longè inferior fuit eius ſapientia illa ſuprema ſuprà memorata,quæ(vt prætulimus)cùm ſit pudica & caſta,

nullatenus poteſt habitare in corpore ſubdito peccatis. Et ſic præmiſſæ concordes redditæ,nullam in ſe contradictionem continent.

CONTRAPO. CCCXLIX.

ANima quæ peccauerit ipſa morietur. *Ezec.18.*
Achan peccante.36.viri mortui ſunt. *Ioſue 7.*

Si Deo ſic ordinante & mandante decretũ eſt,vt anima quæ peccauerit ipſa moriatur,cur peccante Achã mortui ſunt pariter 36. viri,qui ob prænotati cæſi,occiſi fuerunt à viris Hai,vt in libro cui titulus Ioſue inſcribitur,legimus? Quibus,vt ordinem vſitatum ſeruemus, placuit dicendum:quia enim Achan filius Charmi tulerat aliquid de anathemate, idcirco mandante Domino, lapidibus occiſus eſt ab vniuerſo populo.Illi verò 36.viri,qui in pugna fuerunt mortui,non vtique preſsi à Deo fuerunt,ſed non adiuti.Imbecillitate enim ſua,dum for titer facere nequiuerant, occiſi ſunt. Achan ergo cauſa hæc præſtitit vel obfuit, quia qui adiuuari habuerant, à Deo neglecti ſunt. Hinc ergo fuit quòd Ioſue princeps populi contriſtatus excidit veſtimenta ſua, quia intellexit Deum adiutorem ſuum auxilium ſubtraxiſſe in hoc loco.Ob quod pronus cecidit in terram coram arca Domini vſque ad veſperam,tam ipſe,quàm omnes ſenes Iſraël,& dolens dixit conuerſus ad Deum : Heu Domine Deus, quid dicam videns Iſraël hoſtibus ſuis terga vertentem? cui & Deus reſpondens,ait : Peccauit Iſraël, & præuaricatus eſt pactum meum,tulerúntque de anathemate,& furati ſunt atque mentiti & abſconderunt inter vaſa ſua.Idcirco non ero vltrà vobiſcum,donec cõteratis eũ qui huius ſceleris reus eſt. Nec alteram iudicauimus aliter explanare quàm ſæpius declaratam reliquimus.Et ſic patet quid dicendũ.

CONTRAPO. CCCL.

COnfundantur qui dicunt alicui,Euge,euge. *Pſal.69*
Laudandus qui dixerit,Euge,euge. *Mat.25*

Si cõfundẽdus eſt(Dauid teſte)qui euge, euge di-

xerit alicui, cur Saluator noster seruu m fidelem citans eúmque commendatum faciens, dixit: Eu ge, euge serue fidelis? Nam quod in malam partem acceper at Propheta regius, hoc bonis meritis dignum Saluator ostendit. Et huic pariter, quam illæsam ab omni contradictione esse cernimus, placuit dicere, quòd sicut i obtrectatores Dauid, cùm exitiis eius fauerent, gratulabantur malis e-
2. Re. 16. ius (dum enim ille pressuras & angustias pateretur à Sau-
2. Re. 18. le & filio suo Absalon, illi rectè & bene fieri dicebant, ac si aliquis diceret de eo qui iniurias patitur, Bene illi, hoc est gaudere in malis, hoc est dicere, rectè illi fit, sic enim meretur) simili modo & Saluator lætus in bonis operibus pronuntiat meritum hominis, dicens: Euge ser-
Mat. 25. ue bone & fidelis. Exultat enim Dominus, quia seruum dignum se fecit, dicens: Bene hoc est, rectè egisti, vtinam maius meritum collocares. Vnum igitur verbũ duabus contrariis causis aptatur aliquando. Nam solemus de aliquo dicere, Adiudicatus est. Sed quomodo dicatur, causa, aut subsequens, aut prædicatio declarat: aliquando enim ad bonum dicitur, aliquando ad malũ, sicuti & cõcupiscentia, interdum ad malum, interdum ad bonũ refertur: ad bonum enim aptatur, dum dicitur in Psal. Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas. Ad malum autem ecõtrariò aptatur, dum Saluator ait: Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœ-
Psal. 118. chatus est in corde suo. Et sic ex prædictis liquidò patet,
Mat. 5. quo modo istud aduerbium euge, quod hortandi dicitur, indifferens est, vt ad bonum sicut ad malum accipiatur.

Concupiscentia quãdo bona, et quã do mala dicatur.

CONTRAPO. CCCLI.

Psal. 45. D*Eus exercituum cum Israelitis erat.*
Psal. 43. *Deus exercituum longè aberat ab illis.*

Si Deus exercituũ, sic enim interpretatur Zauaoth, pro quo hoc in loco, Deus virtutũ, habet nostra traductio, erat cũ illo populo Israëlitico, tanquã protector, defensor & adiutor, cur idem regius Vates tanquã diffisus de tali adiutore dixit in alio Psal. Deus non egredie-

iis

ris in virtutibus nostris? Nam si cum illis non egrediebatur ad præliandum, quomodo erat illis Deus exercituum? Quibus respondendum iudicauimus, dicentes quòd bene stat, quòd Deus moram faceret cum sachina, id est, in congregatione Israël, ac habitaret cum illo populo, quem sibi tanquam peculiarem & hæreditarium elegerat, iuxta illud: Hæreditas mea Israël, & quod ob demerita populi non egrederetur aliquando cum exercitu ad præliandum, sicuti facere consueuerat, dum ante illum procedentes superabant & expugnabant nationes, sed non prius illo inconsulto, sed accidit vt prætermisso hoc ordine, populus nimis de se præsumens, ad bella procederet. Idcirco hoc præuidens Dauid, quòd futurũ videlicet esset in posterum, dolens ait conuersus ad Deũ: Et non egredieris Deus in exercitibus nostris, quasi diceret Propheta: Scio & bene scio, quòd tu Deus non egredieris in auxilium populi, nimis de se pręsumentis & cõfidentis in sua virtute quæ nulla est. Sed si placatus exieris, in tua virtute exibis, vt protegas, & defendas nos, qui solus tribuis salutem Israël. Noui enim quòd manus tua Domine gentes disperdidit, afflixisti populos, & expulisti eos. Nec enim in gladio suo patres nostri posséderunt terram, nec brachium eorũ saluauit eos, sed dextera tua & brachium tuũ, quoniam complacuisti in eis. Idcirco, ne Propheta ex illo genere esset hominum nimis de se præsumentium, & gloriantium in virtuté propria addidit in prænotato Psal. dicens: Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluàbit me. Quẽ sic præliantem in Domino cernens Abigail vxor Nabal Carmeli dixit ad eum conuersa: Prælia Domini tu Domine præliaris. Nam moris eius erat, vt procedens ad bellum benedicens Deum diceret: Benedictus dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Nouerat enim Dominum præstare virtutem & fortitudinem populo in se confidenti. Idcirco dixerat in alio Psal. Dominus virtutem populo suo dabit. Sed econuerso illa sancta fœmina de populo nimis de se præsumente, ait, Et de se præsumentes ac de

Sachina quid. *Esa.19.* *Psal.43* *Ibidem.* *1.Reg.15.* *Psal.143.* *Psal.28.* *Iud.6.*

ſua virtute gloriantes humilias.Conciliantes ergo præmiſſa, dicimus quòd Deus cum illo populo ſemper manet,ac cum illo ad præliãdum egreditur, qui ſpem ſuam

Prou.21. locat in ſolo Domino,qui ſolus dat ſalutẽ in Iſraël, qui & victoriam tribuit populo in ſe confidenti.Et ſic patet quid fuerat dicendum.

CONTRAPO. CCCLII.

Eſa.54. *LAuda ſterilis quæ non paris.*

Ibidem. *Multi filij ſteriles fore denuntiantur.*

Si ſterilis dicta eſt, cui natura ob aliqua impedimenta intranea prolem parere negauit,cur vt laudet hortatur,quia multi filij ei⁹ ſurrecturi ſunt?quomodo enim filios parere poterit,cui opem negauit ſeu ſubtraxit natura? Quia ergo præmiſſa allegoricè intelligenda ſunt, idcirco literam modo omittendo dicamus, duas eſſe figuratas matres hoc in loco, cœleſtem videlicet, & ter-

Gala.4. reſtem Hieruſalem.Hanc & matrem noſtram eſſe dixerat Paulus,quam & liberam eſſe nouerat.Alteram verò ſeruire dixit cum filiis ſuis,hoc eſt Iudæis.Propheta ergo aduentum Domini prædicans, tempus gratiæ plenũ

Eſa.54. in exultatione vocis obteſtatur Hieruſalem cœleſtem, quæ ideo dicta fuit deſerta, quia inhabitantes filios generatos per fidem adhuc non habebat,licet poſtmodum multo plures habuerit quàm ſynagoga virum habens.

Eccleſia cur dicta fuit ſterilis. Hæc idcirco ſterilis dicta eſt,quia virgo erat,ſed non infœcunda,non per commixtionem carnis, ſed per ſolam fidem,ſpiritales filios paritura erat.Hancvt lętabundam matrem in domo facere habitare decreuerat De⁹,vt Vates regius in Pſalm.dixerat, ponens præſens pro futuro, ac ſi hoc myſterium haberet præ oculis,ait enim : Qui habitare facit ſterilem in domo,matrem filiorum lętantem . Non parere ergo dicta fuit hæc deſerta & ſterilis,

Pſal.112. quia quæ parturit,dolores patitur.Hæc verò in lętitia ſalutis humanæ exclamat & gaudet.Et ſic patet ex prædictis quid dicendum.

CONTRAPO. CCCLIII.

M*Aledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.* Hier. 48.
Qui gladio percusserit, gladio morietur. Mat. 26.
Si maledictus dicitur per prophetam, qui gladiū suum à sanguine prohibet, cur Christus diuinæ legis conditor econtrariò id fieri interdixerat, nō solùm prohibens Petrum effundere sanguinem, sed pœnam percutientis in gladio, subiungens, Qui gladio percusserit, gladio morietur? Huic quoque, præter id quod de gladio aliâs ad plenum locuti sumus, & modo Paulū secuti placuit dicendū, quòd per gladium iudiciaria potestas, *Rom.* 13. non ab re hoc in loco intelligenda est, qua iudicio boni defenduntur, & mali econtrariò puniuntur. Nam prenotatus Apostolus locutus de principis potestate in illa epistola quæ ad Romanos directa est, sub gladij nomine ait: Non enim sine causa gladium portat princeps, Dei enim minister est. Hanc quippe potestatem in delinquentem hominem exercendā qui prohibet, Dei proculdubio maledictionem incurrit. Qua in re, ne ex illo Hier. 48. genere præsidentium esset Timothæus, indixerat sibi 2. *Tim.* 4. præceptor Paulus, dicens: Argue, increpa, in omni patiētia & doctrina. Accidit enim plerunque, vt nō correctus delinquens in multitudine efficiatur peior. Idcirco ne presidens ob timorem humanū à correctione cessaret, hortatus est eum regius Vates, vt potentissimè hoc gladio accinctus, valenter exerceat hanc sibi traditam po- *Psal.* 44. testatem. Ne secus faciens præsidēs iudicium incurrat sequentis sententiæ, qua dicitur: Qui gladio percusserit, gladio morietur. Euenit autē, permittente Deo, vt is qui constitutus in presidentia, preter id quod delinquentem corrigere neglexerit, ob quod & talis supra modum peccans effectus est, ipse pariter peccator efficiatur, & cadat hoc gladio percussus, de quo fit in altera mentio, & sic ambo lethaliter percussi hoc gladio (per quē hoc in loco peccatum figuratur) morti succūbant, præsidens videlicet non corripiēs, & delinquens nō correctus. Quibus diuina cōminatio facta est, que dicit: Et in peccato vestro moriemini, quo videlicet per vosmetipsos, tāquā *Ioan.* 8.

Peccatum dicitur gladius aliquando

per gladium transfixi, vulnerati estis. Nec alio gladio percutiẽdi sunt omnes peccatores terræ, quàm isto, iuxta illud: Nemo lęditur nisi à seipso. De huiusmodi gladio pariter locutus est alter, qui ore diuino vaticinans, ait:
Amos 9. In gladio morientur omnes peccatores populi mei. Idcirco diligenter inuigilet is, cui ex præsidẽtia gregis curam gerere conuenit, ne secus faciens, illud horrendum Dei iudicium incurrat, quo dicitur: Si me dicente ad
Ezec. 3. impium, Impie morte morieris, non fueris locutus, vt is custodiat impius à vita sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requirã. Vel aliter respondentes ad primam dicamus, quòd de illo sententia intelligenda est, qui opus sibi à Domino iniunctum nõ fuerit executus, vt clarum habemus exẽ-
1. Reg. 15. plum de Saule rege Israël. Ipse enim vt Regũ narrat historia, non exercuit gladium suũ contra Amalech vsque ad internicionem omnium, dicente sibi domino, Nunc ergo vade & percute Amalech, & demolire vniuersa eius, non parcas ei, sed interfice à viro vsque ad mulierẽ atque lactantem, bouem & ouem, camelum & asinum. Ipse verò Saul his non obtemperans pepercit Agag regi Amalech, & optimis gregibus ouium & armentorũ, vestibus & arietibus, & vniuersis quę pulchra erãt, nec voluerunt disperdere ea. Ob quod Deus concitatus ad irã decreuit deponere eum de regno, dicẽte Samuele Saul, Pro eo ergo quòd abiecisti sermonẽ Domini, abiecit te Dominus ne sis rex. Sic ergo intellectis præmissis redduntur concordia.

CONTRAPO. CCCLIIII.

2. Re. vlt. D*Auid peccauit grauiter numerando populum.*
3. Reg. 15. *Dauid non peccauit nisi in negotio Vriæ.*

Si Dauid rex, vt Samuel refert in Regum historia, postquam numerauerat populũ Israël à Dan vsque Bersabee, confessus est se grauiter peccauisse coram Domino, ob quod supplex effectus & humilis veniam sibi elargiri petiit, dicens conuersus ad Dominum: Peccaui valde in hoc facto, sed precor Domine vt transferas ini-

quitatem serui tui, quia stultè egi, cur Hieremias eodẽ perunctus flamine, attestatus est in tertio libro Regum Dauid sic rectũ fecisse in oculis Domini, vt non declinauerit ab omnibus quæ sibi prçceperat Deus cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Ethæi? Non enim præmissa, vt liquidò cernimus, simul stare possunt. Qua in re & ea conciliare curantes, placuit præmittendam esse distinctionem hanc, dicentes, Aliud esse contra præceptum facere, aliud præter præceptum. Qui enim contra præceptum facit, reus constituitur. Et ob hoc per legem puniendus est, quæ mortem minatur huiusmodi transgressori, nisi per pœnitẽtiam ab errore expurgetur. Qui verò præter legem commiserit aliquid, hic licet in facto huiuscemodi displiceat Domino, nõ tamen sic grauiter puniendus est sicut prior qui legẽ transgressus est. Qua in re arbitramur dicendũ in proposito, ꝙ rex Dauid populum prænotatũ numerans, nõ fuit transgressor decalogi, nec minus alterius mandati Domini, qui sibi specialiter prohibuerit, ne huiusmodi numerationẽ faceret. Peccauerat tamẽ tanquam curiosus & nimis de se præsumens, cùm in hoc facto non consuluerit Dominũ, vt moris eius erat facere. Errauit enim nesciens ꝙ non in multitudine est virtus Domini, neque in equorũ viribus volũtas eius est, vt nouerat illa sancta fœmina. Nec considerauit quòd solus Dominus est, qui ab initio bella conterit, & quos in sua virtute gloriari conspexerit, humiliat ac prosternit. Nec meminerat se in Psalm. dixisse. Dominus fortitudo mea & robur meũ. Et alibi, Tu es Deus fortitudo mea. Sed hoc peccatum comparatum adulterio Bersabeæ & homicidio Vriæ coniugis, minimum esse iudicauit Hieremias, quia hoc non poterat redimi, nisi interueniente morte propria delinquentis. Et hæc forsan causa fuit, quare Hieremias in commendatione bonæ conuersationis & vitæ ipsius Dauid, non curauit aliter mentionem facere de huiusmodi peccato ab ipso rege commisso in populi numeratione, aut forsan quia minimũ credidit, aut forsan quia iudicauit illud ad plenum fuisse purgatum in cæde crudelis epidimiæ

3. Reg. 15.

Dauid quomodo peccauit in numeratione populi.

Iud. 9.

Psal. 45.

Psal. 30.

Psal. 42.

3. Reg. 15

illatæ in populo ob peccatũ commiſſum. Ob quod furorem Domini excitauerat contra ſe, vt in initio prænotati capituli præmiſſum eſt, dũ dicitur, Et addidit furor Domini iraſci contra Iſraël: Qui furor pariter commouit Dauid vt populũ numeraret. Super quo paſſu dicit quædam gloſa, ꝙ pro qualitatibus ſubditorum diſponuntur acta regentium, vt ſæpe pro malo gregis, etiam veri boni delinquat vitæ paſtoris. DAVID enim (DEO teſte) laudatus, tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccauit, & populus pœnam ſuſcepit, quia ſecundum meritum plebium diſponuntur corda rectorũ. Peccatum verò populi illius, vt nonnulli opinantur, fuit rebellio eius contra DAVID ſequẽdo Soba filium Botri, qui erat homo peſsimus & ſeditioſus, propter quod populus erat puniendus. Quod & factum fuit per peſtilentiam illam immiſſam à DEO ſuper huiuſmodi populum. Quibus ſic intellectis & expoſitis, ſaluantur præmiſſæ ſententiæ abſque vlla contradictione illæſæ.

2. Re. vlt.

CONTRAPO. CCCLV.

2. Reg. 12 *DAuid peccauit ob adulterium Berſabeæ.*

3. Reg. 15. *Dauid non peccauit niſi in ſermone Vriæ.*

Si DAVID nõ peccauerat (teſte gemebundo Propheta) nec tranſgreſſus eſt viam DOMINI cunctis diebus vitæ ſuæ, niſi in negocio, vel potius dicas, niſi in homicidio Vriæ Ethei, (vt prætulimus) quomodo verum erit quòd peccauerit etiam in adulterio Berſabeæ, cum qua coierat ſuo viuente viro? Vtique adulterium nõ minus quàm homicidium prohibitum fuiſſe legimus in decalogo, cur ergo eum prætermiſit Hieremias? Huic quoque, quæ nullam in ſe controuerſiam continere videtur, dicendum placuit, quòd dum prænotatus Propheta atteſtatus eſt, quòd DAVID non fuit traſgreſſus vias DOMINI, excepto ſermone Vriæ, non ob hoc attẽdit excludere peccatũ adulterij, quod in Berſabeæ Vriæ cõiuge DAVID cõmiſerat, quia & ipſa pariter ad Vriam maritũ pertinebat, cuius ipſe caput erat. Nam, vt Apoſtoli ſententia vtar, vir & mulier pro eadem carne ſumuntur, iuxta il-

lud : & erunt duo in carne vna. Fœdans ergo vxoris thorum, fœdauit pariter & thorùm mariti. Quod peccatum vnà cum homicidio, ita graue repertum fuit coram Domino, vt nullatenus inueniretur hostia quo deleri & redimi posset, nisi morte propria delinquentis, vt prætulimus sæpius. Quod in se cogitans prænotatus rex, mœstus effectus & dolens post reatum commissum dixit ad Deum conuersus: Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem, supple trucidati pecoris. Sed noui te non placari ob huiusmodi animalium sacrificium, qui per legem tuam mandas, vt qui occiderit occidatur, & opprimatur lapidibus qui commiserit adulterium. Qua in re, pacatus Deus ob humilitatem & pœnitentiam prælibati regis, decreuit moderari pœnam, quam pro peccato cómmisso merebatur Dauid, illud remittendo per pœnitentiam quantum ad culpam, & quantum ad pœnam temperando illam. Quia licet ipse Dauid homicida esset, & dignus morte, tamen Deus victus sua clementia, noluit ipsum mori in propria persona, prout lex mandauerat, sed mortem istam in filium transtulit genitum ex adulterio, quia caro filij, caro patris dicitur. Hoc autem factum fuit sine iniuria tribunalis iustitiæ cui mortem pueri placuit suscipere vice patris adulterantis & occidentis hominem. Quemadmodum suscipere decreuerat ante temporum initia mortem vnigeniti filij Dei in redemptionem omnium præuaricationum, tam prioris quàm nouissimi testamenti. Quæ transgressiones aliter expiari nequiuerant, nisi mortem subiret ille qui peccatum non fecerat, nec dolus inuentus fuit in ore eius. Ipse enim homini sic lapso compatiens, adiens prænotatum tribunal iustitiæ exquirentis vindictam & sanguinem contra huiuscemodi genus infectum, dixit conuersus ad tribunal, Holocaustum, videlicet cuiusuis animalis, non postulasti pro hoc peccato tam graui & enormi, quod minimè potest redimi. Idcirco nec totum genus æterna morte pereat, ecce ego venia, vt pro homine mortem patiar. Et sic fuit translatum peccatum totius humani generis, in ipsum vnigenitum filium Dei:

1. Cor. 6. *Gene. 22* *Peccatū Dauid graue.* *Psal. 50.* *Leu. 24.* *Ibidem.* *Caro filij caro patris est.* *Heb. 6.* *1. Pet. 2.* *Psal. 19.*

qui carnem sumere in tempore, ac mortem in illa subire decreuerat. Et sic patet quid fuerat ad præmissa dicendum.

CONTRAPO. CCCLVI.

Eccl.1. *Omnis sapientia à Domino Deo est.*
Iac.3. *Non est ista sapientia de sursum.*

Si omnis sapientia (vt Sapiens attestatus est) à Domino Deo est, quam aliam sapientiam iudicauit Apostolus Iacobus non esse desursum, dum ait, Non est ista sapientia desursum? Idcirco & has sententias, vt moris nostri est, pariter conciliantes, arbitramur dicendum, duplicem agnoscentes esse sapientiam: alteram videlicet virtuosam, honestam, & fructuosam: alteram verò econtrariò vitiosam, suspectam, & damnosam. De prima prænotatus Apostolus locutus, attestatus est eam esse pudicam, pacificam, & modestam: sed alteram dixit esse carnalem, & terrenam, ac animalem. Primæ definitionem assignantes dicimus, sapientia est diligens inquisitio rerum humanarum siue diuinarum, quę ad beatam vitam pertinent: vel sic, Sapientia est via recta quæ ad veritatem ducit: vel adhuc dicamus, Sapientia est virtus, per quam animæ res sapiunt: In hac vt ambularent Colossenses hortatus est Apostolus, dum ait, In sapientia ambulate. Quam si quis, vt decet, possederit, actus & affectus suos taliter ordinabit, vt finem, terminum, portum, & præmium gloriæ paradisi finaliter reportare queat, cùm non sit aliud ista sapientia, nisi veritas, in qua cernitur & tenetur summum bonum, etiam si ad eam veritatem non peruenerit homo. Hac sapientia munitus prothomartyr Stephanus confudit eos, qui contra se irati surrexerant in synagoga, qui vt lucas refert in Actibus non poterant resistere sapientiæ & spiritu qui loquebatur per illum. Hac si quis indiget, petat eam à Domino, qui illam affluenter petentibus tribuit, vt Iacobus docuit. Sed de altera huic opposita loucutus est Paulus, dum hanc sapientiam, stultitiam attestatus est esse apud Deum. Quam & alibi carnalem esse dixerat,

Sapientia duplex. Colos. 4. Act.6. Iac.1. 1.Cor.3. 2.Cor.1.

cùm nil aliud ſit niſi quædam mentis elatio, qua ſic tumeſcit & eleuatur homo ſuper alios, vt omnes ſpernat ac vilipendat. Cuius vitio laborabant illi philoſophi, de quibus Paulus allocutus Rom.ait, Dicentes ſe eſſe ſapiẽtes, ſtulti facti ſunt. Hanc quantum abhorreret pręnotatus Apoſtolus, liquidò oſtendit dum Corinthios alloqueretur, dicens: Non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei conuerſati ſumus in hoc mundo. Quam & omnino ſe velle perdere ac deſtruere proteſtatus eſt Deus, dum voce Prophetica, ait: Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. De hac pariter Sapiens in Prouerbiis locutus, ait: In multa ſapientia, multa eſt indignatio: cùm nõ ad aliud ordinetur iſta carnalis ſapientia niſi ad deceptionem proximorum, quæ tunc à malis optima exiſtimatur, quando ſocios decipit, & contra ipſos fraudes atque malitias machinatur. De ſic carnaliter ſapientibus Chriſtus locutus in Euangelio ait conuerſus ad Patrem, Confiteor tibi pater cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, &c. Concludentes igitur pręmiſſa, dicamus quòd de laudabili & honeſta ſapientia locutus eſt Sapiens in primo, quam à ſolo ſapiente Deo mortalibus communicari nouerat. Sed de carnali & terrena locutus eſt Iacobus in ſequenti, quam minimè contineri nouimus ſub illo ſigno vniuerſali OMNIS, in prima ſententia poſito. Et ſic ex prædictis patet, quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

Rom.1. *2.Cor.1.* *1.Cor.1. et Eſa.29* *Eccl.1.* *Luc.11.* *Eccle.1.*

CONTRAPO. CCCLVII.

Ciuitas Dauid dicta eſt Sion.
Ciuitas Dauid Bethleem.

3.Reg.8. *Luc.2.*

Si Syon dicta eſt ciuitas Dauid, vt pluribus in locis ſcriptura commemorat, cur Lucas Euangeliſta narrans Chriſti natiuitatem, aſſerit eum fuiſſe natum in Bethleem, quam & ciuitatem Dauid nominat? Profectò ſi Sion ciuitas Dauid dicitur, non erit Bethleem ciuitas Dauid, cùm prima diſtet ab altera per ſpacium quadraginta ſtadiorum, vt intuentibus patet. Idcirco præ-

missa conciliantes, stantes in litera, arbitramur dicẽdum, quòd Bethleem proinde dicta est ciuitas Dauid, quia in ea ex Isai patre Bethleemita natus est Dauid: in Bethleẽ educatus & enutritus: In Bethleem iussu Dei vocatus ad regnum. Hæc autem non absque mysterio acta fuisse credamus. Nascitur enim Dauid carnalis in ciuitate Bethleem, vt postmodum ex eius semine in Bethleem quæ domus panis interpretatur, oratur ille qui super omnes reges & regna regnare debebat. In Bethleem nascitur qui regnaturus est vbique in omni populo Israël, cuius imperium super humerum eius. In Bethleem nascitur ille, cuius dominium, vt Vates præuiderat regius, debebat se extendere à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. In Bethleem natus est Christus, vt tu nascereris in cœlo. Natus est secundum carnem, vt tu nascereris ex spiritu. Natus est in Bethleem ex muliere, vt tu nascereris ex fide. Natus est in Bethleem pauper, vt tu efficiaris diues in cœlo. Syon verò idcirco dicta fuit ciuitas Dauid, aut quia in ea à solo ędificauerat sibi domum regiam, in qua per spacium trigintasex annorum moram trahens, suam extremam terminauit diem: aut forsan ideo Syon dicta est ciuitas Dauid, quia eam sibi in gladio acquisierat, idcirco iure bellico ciuitas sua dicta est. Nam postquam per sex annos regnauerat fœliciter in Hebron super tribum Iuda, vt sacra Regum attestatur historia, Saul defuncto venit omnis Israël ad Dauid in Hebron, & vnxerunt eum ibi in regem super omnem Israël. Quo honore Dauid adepto, inde recedẽs venit cum omni Israël in Hierusalem, & cœpit arcem Syon de manu Iebusæi, vt in libro Paralipomenon scribitur, dum dicitur, Porrò Dauid cœpit arcem Syon, quæ est ciuitas Dauid. Vel deducentes præmissa ad spiritalem sensum, dicamus, quòd forsan de Syon Bethleem, quæ sunt in Archetypo, intelligenda est litera, quarum vmbræ fuerant illa Syon terrena & Bethleem. Hæc enim in supernis non distantes ab inuicem, sed simul iunctæ intelliguntur esse. Nam sicut Paulus sermonem faciens de Synai cœlesti & Hierusalem, attestatus est alterum

Dauid cur Bethleemita.

Rom. 1.

Psal. 46.

Psal. 70.

Christus cur natus in Bethleem.

Syon cur ciuitas Dauid dicitur.

2. Reg. 5.

2. Reg. 8.

1. Par. 11.

Syon in archetypo.

Galat. 4.

ita esse coniunctum alteri in supremis, vt vnum sint, cur & nos eundem sensum secuti dicere non valemus, Syon sic esse coniunctum Bethleem in Archetypo, vt vnum ibi sint, in quibus tanquam in regia ciuitate, sedet & regnat DAVID mysticus terram iudicans: Vel si placet moralem sensum secuti dicamus, quòd hoc in loco, per Syō, quod (vt aliâs præfati sumus) speculum repræsentat interpretatum, intelligitur omnis anima quæ diligenter intendit contemplari & videre quæ spiritaliter videnda sunt & contemplanda, ad quod Syon, si, vt decet, intenderit anima, splendida & lucida efficietur, & taliter vt cognitione DEI veredica repleatur, semotis se peccatorum tenebris. In hac enim anima sic disposita, vt piè creditur, habitat DEUS per gratiam, tanquam in ciuitate habente pro fundamento lapidem illum angularem, super quem omnis ædificatio postmodum constructa, crescit in templum sanctum in DOMINO. Idcirco si cupis vt in te habitet & regnet Christus per gratiam, studeas fieri Syon, studeas à peccatorum caligne ad luminosam gratiam transitum facere, vt postmodum ciuitas regis magni merearis effici. Et sic patet quid fuerat dicendum.

Anima dicitur Syon. *Psal. 131.* *Act. 4.* *Ephes. 2.* *Psal. 47.*

CONTRAPO. CCCLVIII.

DAuid se tacuisse dixit in psalmo. *Psal. 31.*
Dauid se tota die clamasse, dixit ibidem. *Ibidem.*

Si Propheta se tacuisse dixerat in Psalmo, cur eo in loco se clamauisse attestatus est: Nam si tacueerat, quomodo clamauerat? & econuerso, si clamauerat, quomodo verum erit quòd tacuerit? Non enim (vt cernimus) simul stare possunt præmissa, vt quisque videlicet clamet & taceat simul & semel. Quapropter has conciliare curantes, quæ apertam contradictionem inferunt, arbitramur dicendum, quòd præmissæ sententiæ non tantùm de huiusmodi Propheta intelligendæ sunt, sed pariter de peccatore quolibet iustificato per pœnitentiam. Hic enim tempus infœlix cogitans in amaritudine cordis, & de commissis reatibus dolens, dicit

Pſal.31. compunctus & conuerſus ad Deum: Quoniam tacui conſenuerunt oſſa mea, quaſi dicat: Dum eſſem blaſphemus & impius ac inuolutus peccatis & clamarem ad Dominum, vt ab illis eriperer, non obtinui, licet per totam diem clamarem. Quoniam quod ore clamaui, hoc contritione ſilueram. Quapropter non innouari merui, ſed econtrariò conſenuerunt oſſa mea, hoc eſt, *Virtutes quando perdũtur.* conſumptæ ſunt virtutes animæ meæ. Quoniam qui malum quod geſsit non aperit, eas etiam, quas habet virtutes meritò perdit. Idcirco virtus mea defecit, & mole vitiorum grauata, in vetuſtate ſua miſerabiliter remanſit, quia confitendo non amauit nouitatem, li- *Eſa.29.* cet tota die ore tantùm, & voce clamaret, morem illorum ſecuta, de quibus Dominus ore Prophetico conqueſtus dicit: Populus hic labiis me glorificat, cor autem eorum longè eſt à me. Tacui inquam vnde proficerem, ſed non tacui vnde deficerem. Tacui confeſsionem cor- *Luc.18.* dis, ſed clamaui, meritò dicens cum phariſæo, Non ſum ſicuti cæteri hominum, raptores, adulteri, &c. Nam quod loqui debueram vtiliter ſtudioſe tacui miſerabiliter: & quod ore protuleram, non ſum locutus corde. Ob quod conſenuerunt oſſa mea, & taliter, vt præ nimia vetuſtate ferè deficerem. Nam ſi peccata clamaſſent & tacuiſſent merita, proculdubio oſſa mea innouata fuiſſent, hoc eſt virtus mea fuiſſet robuſtior ad bonum operandum. Sed quia econtrariò volui per me firmus eſſe conſenui & factus ſum infirmus. Hæc igitur apud me iugiter cogitans, propoſui in corde meo peccatum detegere & aperire, vt tu Deus poſtmodum illud tegeres, qui huiuſmo- *Eſa.1.* di ſic diſpoſitis & cõpunctis dicere conſueueras: Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabũtur, & ſi fuerint rubra ſicut vermiculus, velut lana alba erũt. Iamdudum illa tacueram occultando, ob quod meritò incurreram vetuſtatem, dum peccatis addendo peccata, factus ſum ſupra modum peccans, ita vt poſſem di- *Pſal.37.* cere: Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: Et ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Decreui itaque nudare peccata quæ prius officioſe in corde occultaueram, vt tu poſtmodum oculo tuæ cle-

mentiæ ex alto proſpiciẽs, illa tegere dignareris. Tegit autem Dominus peccata hominum, quando illa videre non vult vt puniat, ſed potius vt condonet & relaxet. Tegit inquam, quando per pœnitentiam illa diſſimulat, vt Sapiens nouerat. Nec ſic intelligas, quòd peccata idcirco ſic tecta dicantur, quaſi ibi ſint & viuant, veluti dicere conſueuimus de ignito carbone cooperto cineribus, ſed ideo tecta dicuntur, quia illa non vult reſpicere Deus vt puniat. Itaque, ſi vis vt Deus peccata tua non videat ad puniendum, pœnitentiam age, demum ſupplex & humilis accede ad eum, & dic cũ gemebũdo Propheta: Auerte faciem tuam à peccatis meis. Peccata ergo tua non videat Deus, vt te creaturam eius videat. Viderat enim ſic Nathanaëlem in quo dolus non erat, dum ei dixit: Cùm eſſes ſub ficu, noui te. Nouerat Moſen cui dixit: Noui te ex nomine. Hæc contemplatus peccator compunctus, decreuit delictum ſuum nudare, vt poſtmodum Deus illud tegat. Dicit ergo, Delictũ meũ cognitum tibi feci. Et non ſolum delictum detexi, ſed inſuper iniuſtitiam meam nolui occultare, quinpotius denudare, & eam tibi palàm facere, vt tu illam vnà cum delicto abſtergere dignareris hyſſopo tuæ gratiæ quo omnia mundas & purificas. Noui enim peccatum multifariè abſcondi, aut illud tacendo, aut in parte excuſando, aut verbis palliatis illud tegendo. Hinc Iſidorus ait: Chriſtiano homini tanta debet eſſe peccati recordatio, vt ea quæ geſsit confiteatur lachrymans. Pia itaque Domini diſpenſatione poſtmodum actum eſt, vt mea nudata ac detecta iniuſtitia, quod pœna peccati prius extiterat, hoc ipſum virtutis occaſio poſtmodum fuerit: Dixi ergo in corde compunctus: Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, non excuſando ſeu defendendo illam, ſed flendo & accuſando illam aduerſum me, non diabolo, non naturæ, aut fato ſeu fortunæ hanc iniuſtitiã aſcribendo, ſed ad me miſerrimum illam referendo, méque ipſum & non alium accuſando, aut illam ſtudioſe tegendo. Quapropter dum hæc apud me facere cogitarem, quid mihi acciderit audias. Nam te viden-

Sap. 11.

Peccata quãdo tegantur.

Pſal. 50.

Ioan. 1.

Exod. 1.

Pſal. 13.

Pſal. 50.

Pſal 31.

te ô Domine me detexisse delictũ & iniustitiam, absque mora per tuam gratiã remisisti impietatẽ peccati mei: Quam nullatenus remisisses, si meam iniustitiam penes me occultassem. Nec absque causa dicit Propheta impietatem esse peccati. Quia cùm malum agimus, peccatum quidem est: cum autem id ipsum Deo abscondere volumus, iam non solùm peccatum est, sed etiam impietas. Hinc diligenter attendendum est, quàm velox sit & magna Dei misericordia erga peccatorem hominem ad se conuersum. Nondum ore confitetur homo, sed duntaxat cõfiteri proponit, & Deus noxam remittit, votum pro confessione reputans. O ergo magna Dei pietas, vt ad solam promissionem peccatum dimittat, votum pro operatione iudicans: Et tamen postmodũ facienda confessio ministris Ecclesiæ, si fieri potest, alioquin non prodesset contritio. Vel ad præmissa aliter respondentes dicamus, sic pręmissas explanantes sententias, vt earum talis sit sensus, videlicet, Quoniam tacui, hoc est, dum in silentio & apud me cogitarem delicta mea, nec illa præ multitudine possem dinumerare, idcirco prę nimia ex talium anxietate orta consenuerunt ossa mea, cernens me minimè releuari posse ab illis, propriis viribus. Idcirco compunctus præ tristitia nimia, rugiui & clamaui fortiter, vt Hebraïca continet veritas, & tãquam lethaliter sauciatus & vulneratus præ cruciatu, dixi vociferãs conuersus ad Deum: Sana me Domine, & sanabor: quia vt cernis, aliunde adiutorem non habeo, quoniam tu solus es, qui laborem & dolorem consideras. Sic igitur intellectis præmissis ab omni contradictione seruantur illæsæ.

Magna Dei pietas.

Psal. 31.

Hier. 17.

Psal. 9.

CONTRAPO. CCCLIX.

Genes. 8. *Terra nudata aquis ante emißionem columbæ.*

Ibidem. *Terra eadem non nudata aquis ante emißionem eiusdem.*

Si prima die mensis decimi post diluuium, taliter diminutæ fuerant aquę, teste Mose, vt apparerent cacumina montium, & adhuc post quadraginta dies Noë aperiens fenestram arcę emiserat coruum qui egrediebaa-

tur,& non reuertebatur,cur de columba quę post coruũ ex arca emissa fuerat, dicitur quòd idcirco reuersa fuit ad Noë in arcã,quia non inuenerat vbi pes suus quiesceret?Nam si coruus prius emissus remanserat,certum est quòd locũ inuenerit vbi quiesceret, qua in re & ipsa columba pariter locũ potuerit inuenire,vbi pes suus quiesceret. Profectò ex dictis colligitur quòd terra nudata fuerit & non nudata,per coruum nudata,& per columbam adhuc non nudata. Laborabimus ergo vt hãc scripturam veracem ostendamus,dicemúsque, quòd forsan coruus idcirco remanserat,quia cadaueribus potuerit insidere,quod & colũba naturaliter refugit.Vel dicamus, quòd licet terra aliqua in parte sic nudata esset,vt quiescere in ea potuissent huiusmodi aues, tamen columba renuit super terrã descẽdere, sic adhuc madefactã aquis diluuij,ꝙ non abhorruerat coruus, qui in immunditiis delectatur tanquã immunda auis.Et si adhuc placet melius dicamus & verius, ꝙ hæc quæstio videtur posse dissolui per recapitulationem, vt ea posterius intelligãtur, quæ prius facta sunt. Et sit hic ordo posterus commutatus decenter, vt aliquando moris est scripturarum fieri. Sed si ad spiritalia transire placuerit, non absque mysterio hæc acta fuisse credemus. Colũba enim cùm sit auis simplex,beneuola, & absq; felle, multísq; ac bonis proprietatibus insignita,mysticè nobis signat quemlibet virum iustum,simplicem,ac timentem Deũ,qui super cæteros homines,mitis,benignus, ac humilis esse dicitur, tanquam colũba.Ipsa enim auis non tantùm munda dicitur victu,sed insuper fructu fœcunda, & gemebunda cantu.Quibus pariter & vir iustus ornatus esse debet, vt sit vita & conuersatione mundus,ac fœcundus operibus bonis:& gemebundus pariter, dum tanquã incolã hunc mundum se inhabitare recolit.Et sicut columba non comedit de cadaueribus sicut coruus, sed grana pura & munda sibi eligit,in signum cuius emissa ex arca,& non inueniens situm mundum & siccum, vbi pes eius quiesceret, reuersa fuit in arcã, ne super huiusmodi immunditia descendens inficeretur.Sic viri perfecti non debent

Coruus cur nõ reuersus in arcam.

quiescere suis affectibus, qui hoc in loco per pedes columbæ figurantur, nisi in actibus virtuosis, & in societatibus honestis & sanctis, & à cadaueri bus putridis ac fœtidis, id est, à vitiis, ac à caducis deliti is quæ animam maculant, se studiose cohibere debent. Quibus carnales homines vt corui condelectantur & nutriũtur. Tales enim carnalem ac brutalem vitam sectantes, & arcam Ecclesiæ exeuntes nequeunt reuerti ad Noë, hoc est ad Christum, qui mysticus & spiritalis Noë dicitur, vt per illum in arca suæ Ecclesiæ, quam peccantes exierant, iterũ reponantur, vt quiescant in illa: Noë quippe, vt veridica Hebraïca continet veritas, quietem nobis repręsentat interpretatum. Et non nisi illam, de qua dicitur in Euan-
Mat.11. gelio, Et inuenietis requiẽ animabus vestris. Ipse enim Christus vita, salus, & requies nostra dicitur, sine quo Petrus titubat & periclitatur nauicula, quo eam ingrediente adest tranquillitas magna. Ad hanc requiem vt festinanter & lætanter eamus, hortamur & inuitamur, dicen-
Ibidem. te illo: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Ad quem sic eũtes non amplius
Can.1. foras sunt emittendi, quinpotius in sua cellaria recreati, spiritalem cũ illo inueniunt pascuam. Ob quod de sic ad
Ioan.10. se veniente locutus, dixerat: Per me si quis introierit, supple in arcam Ecclesiæ, saluabitur & ingredietur & egredietur & pascua inueniet, vt ibidem perpetuò cũ illo maneat. Ad quam pascuam iam peruenerat ille, qui iocũdus
Psal.22. & lætabundus dixit in psal. conuersus ad Deum: In loco pascuę ibi me collocauit. Debent pariter viri perfecti in-
Exod.23. star columbæ fœcundi esse bonis fructibus, ne inter ste-
Philip.1. riles connumerati maledicantur. De quibus fructibus Paulus locutus, dixerat eos esse fructus iustitiæ. Quos & continuè iubemur parere, si regnum Dei cupimus ingredi. Sed & ingemiscere etiam vnà cum columba præ-
Psal.119. cipimur, dũ hanc vallem miseriarũ perambulamus, dicẽtes cum Propheta regio: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Sic igitur facientes, absq; dubio in illa perpetua arca collocabimur ab illo Noë qui totũ mundum saluat per arcam fidei. Et sic patet quid dicendum.

CON-

CONTRAPO. CCCLX.

Iacob erat vir ſimplex. *Gene.25.*
Iacob dolo fraudauit fratrem. *Ibidem.*

Quomodo verũ erit quod ſcriptura de Iacob atteſtatur, quòd eſſet videlicet vir ſimplex, ſi dolo (vt legimus) fraudauerat Eſau fratrẽ? Nam ſi per dolum benedictionẽ ſubripuit, quomodo ſine dolo erat? Huic quoque, quam alienã nouimus ab omni controuerſia, dicendum placuit, quòd non obſtat, vt Iacob in illa primæua ſua conuerſatione vir ſimplex extiterit, & quòd poſtmodum maturus ætate acquiſierit dolum quo fratrem ſuũ fefellerit ſubripiens benedictionem, ſibi tanquam primogenito debitam. *Gene.27.* Sed abſit à fidelium mentibus hæc inania cogitare, vt putemus quòd tantus & talis patriarcha pater ac genitor illius totiens celebrandæ ac benedictæ familiæ Iſraëliticę, tali maculetur infamia, vt fraude & dolo fefelliſſe dicatur fratrem. Idcirco vt eum à tali ſeruemus calumnia, aliter reſpondẽtes dicemus, quòd dolus eius, dolus ſimplicis fuit, & non mentientis. *Dolus Iacob non fuit mentientis.* Qua in re ne fraudulentus putaretur dolus, & non in eo prætermittatur magnæ rei myſterium, ſcriptura præmiſit: Et erat Eſau homo ſciens venari, Iacob autem homo ſimplex, vel potius dicas (vt nõnulli ſentiunt) vir ſine fictione: quanquam Hebraica veritas habeat, vir integer: quod non abſque ſacramento prætereundum eſt. Idcirco conſidera qui hæc legis aut audis, quòd licet mentita appareant quæ à Iacob dicebantur, tamen illud cogita quòd volens Deus prædictionem impleri, omnia vt ſic fierent, diſpenſauit. Vide ergo quomodo iuſtus non potuit ſubolere fraudem, ſed perſuadetur dictis Iacob, vt cùm edulia iſta comediſſet benedictionibus eum remunerauit. Et non priùs à venatione affuit Eſau frater, quo *Gene.27.* vſque omnia fuerunt impleta, vt per omnia ſciamus voluntate Dei hæc geſta eſſe. Ob quod cogimur ſpiritualia intelligere illo in loco, credentes firmiter quòd Iacob, *Rom.9.* quem Deus ſic dilexerat vt præficeret Eſau, ſine dolo erat, licet dolum commiſerit. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRA PO. CCCLXI.

Exo.20. DEus zelator dicitur, & hoc nomen eius.
Malac.3. Ego sum Deus, & non mutor, dixit alibi.

Si Deus per se locutus cùm Israëlitis dixerat, Ego sum Dominus Deus tuus fortis & zelotes, & hoc est nomen meum dixerat infrà, quomodo verum erit quod *Ibidem.* econuerso dicitur in sequenti, Ego sum Deus & non mutor? Qui enim zelat nō immutabilis dicitur, quia aliqua in parte passionem suscipiens alteratur ac perturbatur animo: quod & absurdum est dicere de Deo, qui (Boëtio teste) stabilis semper manens dat cuncta moueri. Idcirco & hanc ne indiscussam relinquamus placuit dicendū, quòd non humanæ perturbationis vitio facit Deus. Nā licet irasci & zelare ipse dicatur, non tamen ob hoc perturbatio animi inest illi, cùm nulla passio (vt alibi sæpenumero reliquimus) cadat in illum. Mos autem humanæ locutionis & vsitatus est, vt humanæ infirmitati congruat, cui Deus coaptat locutionem suam. Semper enim ipse immutabilis perseuerat atque trāquillus, licet aliter nobis appareat, qui oculos habemus lipposos. Qua in re dum præfatis locutus, dixerat se zelatorem esse, voluit per hoc nomen innuere, non impunè plebem suam per *Deus cur zelator dicatur.* alienos Deos fornicaturam. Dictum est autem hoc verbum zelator à tropo metaphora, à zelo maritali, quòd castitatem custodit vxoris, quod nobis prodest nō Deo. Quis enim tali genere fornicationis Deo nocuerit, sed sibi plurimum vt pereat? Quod enim Deus prohibet, *Psal. 72.* terrore grauissimo zelantem se appellat, cui in psal. dici- *Zelus Dei quid sit.* tur, Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Aliâs verò præfati sumus, quòd zelus Dei prouidentia dicitur, qua non sinit eos quos subditos habet, impunè amare quod prohibet. Nec habet hic zelus Dei, mentis liuorem, cùm non sit affectio in illo, sed indicibilis quidā amor in nobis. Vel dicamus, quòd idcirco Deus zelare dicitur, quia *Boetius.* nullum malum impunitum vult relinquere. Et sic ex prædictis patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

CONTRAPO. CCCLXII.

Israelitæ nullum Deum alienum colebant. *Iosue 24.*
Deos alienos auferre iußi sunt infrá.

Si Israëlitæ postquam ingressi fuerant terram illam desiderabilem lacte & melle manantem, sic ab se abstu lerant alienos Deos, vt nullum haberẽt amplius, cur Iosue princeps eorum, dum terram eandẽ per singulas tribus diuideret, mandauerat illis, dicens: Circumauferte Deos alienos qui sunt in vobis, & dirigite corda vestra ad Dominum Deum Israël, tanquã si alienos Deos adhuc haberent & colerent? Sed credendũ non est illos habuisse apud se aliqua gentium simulachra, cùm superius ipsemet Iosue eorum obedientiã commendauerit & laudauerit. Aut verò si haberent post tantas legis commi nationes, illa eos prospera sequerentur: cùm sic in eos vindicatum sit, quòd vnus eorũ de anathemate furtum fecerat. Nunc autem post hanc admonitionem Iesu naue, nullum tale aliquid protulisse fertur. Nec tamen putandum est, hoc illum inaniter præcepisse. Nõ enim, ait: Et nunc auferte Deos alienos, si qui sunt in vobis, sed omnino tanquã sciens esse, Qui sunt inquit in vobis. Idcirco & hanc pariter conciliantes, placuit ad illã dicere: Quòd hic sanctus Propheta & ductor illius populi, cernebat in cordibus eorũ adhuc cogitationes de Deo alienas à vero cultu, & ipsas omnino admonebat auferri. Quisquis enim talem cogitat Deũ qualis non est Deus, alienũ Deũ vtique & falsum in cogitatione portat. Quis est autẽ qui sic cogitet Deum quemadmodum ille est? Ac per hoc relinquitur fidelibus quandiu peregrinantur à Domino, auferre à corde suo inania & vana phantasmata, quę se cogitationibus ingerũt, velut talis aut ta lis sit Deus, qualis vtique non est, & dirigere cor ad illũ fideliter, vt quemadmodum & quantum nobis expedire nouit, ipse insinuet per spiritum suum, donec ab ipsis absumatur omne mendacium: & transacta non solùm impia falsitate, verùm etiã ipso speculo, & enygmate, facie ad faciem cognoscamus, sicuti & cogniti sumus, quẽadmodum diuus Apostolus dixit: Videmus nunc per

Iosue 24. *Iosue 7.* *Iosue 24.* *Deũ alienum cogitans quis dicatur.* *I. Cor. 13.*

ſpeculum in enygmate, tunc autẽ facie ad faciem. Et iterum, Nunc ſcio ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Et ſic patet quid fuerat dicendum.

CONTRAPO. CCCLXIII.

Num. 23. DEus venit ad Balaam.
Hier. 23. *Cœlum & terram ego impleo.*

Si cœlum & terrã implere dicitur Deus voce prophetica, à quo loco receſſurus erat, in quo ipſe prius non fuerat, vt veniret ad Balaam? Ad quẽ ſi veniſſet vbi non erat, quomodo verum erit quòd totam terram impleat? *Deus implet omnia.* Nam ſi ipſe propter ſui illuminationem omnia implere dicitur, quis locus dandus erit ad quem veniat, quem prius ipſe non occupauerit? Hæc enim (vt cernimus) maximè augent quæſtionis difficultatem. Sed ſi oculis fidei hæc contẽplari placuerit, nil controuerſiæ in præmiſsis reperiemus. Idcirco & has cõciliantes arbitramur dicẽdum, quòd non de Deo per eſſentiam prima intelligenda eſt, ſed angelo, vice Dei, agente negocium cum Balaam. *Angeli dicuntur aliquando dij.* Hi enim in ſcripturis ſacris Dij interdum dicuntur, ex eo quia vicem dei in terris gerunt. Qui vt omnium Theologorum ſchola atteſtatur concorditer non ſunt in loco niſi diffinitiuè, dum ſic præſentes eſſe intelligãtur in vno loco, quòd non in altero. *Angelus quomodo eſt in loco.* Nec poſſunt ipſi ſic eſſe in loco quantumcunque magno, quia hoc ſolùm Dei proprium eſt. Dandus eſt enim locus, quo maiorem non poteſt habere angelus virtute propria. Nec obſtat quod ab aliquibus dicitur, quia angelus poſſit eſſe in pluribus locis ſibi adæquatis, quia hoc non naturali virtuti ſuæ, ſed diuini muneris donũ eſſe dicitur. *Homo quomodo eſt in loco.* Homo verò cùm ſit natura quantus, non ſic diffinitiuè dicitur eſſe in loco, ſed circunſcriptiuè tãtùm (vt aiunt) ita quòd ſuperficies ipſius cõmenſuretur ſuperficiei loci continentis ipſum. Deus autẽ omnibus his vinculis abſolutus, omnem locũ ſua immẽſitate replere dicitur (vt aliâs præfati ſumus) cùm nõ indigeat, vt locũ priorẽ deſerat, dum ad alium tendit. Venit tamen per angelum
Num. 22. ad Balaam vt minaretur ei, ne iret cum nuntiis a Bilac

rege missis, vt populum Israëliticum suis maleficis artibus malediceret. Venit inquam ad Balaam, non quòd ipse dignus esset, ad quem venisset Deus, sed vt fugarentur illi, qui intrò latentes suggerebant ipsi Balaam, vt cum præfatis nuntiis iret ad maledicendum populum. Venit igitur Deus eo modo quo suprà memorauimus. Nec ob hoc suspiceris, quia venit Deus ad Balaam, Dei substantiam in vllo aliquo corporali loco esse: qui enim vbique totus est, vbique semper est, nec diuisus per partes, sed totus simul. Qui per interualla locorũ, nec propinquare, nec recedere dicitur. Sed demonstrationes eius in ea creatura quæ non est quod ipse, non aliter humanis sensibus exhibentur. Vbique ergo totus esse dicitur, qui totus in cœlo, totus in terra est, nõ alternis tẽporibus, sed vtrũque simul. Vbiq; enim totus est, qui nullo clauditur loco. Quod & ille sic esse nouerat, qui post ędificationem templi ad illum conuersus, dixerat: Si cœli cœlorum te capere non possunt, quanto minus domus ista quam ædificaui tibi? Idcirco si cupis vt Deus sit tecũ benignus & alacer, noli peccatis tuis ab illo auerti. Quia si sic tua sponte ab illo auerteris, non effugere poteris vultum eius, quin ab illo videaris: quia scriptum est, Oculi Domini in omni loco contemplantur bonos & malos. Et alibi: Vultus autem Domini super faciẽtes mala, vt perdat de terra memoriam illorum. Si ergo ad illum peruenire desideras, noli piger esse illum amare. Non enim ad eum perueniendum est corporeis pedibus, sed affectibus mentis. Perge igitur, & curre ad illum, sicut edoceris ab illo qui sic fructuose cucurrerat, vt diceret gaudens & cõfidenter: Viam mandatorũ tuorum cucurri. Curre inquam ad eum, vt ille dum te sic currentem viderit, tanquam bonus & pius pastor te ouem inuentam suscipiat, & humeris suæ clementiæ portet: demum te collocet in grege sanctorum suorum, qui sunt in patria. Vade ergo & curre lætanter & festinanter ad eum, & dic gaudens cum illis adolescentibus: In odorem vnguentorum tuorum currimus: Vno enim loco manens sic venis, si credis & diligis. Perge ergo ad

Deus vbique est et semper.

Deus nullo clauditur loco.

2. Par. 2.

Prou. 15.

Psal. 33.

Quibus pedib⁹ peruenitur ad Deum.

Psal. 118

Luc. 15

Cant. 1.

Ioan. 6. illum qui tam benignus & clemens esse dicitur, vt neminem ad se venientem foras eiiciat amplius. Et sic patet quid dicendum fuerat.

CONTRAPO. CCCLXIIII.

Num. 23. *Spiritus Domini factus est super Balaam.*
Sap. 1. *Spiritus Domini effugiet disciplinæ fictum*

Si Domini spiritus factus fuisse dicitur super Balaã, non vtique creator spiritus, sed creatura dicendus erit: quod enim fit, prius non erat. Quod absurdum dicere iudicauimus de huiusmodi spiritu, qui ante temporum initia, ac ante omnia sæcula, in illa æterna & sempiterna gloria producitur ex patre & filio, & fideliter credimus, & roboramur scripturis. Qui pariter in creatione omniũ tam visibiliũ quàm inuisibiliũ stans super aquas, suo calore viuificauit omnia vt essent, vt Moses refert. Non igitur factus est, à quo omnia facta sunt, & sine quo nihil dum venit super Balaam. Vel si factum intelligimus, sit talis sensus, vt esset super Balaam. Quemadmodum & de Christo locutus Ioãnes dixerat: Qui post me venit, ante me factus est, id est, factum est vt ante me esset vt preponeretur mihi, quia prior me inquit erat. Sic pariter in psal. dicitur, Et factus est Dominus adiutor meus. Non enim Dominus factura dicitur, sed factum est, vt me adiuuaret. Et alibi, Factus est Dominus refugium pauperi, id est, factum est vt ad eum pauper refugeret. Et alter pariter, qui de manu Domini locutus, ait: Et facta est super me manus Domini, id est, factũ est vt super me esset. Et multa talia huiusmodi in scripturis sparsim reperiuntur. Quibus omissis diceret forsan quispiam curiosus, Quomodo potest esse, vt iste spiritus Domini fuerit cũ Balaam Propheta nequã, ac mentem habente malam, qui spiritus vt in sententia subinfertur sequẽti fictũ disciplinæ effugere dicitur? Profectò in prænotato loco de huiusmodi spiritu dicitur, ꝙ animã maleuolã abhorret introire, nec habitare permittit in corpore peccatis subdito. Quã animã sic maleuolã habuisse Balaam nullatenus dubitamus, dũ corruptus pecunia

Spiritus sanctus ex patre & filio procedit.

Genes. 1.

Ioan. 1.

Psal. 29.

Psal. 9.

Eze. 1.

Sap. 1.

à rege Bilac, ſpretíſque diuinis mandatis ac voluntatibus, pergebat ſponte ad maledicendum Dei populum. *Num.23.* His reſpondentes dicimus, quòd licet Balaam fallacem ac peruerſum haberet animum prophetandi, erat tamẽ verax ſpiritus ille propheticus, qui ſpiritus veritatis dicitur in ſcripturis: quem ipſe infœlix & pſeudopropheta ſuo peruerſo animo maculare ſiue corrũpere nequiuerat. *Ioan.14.* Dices etiam, Cur Deus tam bonus cum homine ſic peſsimo locutus dicitur? Ex hoc enim colligitur Dei benignitas, qui interdum non dedignatur eſſe etiam cũ homine malo, vt talem à malo retrahat, & ad bonũ deducat. Fuerat etiam cum Caipha Pontifice nequam, dũ illi ſuggeſſerat prophetare & dicere, Oportere vnũ mori pro populo, ne cæteri omnes damnationem incurrerent. *Ioan.11.* Fuerat pariter cum Abimelech rege Paleſtinorum, dum minaretur ei de Sara vxore Abrahæ. *Gene.20.* Nec ob hoc quiſque gloriari debet, dum ſic ſecũ loquitur Deus, quia & eius locutio fieri etiam conſueuit cum reprobis, vt prætulimus. His igitur pręmiſsis, liquidò patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

CONTRAPO. CCCLXV.

Deus ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ. *Pſal.73.*
Operamini veſtrã ſalutem cum metu & tremore, dicitur alibi. *Phil.2.*

Si Deus (teſte Propheta regio) ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ, cur Paulus allocutus Philippenſes, hortatus eſt illos, vt ſuam operarentur ſalutem, tanquam ſi ſalus hæc non fuiſſet antea operata? Nónne primam arbitramur eſſe intelligendã de illa ſalute, quæ proceſſerat ex illa ſalubri & clementi oblatione illius agni immaculati, qui occiſus eſt (Ioanne teſte) ab origine mũdi? *Apo. 13.* Hic enim ante temporum initia, nimia ſua victus dilectione, tribunal iuſtitię Dei adiens, ſponte ſe immolandum tradidit in redemptionẽ ac expiationẽ omniũ delictorum, quæ cõmittenda præuiderat ab initio ſæculi vſque ad finem eius. Quæ ſic intellecta, nequaquã cõtradicit ſequenti, qua hortamur à Paulo, vt cum metu &

tremore, iuxta modulum, nostram operemur salutem. Sicut & alibi mādamur, vt cum timore & tremore Deo seruiamus. Sed dicet aliquis, Quare cum timore & tremore mandat Paulus vt meam salutem operer, cùm sit in facultate mea vt hanc salutem operer? Vis ergo ô homo audire, cur cū metu & tremore præciperis hanc operari salutem? Audi ipsum te docentem, & dicētem alibi,

2. Cor. 11 Deus est qui operatur in nobis. Idcirco cum timore hoc facere præciperis, quia quod humilis impetrat, superbus amittit, putans se sua virtute hāc operari & sibi acquirere salutem. Quam proculdubio Deus sic operatur in nobis, vt & nos operemur. Adiutor enim noster ipse est, & hoc dū volumus: quia (teste Chrysostomo) licet ipse volentem trahat, tamen non cogit nolentem. Et ideo operatorem idoneum se esse designat, qui Deum sibi adiutorem in opere humiliter inuocat. Dicis autem: Voluntas mea bona est: fateor tua, sed & ipsa à quo data: à quo excitata, nisi ab illo, qui in te operatur velle & perficere pro bona volūtate? Quid ergo tibi temerè arrogas? quid est quòd superbus incedis? quid est quòd te erigis? Non enim in te placet Deo, nisi quod habes ex Deo. Quod au-

Deus non cogit nolentem.

1. Cor. 4. tem habes ex te, displicet Deo. Si bona tua cogitas, quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Solus enim ipse est qui non nouit nisi bona dare. Non enim ipse datorem habet, qui non habet meliorem. Nec potuisti in te nisi perdere te, nec sic inuenire te, nisi ille qui fecit te quærat te. Idcirco si quid boni operari diceris, illud Deus per te operatur. Ipse enim potest multum & totum sine te, & tu nihil potes sine ipso, qui dixit ore prophetico, Tantummodo in me auxilium tuum. Dei ergo semper indigemus auxilio. Quisquis enim es ô homo, Deo indiges, etiam & si res essent tibi secundæ. Tunc enim maximum in nobis sentimus auxilium, quando in afflictionibus mundi versa-

Deus solus qui bona dat.

Homo nihil potest sine Deo.

Psal. 45. mur, iuxta illud Psal. Adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Quibus semper adest, vt ab illis nos

Psal. 33. eripiat, iuxta illud alterius Psal. Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberauit eos Dominus. Et in-

frà, Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. Fert autem Deus auxilium ei qui operatur. Idcirco nō oportet nos ociosos esse & animo deficere, sed & preces offerre, sed & eleemosynas & orationes frequenter facere, & cætera bona opera, quæ à nobisipsis afferri possunt. Nam qui in bello socij sunt, iis qui pugnant opem ferūt, non iis qui animo deficiunt. Si vis igitur Dei assequi auxiliū, si vis Dei esse cooperator idoneus, noli deficere bonum operari, quia tecū Deus operatur, imò tu per ipsum operaris quicquid boni operaris. Quanquam primam sententiam superius annotatam aliter explanantes, possemus ad illam dicere, quòd illud ANTE SAECVLA, illo in loco, non ad salutem operatam referendum est, sed ad partem priorem sententiæ qua dicitur, Deus autē rex noster. Vt eius talis sit sensus, Deus existens rex noster ante sæcula, non temporalis, non recens, qui in principio erat Verbum, per quod facta sunt omnia, & sine quo nihil, ipse operatus est salutē (vti suprà exposuimus) & hoc in medio terræ, id est, vbique terrarum: vt homines discerent æterna non terrena quærere. Vel dicamus in medio terræ, id est in Iudæa, vt communis habet opinio, quæ quidem regio, est in medio terrę sita (vt fertur) quasi vmbilicus orbis. Quia Deus ibi factus est homo, ibi crucifixus & mortuus pro omnium salute, vt ab omnibus in circuitu posit participari. Habet tamen veritas Hebraïca hoc in loco vt dicat: Deus autem rex noster operans salutem in medio terræ. Vel dicamus si placet, sensum secuti moralem, quòd tunc Deus in medio terræ salutem operari dicitur, dum per fidem formatā cor contritum illabitur & ingreditur, purgans illud & mundans ab omni sorde, iuxta illud, Fide purificās corda eorum. Cor enim in hominis meditullio, qui & microcosmos dicitur, id est minor mundus, tanquam in centro, locatum nouimus. In hoc proculdubio salus operabitur, si sic castè & pudicè vixerit homo vt templum spiritus sancti effici mereatur. Quanquam ipsa salus (quam suprà prætulimus ante temporum initia operatam) non fuerit exhibita nec taliter collata homini, nisi præordi-

Psal. 78. *Ioan. 1.* *Psal. 50.* *Act. 15.* *1. Cor. 6.*

Ioan.1. nato tempore, dum videlicet ipse Deus terreno habitauit in corpore, licet præuisa fuerit (vt præfati sumus) ab origine mundi in illa sanctissima ac indiuidua Trinitate. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CCCLXVI.

Gene. 17 *Terra promissa Abrahæ & semini eius in possessionem æternam.*

Terra eadem duntaxat temporaliter data semini Abrahæ.

Si in possessionem æternam illa terra Chanaan promissa fuerat Abrahæ & semini eius, cur hoc locum non habuit futuris temporibus, in quibus (vt liquidò cernimus) Hebræi, qui & semen Abrahæ profitētur se esse, sic sunt vagantes per orbem vniuersum, vt nullum dominium habere agnoscantur? Nónne Deus qui hanc promissionem fecerat Abrahæ de huiusmodi semine æternaliter possessuro prænotatam terram, alibi per prophetam suum dixerat: Sicut descendit imber & nix de cœlo, & illuc vltrà nō reuertitur, sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo? Quapropter, cur locum non habuit huiusmodi iusiurandum Dei in prænotato semine, quod (vt prætulimus) exulem & peregrinum ab illa terra videmus? Hinc nobis magna oritur difficultas, quam si fidei oculis contemplari placuerit, absque dubio facilè cōcordem reddemus. Meminimus enim nos aliàs in superioribus dixisse, quòd eo in loco, hęc dictio HOLAM, quam Hebraïcam esse nouimus, non sic pro æterno accipienda est, vt putetur quòd terra illa Abrahæ promissa & semini eius, sit possessura ab illo semine quousque finiatur mundus, quia sic fuisset falsum, cùm Hebræi (ob sua demerita) nullibi dominium habeāt iam multis retroactis annis, sed accipitur ibi Holam, vt sic æternum dictum sit, quia hoc in loco æternaliter aliquid figuret. An potius moris est scripturarum, vt æternum interdum appellent, cuius rei finis non constituitur, aut non ita sit vt deinceps non sit faciendum quantum pertinet ad curam vel potestatem facientis? Sicut ait Horatius, Seruiet

Hebræi nullum dominiū habent.

Esa. 55.

Gene. 17.

Holam.

æternum qui paruo nesciat vti. Nō enim potest in æternum seruire, cuius ipsa vita qua seruit æterna esse non potest. Quod testimonium non adhiberem nisi locutionis esset: verborum quippe illi sunt nobis authores, non rerum aut sententiarum. Sed hæc ad spiritalem deducentes sensum placuit dicere, quòd potissimùm de terra illa facta est promissio Abrahæ & semini eius, quæ terra viuentium in Psal. dicitur. Hęc enim vt piè & fideliter credimus, in possessionem æternam danda seruatur omnibus his, qui bene se gerētes in corpore, filij promissionis Abrahæ meritò dicti sunt. Hanc quippe indubitanter credimus promissam sibi fuisse & semini eius, non carnali sed spirituali, quæ sic intellecta extēdi potest ad omnes qui fidem prælibati patriarchæ Abrahæ secuti fuerint: hi enim meritò filij Abrahæ dicendi sunt. Quem sensum videmus fuisse secutum Paulum, dum de huiusmodi mysterio locutus cum Romanis, ait: Neq; qui semen sunt Abrahæ, omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est nō qui filij carnis, sed qui filij sunt promissionis existimantur in semine. Quam filiationē assecutus fuerat ille, de quo Dominus locutus in Euangelio ait. Eò quòd ipse sit filius Abrahæ: econtrariò verò dixit de scribis & pharisęis insurgentibus in eum velut canes, Vos ex patre diabolo estis. Proinde non tantùm gens Israëlitica, sed vniuersum semen Abrahæ, vbi est expressa promissio non secundum carnem, sed secundum spiritum plurimorum filiorum potest hîc intelligi vtriusq; rei facta promissio. Qua in re prænotatus Abraham non tantùm Iudæorum, sed & gentium pariter dictus est pater vt Paulus liquidò reserauit. Vel vt clarius dicamus allegoricum secuti sensum, quòd de spiritali possessione Christi prima intelligenda est, quia & ipse verè filius Abrahæ dictus est in scripturis, ipsi enim non tantùm terræ Canaan, sed vniuersæ terræ conuenit habere dominium & possessionem legitimam. Et secundum hunc sensum forsan intelligenda est illa promissio primum ipsi Abrahæ facta, dum illi dixerat Deus: Respice oculis tuis ad Aquilonem, ad Aphricum, ad Orientē, & Mare, quia omnē hanc terrā tibi daturus sum, & semini tuo

Semen Abrahæ verum. *Rom.9.* *Luc.19.* Ioan.8. *Rom.4.* *Mat.1.* *Gen. 15.*

post te vsque in sæculum. Quod & non nisi de Christo verificari poterat, ad quem duntaxat pertinebat habere dominium & possessionem super quatuor partes orbis, vti vaticinio præuiderat ille, qui vaticinans de Christo ait in Psal. Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Licet hoc dominium sibi à Deo commissum adhuc non sit consecutus ad plenum, sed reseruatur quousque ponat inimicos suos scabellum pedum suorum. Tunc enim (vt Paulus dixit) fiet subditus illi omnis mundus, & flectetur ei omne genu. Sic igitur præmissis intellectis, in nullo cótrariantur.

Psal. 71. *Christi Dominiũ quale sit.* *Psal. 109* *Heb. 10.* *Esa. 45.*

CONTRAPO. CCCLXVII.

Esa. 62. *Eccle. 51.*

Omnia opera nostra operatus es Domine.
Opus nostrum operari præcipimur, alibi.

Si omnia opera nostra operatus est Dominus, quæ opera operanda relicta sunt, quia opus nostrum operari mandamur, tanquam si illud nullatenus prius fuisset operatum à Deo? Verum hæc (vt moris nostri est) conciliare curantes, placuit modò præmittendam esse differétiam humanorũ operum, quam & trifariam esse nouimus, videlicet quædã bona, quædam autem mala, quædam verò indifferentia. Bona enim secundum Origené illa dicenda sunt, quæ ad virtutes animi pertinere noscũtur, sed mala econuerso illa sunt quæ ad malitiam spectant, & contra legem fiunt. Sed indifferentia illa pariter dicenda iudicamus, quæ neque bona, id est quia ad virtutes animi non pertinent, neque ob hoc mala quia non aguntur malitiose, nec contra legem. Huiusmodi autem sunt diuitiæ, species corporis, fortitudo, vel procericas, atque omnia ea quæ corporis vsibus seruiunt. Sed omissis duobus vltimis, de primis duntaxat nobis dicendum est in proposito. Hæc enim (vt liquidò credimus) non absque Dei præsidio, possunt à nobis operari, quia & ipse Deus illa per nos facit & operatur, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Nam sicuti bonæ arboris rami à bona radice prodeunt, sic & bona

opera nostra ab ipso Deo prodeunt, qui illa operatur in nobis,& nos per illum. Nam & prius spirat in nobis illa vt cogitemus,& ad hunc sensum regius Propheta locutus ait: Misericordia eius præueniet me, vt bonum videlicet cogitem, qui nisi sic præueniret, minimè quidquam boni cogitare possem. Demum eadem misericordia nos subsequitur concomitans, vt bonum quod cogitauimus faciamus, hoc est, vt deducatur ad finem. Idcirco & prænotatus Vates alibi subiunxerat, dicens: Misericordia eius subsequetur me. Paulus verò vnico sermone conclusit vtrunque, dum Philipppenses allocutus ait: Quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet. Opera ergo ista, & Dei opera dicenda sunt, & nostra. Dei inquam, quia ipse illa spirat in nobis vt cogitemus, demũ (vt prætulimus) subsequitur concomitans, vt illa operemur, imò ipse cooperatur nobis. Nostra verò dicuntur pariter, quia ipse ob suam nimiam bonitatem permittit, vt nostrum esse dicatur, quod suo præsidio egimus. Quia ipse (teste Propheta regio) dum nos coronat, nonnisi in miserationibus suis coronare dicitur: quod & illum pariter non latuit, qui & de huiusmodi sic coronatis locutus ait: Non nisi sua dona in nobis coronat Deus. Sed non ita bona hæc (quæ prætulimus) operatur in nobis, vt liberum arbitrium lædatur, sed vt in sua facultate permaneat. Quia (vt superius memorauimus) licet Deus volentem ad se trahat, non vult tamen nolentem cogere. Sed dicis: Si igitur (vt præmisisti) Dei sunt opera, quid ergo culpamur? Propterea dixi vt liberum arbitrium nostrum non lædatur: In nostro igitur arbitrio est velle bonum facere. Idcirco oportet vt primùm eligamus quæ bona sunt, & tũc Deus qui coadiutor est noster, quæ sua sunt introducet. Non enim antecedit nostras voluntates ne lædatur in nobis liberum arbitrium. Dum autẽ nos elegerimus, multam tũc nobis ob suam misericordiam, auxiliationem adfert. Qua in re nemo extollatur in faciendo bona opera, iuxta illud, Ne te extollas in faciendo opere tuo. Nam licet ad nos eligere & velle pertineat, Dei tamen est efficere, & ad perfectum deducere. Et ad hunc sensum locutus est Paulus, dum ait: Velle adia-

Psal. 58.

Psal. 21.

Philip. 1.

Psal. 102.

August.

Chrysost.

Deus quãdo auxiliũ suum adfert.

Eccles. 6.

Rom. 7.

cet mihi,perficere autem non inuenio. Quis ergo ſic temerè gloriabitur, vt tanquam de ſuo dicat,quia bonum vult? Nónne & hoc donum Dei eſt qui omnia operatur in nobis? Profectò, vt Auguſtinus ſentit, licet voluntas noſtra ſemper ſit libera,non tamen ſemper eſt bona,ſed duntaxat dum ſummo bono adhæret. Nec minus opera procedentia à bona voluntate,bona dicenda ſunt,niſi cũ Deo concurrant,vt Chryſoſt.docuit. Et ſic patet quid ad præmiſſa dicendum fuerat.

1.Cor.12.

Voluntas quando bona.

CONTRAPO. CCCLXVIII.

Pſal.2.
Luca.2.

D*Eo ſeruiendum eſſe in timore mandamur.*
Deo abſque timore ſeruiendum alibi.

Si Dei ſeruitus in timore perficiẽda eſt,vt pluribus in locis Scriptura monet,vnde hauſit præcurſoris pater,quòd abſque timore Deo ſeruiendum erat futuris téporibus? Nónne ambo id quod dixerunt ab eodem Deo eos accepiſſe credendum eſt? cur ergo in præmiſſis ſententiis ſe oppoſitos offerunt? Et hanc pariter conciliantes, præter id quod alibi pluribus in locis de timore locuti ſumus,& illud modò ſuperaddendum nouimus,dicentes & agnoſcentes præfatos minimè in huiuſmodi ſententiis fuiſſe contrarios. Nam & Zacharias præfatus tempus gratiæ vaticinando præueniens,quod proximũ eſſe nouerat,inter alia quæ de huiuſmodi tempore ac de huiuſmodi myſterio locutus eſt in ſuo Cãtico,hoc quoque dixit: Iuſiurandum quod iurauit (ſupple Deus) ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis nouiſsimis temporibus,ego fideliter & lætanter adimplendum expecto per Chriſtum, in quo videlicet promiſsionem factã Abrahæ terminari video, vt hac accepta,nos qui de gentes ſub lege fideliter credidimus,ab inimicis noſtris liberati,ſeruiamus Deo,non timore ſeruili,ſicuti illi patres priores ſub ſeueritate legis manentes,ſed timore filiali & reuerentiali. Quod facere nullatenus poterant hi qui ſub lege mortis detinebantur captiui, nec quidquid ab illis operabatur, ſine præuiſa Chriſti fide, ad ſalutem proderat. Ad quem ſenſum deducere poſſemus il-

Gene.17.

Rom. 6.

lam Ioannis sententiam, qua dicitur, Omne quod non est ex fide, peccatum est. Vt igitur hęc seruitus erga Deum impendenda à nobis sine timore fieret, Saluator noster pro nobis dignatus est duellum ingredi, dimicaturus cum antiquo hoste, quem pendens in cruce nudus, sic debellauit confixis manibus, vt foras eum eiiceret, auferens sibi omne dominium & principatum, quem ob peccatũ habebat in homine, quem sic lethaliter percusserat in horto voluptatis, vt omni bono priuaret. De quo conflictu pro nobis inito cum hoste præfato, & de victoria in certamine habenda Christus locutus, ait in Euangelio: Nunc princeps huius mundi eiicietur foras, & ego cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Quod ad vnguem euenisse videmus. Vtique post hanc fœlicem victoriam habitam cum hoste illo, non amplius diabolus adoratur in idolis, nec minus suis cultoribus dat responsa, sicuti prius facere consueuerat. De hac autem liberatione per Christum operata, Paulus locutus ait: Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Et alibi, hunc sensum secutus ait: Nunc autem liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ, habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem verò vitam æternam. Fiat ergo à nobis hæc salubris seruitus, eo modo quo faciendam docuit prænotatus senex, dum ibidem subiungens dixit: In sanctitate, videlicet vitæ & cõuersationis, ac in iustitia fidei. Vel dicamus, ꝙ ista seruitus in sanctitate & iustitia faciẽda est. i. in lege Euãgelica, quę lex ꝑfectionis dicitur ac libertatis quæ hominem sic sanctum facit ac sic iustificat, vt illum dignum Deo efficiat. Hoc & lex vetus, quæ (teste Paulo) infirmabatur per carnem, nequiuerat facere. Nam ipsa data fuit, quæ ægrum de morbo conuincebat qui sibi sanus videbatur. Data, inquio, quæ peccatum ostẽderet, & si non auferret. Quæ pœnam minabatur transgressori, nec perfectam poterat dare iustitiam operanti: sed ista noua taliter sanat hominem, vt eum ad cœlum transire ac euolare faciat. Sic igitur intellectis præmissis, in nullo prorsus contrariantur.

1. Ioan. 2. *Genes. 3.* *Ioan. 12.* *Diabolus non amplius adoratur.* *Coloss. 1.* *Roma. 6.* *Lucæ 1.* *Iaco. 1.* *Lex quare data fuit.*

CONTRA PO. CCCLXIX.

EX nihilo nati sumus, ait Sapiens.
Deus creauit orbem ex materia inuisa.

Nã si ex nihilo nati sumus, vt dixerat Sapiens, cur isdem quasi pœnituerit se primum dixisse, infrà attestatus est Deum creauisse orbem ex materia inuisa? Non
Sap.1. enim (vt cernim⁹) simul stare possunt prætermissa, vt ex
Ibidẽ.11. nihilo videlicet creatus sit orbis, & pariter ex materia inuisa. Sed si aciem nostri intellectus sana mẽte velimus erigere, proculdubio præmissas concordes reddemus. Nam si primam explanare placuerit naturales secuti regulas, repudianda erit, quia philosophi non illam tanquam veram admitterent cùm non concedant, ex nihilo posse aliquid fieri, quinpotius Aristotelis trita sententia est, quòd ex nihilo nihil fit: quæ sententia licet sit vera in naturalibus, quia omne quod fit hoc modo, fit ex determinata materia, & ab agente determinato, est tamẽ falsa ac erronea, & cõtra orthodoxã fidẽ, loquẽdo supernaturaliter: quia ex nihilo Deus creauit omnia. Et sic putamus accepisse Sapientẽ hanc sententiã, dũ ait: Ex nihilo nati sumus, habens videlicet respectũ ad Deũ creatorem omnium. Quamuis accipiendo nihil, vt opponitur contradictoriè omni positiuo, admittenda esset illa propositio philosophi, tanquam vera. Sic enim ex nihilo nihil fit, tam potentia naturali quàm supernaturali. Quia in omni factione necesse est, quòd passum vel aliquid sui, ante sui factionem habeat aliquod esse positiuum, vel si non reale, saltem cognitum. Aliam autem explanantes prẹmissam, placuit ad illam dicere, quòd materia, ex qua postmodum fuit formatus orbis, idcirco inuisa dicta fuit, quia confusa erat & absque forma, in illud chaos contenta quod & tenebris permixtum erat, id est aerẽ, ignẽ, aquam, & terram. Vtique tenebras inuisam materiã appellari placuit in proposito, sicuti & in Genesi legimus dum dicitur, Terra autem erat inuisibilis & incõposita. Ex qua confusione Deus postmodum (vt iamiam prætulimus) creauit orbem instituto firmamento, vt intra ipsum aquis congregatis in vnum, habitatio fieret humano ge-

no generi. Distinctis enim & discretis substantiis in concauo, domum habitabilem fecit. Recapitulantes ergo quę suprà memorauimus, arbitramur dicendū, primùm creatam fuisse materiam confusam & informem, vnde omnia fierent, quæ postmodū distincta atque formata fuêre. Nec obstat, quia licet aliquid posit produci ex omnino nihil, id est non de aliquo, vt creatura quę in mẽte diuina producitur in esse cognito de omnino nihil: creari tamen non potest quidquam de omnino nihil, sic intelligentes, quòd illud, nullum esse habuerit prius, videlicet nec reale, nec cognitum: licet aliquorum opiniones secuti possemus aliter respondere ad propositionem philosophi, dicentes quòd ibi E X, potest in illa dicere ordinem durationis, sic intelligentes quòd illud ꝙ producitur de nihilo secundum tempus, habuerit prius non esse, & sic stantes in limitibus naturalibus concederent philosophi hoc verum esse, quia saltem in omni factione vbi non esse, duratione præcedit esse, requiri necessariò diceret materiam siue subiectum factionis. Sed si sibi E X, dicit ordinem naturæ, concederent ex omnino nihil aliud fieri. Nam Auicenna dixit, quòd prima intelligentia producebat secundam, & secunda tertiam, & sic deinceps. Et sic ex prædictis patet finis conciliationis locorum totius veteris Testamenti.

CONCILIATIO LOCORVM COMMVNIVM ex Euangeliis.

TOMVS SECVNDVS.

CONTRAPO. I.

Ephes. 3. Colos.1. *SAcramentum incarnationis ignotum patribus.*

Sacramentum idem, alibi cognitum prænotatis.

Si verbi incarnatio priſcis illis patribus fuerat ignota, quomodo nota? quæ ſi nota, non vtiq; ignota fuerat: hæc enim (vt cernimus) ſimul ſtare nequeunt, cùm ſint oppoſita. Quibus arbitramur dicendum, quòd Paulus non dixerat abſolutè in altero, hoc ſacramentũ ignotum fuiſſe patribus, ſed abſconditum aliqualiter, ac tectum ſub figuris quibuſdã & enygmatibus. Si enim primæui ſanctorum exactè cognouiſſent fidei & incarnationis ſacramenta modúmq; naſcendi Saluatoris de virgine, incuriæ profectò & ingratitudinis vitio dandum eſſet illorum ſilentium: & quòd eam veritatem, ex qua redemptio & ſalus ſempiterna pendet hominum, adeò obſcura & ancipiti ſententia protuliſſent, & non potius enucleaſſent, planéq; cognitam palàm docuiſſent. Nullus tamen ſanctorum Patrum tametſi non clarè perſpexerit ſingula incarnationis ſacramenta, contemptui habuit. Aliud eſt enim diminutè, aliud perperam cogitare de re: eò quòd diminuta credulitas veritatem non excludit, quod tamen facit falſa opinio. Nobis verò qui
1.Theſſ.5. non ſub legis caligine ambulamus, ſed ſub ſplendentis gratiæ lumine, reuelatum ad plenum fuit hoc ſacramentum ac manifeſtatum ab illo qui illuminare venerat
Luc.1. ſedentes in tenebris & vmbra mortis. Hic enim in fine temporum naſcens ex Patris lumine & ad nos ve-

niens, taliter mẽtis nostræ tenebras illustrauit, vt DEUM verum agnosceremus per fidem. Nam sicuti lux à tenebris, vmbra à re ipsa differt, sic fuit differens illa patrum notitia ab ista nostra quam habemus de DEO vero. Idcirco hæc nostra fœlicia tempora Christus commemorans ait in Euangelio: Beati oculi qui vident quę vos videtis, me supple DEUM verum credentes sub humanitate latere. Sed illam patrum obscuram notitiam subiungens, addidit eo in loco, dicens: Amen dico vobis, quia multi reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Et sic ex dictis liquidò patet, quomodo hoc sacramentum fuerat illis notum, & quomodo nobis: nam illis sub velamine, nobis verò qui sumus filij lucis in ipsa veritate & in completo opere. Et sic patet quid dicendum fuerat.

Mat. 13. *Patrum obscura notitia.* *Ioan. 11.*

CONTRAPO. II.

Christi generationem nemo enarrare potest. *Esa. 53.*
Christi generatio sic erat, dicitur alibi. *Mat. 1.*

Si generationem Christi (vt vaticinio Prophetali prænuntiatum est) nemo enarrare potest, cur Matthæus in exordio sui Sermonis præmisit, dicens: Liber generationis IESV CHRISTI filij Dauid? Et huic quæ nullam prorsus in se continet contradictionem dicendum placuit, primam ad illam solùm pertinere generationẽ, qua ab æterno filius à Patre nascitur sine matre: sed altera econuerso ad naturam assumptam in tempore pertinere videtur, qua minor dicitur patre. De hac enim ipse filius locutus, ait: Pater maior me est. Nec dixit, Pater prior me est. Nam sicuti non est sol aut ignis prior splẽdore suo, licet ex illo nascatur: nec dici potest splendor sole vel igne posterior, cùm tamen (vt diximus) ex ipso nascatur, sic agnoscamus non esse patrem filio priorem, aut filium patre posteriorẽ. Et sicut substantialiter splẽdor in sole est, & sol in splendore, ita substãtialiter pater in filio & filius in patre est. Nam sicut solum patrẽ semper & sine initio ingenitum nouimus, ita filium & sine initio ex patre genitum confitemur. Nec alia causa est *Theologi.*

quæ diuiſionem faciat perſonarum, niſi quòd hic ingenitus eſt, & ille genitus, id eſt, hic pater eſt, & ille filius: quia pater ſemper pater eſt & nunquam filius, quia (vt diximus) non eſt genitus, ſed ipſe genuit. Et filius ſemper filius eſt, nunquam pater, quia non genuit, ſed genitus eſt. Hæc igitur audiens mente conſurge, & nihil humile ſuſpiceris, ſed potius propter hæc maximè mirare, quòd cùm filius eſſet ſempiterni Dei, etiam filius Dauid eſſe dignatus eſt, vt te filiũ Dei faceret. Seruum patrem habere dignatus eſt, vt tibi ſeruo patrem faceret Deum. Non enim fruſtra nec vanè ad tantam humilitatem ipſe
Ioan.1. deſcendit, ſed vt nos ex humili ſublimaret. Natus eſt
Galat.4. enim ſecundum carnem, vt tu naſcereris ſecundum ſpiritum: natus ex muliere, vt tu naſcereris ex DEO. Et ſic patet quid erat dicendum.

CONTRAPO. III.

Mat.1. *CHriſtus ſecundum carnem ex Dauid ſemine natus.*
2.Cor.5. *Chriſtum ſecundum carnem agnoſcere, interdictum alibi.*

Si ſecundum carnem natũ agnouit Chriſtum Euãgeliſta (vti in præcedenti prætulimus) cur econuerſo Chriſtum agnoſcere ſecundum carnem interdixit Apoſtolus? Nónne quod ipſe dixerat, à præceptore Domino ſe recepiſſe per reuelationem confeſſus eſt? Et huic pariter arbitramur dicendum, Apoſtolum non fuiſſe Euan-
2.Cor.5 geliſtæ contrarium agnoſcentes, ſed perfectorum gradum oſtendens in altera hortatus fuit Corinthios, vt ad altiora aſcendentes potiora deguſtarent, & qui Chriſtum in carne paſsibili veniſſe iam nouerant, contemplarentur eundem ſuſcitatum à mortuis, & regnantem
Mar.vlt. in cœlis ac ad patris dexteram ſedentem. Quos verò infirmioris intellectus eſſe cernerat, nondum cœleſtia valentes capere, hos duntaxat oleribus nutriendos eſſe iu-
Rom.14. dicauerat, & non ſolido cibo. De quorum numero pariter fuerant illi, quibus idem Apoſtolus ſcribens, ait: Fa-
Heb.5. cti eſtis quibus lacte opus eſt, & nõ ſolido cibo. Sed gradum alium iſto nobiliorem tangens addidit eo in loco, dicens: Perfectorum autem eſt ſolidum cibus: his ergo,

quos cernebat infirmiores esse, sufficiebat in Christum credere ac confiteri eum præ nimia dilectione, erga nos habita, carnem suscepisse mortalē, passúmque in illa ac crucifixum pro salute omnium. Et sic soluuntur præmissa absque vlla contradictione illæsa.

CONTRA PO. IIII.

CHristum fuisse à peccatis immunem Petrus docuit. 1, Pet. 2.
Qui peccatum non nouerat fecit peccatum, alibi dicitur. 2. Cor. 5.
Profectò si peccatum Christus non nouerat, quomodo econuerso dicitur, quòd peccatum fecerit? quod si fecisset, non fuisset à peccatis immunis, vti dixerat alter: quod est absurdum non solùm dicere, sed etiam cogitare. Laborabimus ergo vt ostendamus vobis hos Apostolos vera sensisse in suis sententiis, & taliter eas sententias reddemus concordes, vt nulla in illis remaneat contradictio. Dicemus ergo, quòd illa Pauli sententia ad patrem mittentem filium referenda est, vt sit sensus, Deus pater vnigenitum suū pro nobis fecit peccatarium, hoc est, hostiam pro peccatis. Peccatum enim in lege vocabatur sacrificium pro peccato, vti ipsa Lex non semel sed sæpissimè commemorat: & tale peccatum erat Christus, in quo, & super quem (vt Propheta præuiderat) Deus pater omnium nostrûm peccata de- Esa. 53.
clinare fecerat. Decebat enim per caput medelam suscipi, vt sanitatis beneficium impartiretur sauciatis membris. Quod mysterium ipse Christus liquidò ostendit, Mat. 26.
dum in vltima cœna, suscepto in manibus calice, ait cōuersus ad discipulos: Hic est calix, videlicet passionis, qui pro vobis (supple) sanandis, effundetur. Idcirco Pe- 1. Pet 2.
trus sentiens se ad plenum sanatum à vulnere, in persona omnium fideliū decantauit, dicens de Christo: Cuius liuore sanati sumus, sanguineo videlicet, abundanter effuso in crucis stipite. Hinc diligenter attendat redemptus, qua merce seu quo precio, redemptus sit, quia (vt prænotati Petri verbis vtar) non corruptibilibus auro & 1. Pet. 1.
argento de sua vana conuersatione, sed precioso sanguine, quasi agni incontaminati & immaculati Christi-

Sic igitur intellectis præmissis, prima non contradicit alteri, sed maximè conuenit.

CONTRAPO. V.

Mat. 4. Luc. 8.

Diabolus explorauit an Christus filius Dei esset. Diabolus nominauit Christum filium Dei esse.

Si illum esse filium Deì agnouerat, cur quasi hæsitans explorauit vt sciret? Non enim certus est, qui tentat vt sciat. Vtique dubius dicitur, qui duas habet vias. Idcirco vt syluam declinemus erroris, placuit dicẽdum, quòd diabolus sciuerat illum filium Dei esse quibusdam coniecturis, sed non certitudinaliter. Quare vt certior fieret, explorare curauit. Nouerat enim in Christo magnam esse perfectionem, sanctitatémque vitæ ac conuersationem laudabilem. Ignorabat tamen adhuc cęcutiens, an ad ista purus homo se extenderet. Idcirco per visionem carnis, quasi ad hominem solum tentator accessit, & Deum penitus ignorauit. Videbat carnem, sed ignorabat Domini maiestatem: cernebat infirmitatem, & non videbat deitatem. Licet hoc actum non fuerit sine dispensatione diuina, ne videlicet si illum Deum verum esse agnouìsset, humanę redemptioni esset impedimento, dicente Paulo, Quoniam si cognouissent, nunquam Dominum glorię crucifixissent, vel vt dicit glosa, crucifigi permisissent. Et sic patet quid dicẽdum fuerat.

Dubius quis dicitur.

Diabolus quomodo Christum cognouerit

1. Cor. 2.

Glosa.

CONTRAPO. VI.

Mat. 11. Ioan. 1.

Ioannem esse Heliam Christus dixerat. Ioannes se non esse Heliam respondit.

Si (veritate teste) Ioannes erat Helias, cur interrogatus dixerat se nõ esse Heliã? Profectò quod veritas asserit, hoc Domini pręcursor negat. Sed si diligẽter hæc cõtemplari velimus, proculdubio ea multum cõformia inter se videbũtur. Absit enim vt veritatis præco mentiatur. Nam quod ipse interrogatus respondit, hoc à veridico iudice acceperat. Idcirco ad ista sic respondendũ placuit dicentes, quòd Christus nõ dixit, Ioannem esse Heliam, quinpotius, ait: Si vultis suscipere ipse est Helias

qui venturus est, ac si diceret: Sicuti Helias præcursor meus erit in fine temporum, sic Ioannes præcursor mei aduentus in carne fuit. Ioannes ergo (vti Gregorij vtar verbis) Helias erat officio seu spiritu, sed non erat Helias in persona. Nam vna persona realiter distinguitur ab altera per indiuidualem hecheitatem, vt aiunt. Idcirco concludentes dicimus, quòd illud quod Dominus fatetur de spiritu, hoc veritatis præco negauerat de persona, dum interrogatus dixit: Non sum Helias. Et sic seruantur præmissa absque vlla contradictione. Luc. 1.

CONTRA PO. VII.

Ioannes quæsiuit an Christus Meßias esset. Ioan. 3.
Ioannes prædicauit Christum venisse in carne. Luc. 7.

Non parua quæstio in præmissis nobis offertur: Nam si Ioannes locutus cum Christo, iam dixerat: Ego debeo à te baptizari, viderátque spiritum descendentem in ipsum, sicut columbam (vti ab oraculo acceperat) cur tanquam inscius de huiusmodi quæsierat postea, an ille esset qui in mundum venturus esset? Si iam digito suo illum ostenderat, dicens: Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi: an forsan illum interrogans, an esset qui venturus erat in mundum, non meminerat illum se ostendisse Saluatorem esse? & si sic, cur ergo interrogauit? Laborabimus igitur, vt aliquid veritati consonum ostendamus. Dicamus ergo, quòd Ioannes non vt inscius quæsiuit, an Christus esset ille, qui in mundum venturus erat, cùm iam de hoc certus esset factus à spiritu sancto: sed idcirco quæsierat, vt sciret an ex officio conueniret sibi, patribus in limbo existẽtibus hoc denuntiare, per mortem corporalem descendens ad illos. Quæsiuit ergo, an ipse, qui viuens veritatis præco extiterat, eodem pariter fungeretur officio descendens ad patres, vt prænotatis bonus foret nuntius consolaretúrque illos. Et sic patet quid ad præmissa dicendum erat. Ioan. 1. Luc. 7.

CONTRAPO. VIII.

Mat.15. Mat.1.

IOannes venit non manducans, nec bibens.
Ioannis esca mel syluestre & locustæ.

Si Ioannis esca fuerat mel & locustæ, vt attestatur Marcus, cur ab altero præmissum est, quòd venerit non manducans, neque bibens? Huic quoque, quæ nullam prorsus in se continet controuersiam, dicendum placuit quòd per primam non infertur, quòd Ioannis esca nulla esset, sed illud referẽdum iudicamus ad consuetudinariũ cibum, quo illo tempore vtebantur Iudæi. Nã cùm Ioannes schola esset virtutum, sanctitatis forma, pœnitentiæ exemplar, rigidus in disciplina, ac in vita austerus, taliter præbebat se cernentibus, vt cunctis speculũ esset perfulgidum, & imitandum. Locusta verò quæ eius cibus fuisse describitur, animal est quoddam paruulum, inter volatile & reptile medium tenens, neq; à terra altè tollitur. Quia & si paululum eleuatur, non tam volat quàm salit, & cùm à terra se paululum eleuauerit, iterum pennis deficientibus cadit in terram. Neque hoc mysterio vacat: Nam locusta legem figurat, quæ Ioannis tempore, quasi paululum ab idolatriæ errore videbatur recedere, sed ad cœlum volare non poterat: quia regnum cœlorum nunquã in lege nouimus fuisse promissum. Hinc discamus qualis fuerit abstinentia istius præcursoris, qui locustis in eremo & agresti melle nutritur, non animalium carnibus, non volucrum suauitatibus pascitur. Poterat quippe iuxta Iordanem positus piscium sibi exhibere delitias, sed prædicaturus pœnitentiam, rigorem ieiunij exemplo suo magis debuit factis ostendere quàm voce. Sic igitur intellectis præmissis, prima non contradicit alteri, sed maximè conuenit.

Ioannis perfectio.

Locusta quid sit.

CONTRAPO. IX.

Ioan.1. Luc.1.

IOannes interrogatus negauit se esse Prophetam.
Ioannes Propheta est prænuntiatus in Cantico.

Cur Prophetam se esse negauit Ioannes, quem pater Prophetam esse Domini iam prius in Cantico prænuntiauerat? Idcirco & huic sic respondendum placuit

dicentes, quòd Ioannes non fuit mentitus dum se Pro-
phetam non esse dixerat , quia forsan dum fuit interro-
gatus Propheticus spiritus à se recesserat , quemadmo- *4. Reg. 4*
dum & Heliæ euenisse legimus aliquando. Vel aliter di-
camus, quòd Ioannes, quia Propheticum excesserat gra-
dum idcirco interrogatus dixerat , se non esse Prophe-
tam : quæ litera cum præcisione est intelligenda : quia *Ioan. 1.*
Ioannes non sicuti cæteri Prophetarum venturum fore
Dominum duntaxat prænuntiauerat , sed viso illo non
in figura seu in enygmate , sed carneis oculis illum cer- *Ibidem.*
nens, ait: Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi.
Quapropter non dixit mendacium, quando respondens,
ait : Non sum Propheta , quia gradum præcesserat pro-
phetalem (dicente Saluatore) Plusquam Propheta est. *Luc. 7.*
Quanquam adhuc possemus dicere ad pręmissa , quòd
cùm Ioannes esset verus humilis, se non esse Prophetam
dixerat forsan , ne iactanter de se quærere videretur . Et
sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. X.

Mat. 11.
Galat. 4.

IOannes maior omnibus inter natos mulierum.
Christus natus ex muliere, maior Ioanne fuit.

Si (Saluatore teste) inter mulierum natos nemo sur-
rexerat maior Ioanne , cur idem Ioannes loquens de
Christo ait: Qui post me venit maior me est ? Vtrunque
enim testimonium considerãdum est, & quod perhibuit
dominus de seruo , & quod perhibuit seruus de domi-
no. Nam si in natis mulierum non surrexit maior, Chri-
stus est minor illo . Ambo autem mirabiliter nati , præ-
co & iudex , lucerna & dies , vox & verbum, Dominus
& seruus, de sterili seruus, de virgine dominus: verum ad
præmissa respondentes dicimus quòd per primam ex-
cludendi veniunt cæteri omnes præter dominum , qui
Ioannem statuit , vt inter natos mulierũ maior non sur-
geret. Deniq; quia in magno sacramento natus est Ioan-
nes , idcirco ipsius solius Ioannis iustè natalem diem ce-
lebrat Ecclesia: & natalis domini celebratur: sed Ioannis
tanquam serui, alterius tanquam domini. Præcedit enim

ille obſequendo,ſequitur iſte dominando:quia & ipſum Ioannem creauit Chriſtus,creator ante matrem creator matris:Idcirco magnus homo Ioannes dicitur,quo maior in hominibus non fuit: Chriſtus verò nõ ſolùm fuit homo,ſed & Deus pariter in eodem ſuppoſito. Vis ergo videre ô homo,quòd licet Ioannes cęteris maior fuerit, non tamen maior Chriſto ? quia ille corruptibilis vteri ſenibus effuſus eſt,iſte impollutæ virginis flore progenitus. Ideo cum Ioannis natiuitate domini generatio deputatur,ne dominus extra veritatem videatur conditionis humanæ: Si comparetur hominibus Ioannes præmiſſus eſt ante Deum. Sic ergo intelligendum eſt myſterium,Ioannes homo eſt,Chriſtus Deus eſt. Maior eſt Deus Chriſto homine,maiórque Ioanne.vt enim homo humiliaretur,Ioannes natus eſt: vt verò exaltetur Deus, Chriſtus natus eſt. Et ſic relinquuntur præmiſſa abſque contradictione aliqua illæſa.

Ioannes nõ maior Chriſto. *Gala. 4.*

CONTRAPO. XI.

Pſal 17. *CHriſti dominium à mari vſque ad mare.*
Ioan. 15. *Chriſti regnum de hoc mundo non erat.*

Si à mari vſq; ad mare Chriſti dominium ſe debebat extendere, vti Vates in pſalmis prænuntiauerat, cur Chriſtus interrogatus à Pilato præſide dixit, ſe non habere regnum de hoc mundo? Nónne dilectus diſcipulus in ſuis Reuelationibus vocauerat illum regẽ regum, ac dominum dominantium? Idcirco & huic ſic reſpondendum ſtatuimus,præmiſſa potiſsimũ intelligentes de ſpiritali dominio, quo in credẽtium cordibus Chriſtus per fidem regnare debebat vbique terrarũ. Ad quod regnũ diſponẽdum præcones Apoſtolos deſtinare complacuit per vniuerſum orbem, mandans illis vt credituris in illum confidenter dicerent: Appropinquauit in vos regnũ Dei. In his ergo duntaxat plenum dicitur Chriſtus habere dominium,qui non ea quæ carnis ſunt, ſapiunt,ſed quæ Dei ſunt. Scientes nihilominus aliud eſſe regnum Chriſti ſecundum poteſtatem diuinitatis,ſecundũ quod omnis creatura ſubiecta eſt illi, & aliud eſt regnum ſe-

Ephe.3. *Luc.10.* *Rom. 8.*

cundū proprietatem fidei, quod & redditurus est patri, postquam posuerit inimicos suos scabellū pedum suorū, & euacuauerit omnem principatum & potestatem. Nā secundum id quod verbum Dei est, tam sine fine, quàm sine initio est regnum eius: secundum verò id quod verbum caro factum est, cœpit regnare in credentibus per fidem suæ incarnationis. Et sic patet quid dicendum. Ioan.1.

CONTRAPO. XII.

Ioan.2.
Ioan.11.

C*Hristo omnia patentia fuêre.*
Christus ignorauit sepulchrum Lazari.

Mirū quippe videtur, vt ille qui patris sapientia dictus fuit, defuncti Lazari sepulchrum ignorauerit: dixerat enim ad sorores conuersus: Vbi posuistis eum? Sed si ad hæc, & ad alia similia ab illo operata aciem nostri intellectus velimus dirigere, clara luce cōtemplabimur, ꝙ non sicuti inscius quæsierat à sororibus, vbi defunctum locauerant fratrē, quemadmodum & de Emorroissa scriptum legimus, dum ait: Quis me tetigit? (Mar.6.) Et in veteri testamento: Adam vbi es? (Gene.3.) Et descēdens videbo si iuxta clamorem suū qui venit ad me, perficiunt. (Gene.19.) Idcirco dicimus, quòd dominus hoc indicio ostēdere voluit se assumpsisse naturam mortalem similem nobis, secundum quam percunctatus fuit de sepulchro huiusmodi, licet ex consequentibus ostenderit se verum Deum esse, dum amoto lapide ab ostio monumenti, tanquam Deus imperauit mortuo, vt suscitatus à monumento, exiret dicens voce magna: Lazare veni foras. (Ioan.11.) Cui voci inferi patuerunt, & mortuum reddiderunt. Vel dicamus si placet, & forsan melius, quòd idcirco in initio se nesciuisse sepulchrum finxerat, vt petentis desideriū magis magísq; augeretur: vtique vulgò dicitur: Nil carius emitur quàm quod precibus obtinetur. Et sic patet quid dicendum fuerat.

CONTRAPO. XIII.

L*Azarum non mortuum, sed dormientem Christus dixerat.* Ioan.11.
Lazarum realiter esse mortuum, infrà subiungit. Ibidem.

Si dominus locutus de Lazaro illum dormire dixit, cur illico subiunxerat mortuum esse præfatum? Non enim dormire dicendus est ille, qui realiter cernitur mortuus. Hæc enim (vt patet) contradictionem apertam inferunt, mortuum videlicet & non mortuum fuisse Lazarum. Sed absit à fidelium mẽtibus, vt ille qui summa veritas dicebatur & erat, in huiusmodi laberetur errorem, vt mortuum esse dixerit, qui dormierat: & dormire, qui verè fuerat mortuus. Idcirco & huic pariter dicendũ nouimus, quòd Lazarus realiter mortuus erat, cuius anima iam ad inferna descenderat. Sed quia dator vitæ iam decreuerat post quatriduum præfatum à mortuis reuocare, idcirco eundem dormire dixerat: Nam licet Lazarus suis sororibus esset mortuus, legem veterem adhuc sentientibus, Christo defunctus non erat, qui & præfatis dixerat: Ego sum resurrectio & vita. Idcirco & sanctus Ambrosius de huiusmodi facili resurrectione locutus aliquando, ait: Nemo tam facilè à somno excitat, quàm de sepulchro Christus suscitat quempiam. Vel aliter dicas, si placet, quòd Christus rectè hanc corpoream mortem dormitionem dixerat, illi æternæ comparatam, quam & mortem secundam vocauit Ioannes in Apoc.

Lazarus verè mortuus.

Apoc. 2.

CONTRAPO. XIIII.

Ioan. 3. *Qui non credit in me, iam iudicatus est.*
Ioan. 8. *Multa habeo de vobis iudicare, alibi.*

Si illum qui in se non crediderat, iam pro iudicato existimauerat, vt in prima liquidò reserauit, quæ de illo iudicanda erant? Non enim iudicandus iterum erit, qui iam iudicatus esse legitur. Et huic, quæ nullam penitus oppositionem in se continere videtur, dicendum placuit, quòd non obstat vt quispiam ob suam incredulitatem sic iudicatus speciali iudicio, & quòd palàm fiat iudicium, quo in occulto fuerat iudicatus. Nec audiendi sunt illi qui diem iudicij negant futurum. Dicunt enim isti insanientes: Si ille qui credit, non veniet in iudicium, & ille qui non credit iã iudicatus est, vbi sunt quos Christus iudicaturus est in iudicio finali, quo omnes iudican-

Mat. 25.

Ioan. 3.

di creduntur, vt vnicuique manifestum sit singulorũ iudicium, & vt dignè vnusquisque recipiat prout se in corpore gesserit, siue bonum, siue malum? Idcirco quia certum est iam futurum, ita dictum est in prima, quasi iam factum sit. Quanquam illam aliter explanantes possemus dicere, ꝙ idcirco iudicandus erit non credens in illum, quia iam iudicio destinatus est, & præscientia Dei damnatus, qui nouit quid immineat non credentibus in Christum. Et sic patet quid ad præmissa dicendum erat. 1.Cor.5.

CONTRAPO. XV.

CHristus ait, *Qui credit in me,*
Non credit in me.

Valde præmissa à se inuicem distare cernuntur, credere in me, & in me non credere: nam credere & non credere contradictoriè se offerunt, sed si diligenter hanc scrutari velimus, eam proculdubio esse veram contemplabimur: Nam quando Saluator ait: Qui credit in me, non credit in me, sic voluit hanc sententiam esse intelligendam, vt talis esset sensus: Qui credit in me (hoc est) qui me verum Deum esse cogitat, nõ credit in me, id est, non putat illud à meipso habere, cùm nihil ex me habeam, sed totum à patre traditum quicquid habeo, iuxta illud: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Vel sic illã explanantes: Qui credit in me, quasi diceret, quid timetis in me credere? Fides in Deum per me aditum habet. Non enim dixit, qui credit mihi, ne quis verba eius credi interpretaretur, quod & in hominibus dici poterat: Qui enim Apostolis credit, nõ Apostolis credit, sed Deo: sed vt intelligeres de fide in substantiã dicere, non dixit: Qui credit verbis meis, sed in me. Sic enim in illum perfectè crediderat ille qui cõuersus ad eum interrogatus, respondit: Tu es Christus filius Dei viui. Nouerat enim Apostolus non esse filium sine patre, neque sine filio patrem. Vel adhuc si placet dicamus, talem iudicantes esse præmissarum sensum, videlicet, Qui credit in me, nõ in hoc, quod foris apparet credit, sed in eo quod intus latet, ne eius spes in creatura sit, sed in illo qui creaturam

Ioan.12. Ioan.12. Luce 4. Mat.16. Galat. 4. Ioan.1.

suscepit in tempore, vt humanis oculis sic apparet. Sic ergo præmissis intellectis, in nullo prorsus contrariantur.

CONTRAPO. XVI.

Mat. 10. CHristus ait, *Qui inuenit animam suam, Non inuenit animam suam.*

Si inuenire perdere dicitur, quomodo stabit Euangelicus sensus? Non enim perdi dicitur illud quod cũ perditur, inuenitur. Idcirco & hanc sic enodandam esse nouimus, vt eius talis sit sensus, Qui vitam hanc temporalem inordinatè duxerit, ambulans secundum animalẽ hominem, eam proculdubio sic inuentam perdet, dum illam vnà cũ anima ad supplicia destinabit æterna. Profectò tũc res perdi dicitur, dum suum non assequitur finem, veluti & de medicina dicere consueuimus, quã vanam esse dicimus, dum per eam ad plenum non abscinditur morbus, nec minus introducitur sanitas. Pariter & de gratia Dei dicendum nouimus, quæ animę sanitas dicitur, sine qua anima ꝑdi dicitur, & talis videtur esse sensus primæ, sed econuerso de alia sententia placuit dicendum, qua dicitur: Qui perdiderit animam suam inueniet illam, quam non sic absolutè nouimus intelligendam, sed cum illa additione quæ mox sequitur illam, dum dicitur, propter me, vt pariter & istius sit sensus, qui animã suam propter me filium Dei morti exposuerit, non eam perdet, quamuis corpus morti corporeę succumbat, sed illã potius inuenit: quia sic proficuè perdere, non est perdere, sed inuenire: & non vtcumque, sed inuenire in vitã æternam. Profectò sic animã suã cupierat perdere ille, qui ait: Ego paratus sum pro nomine Iesu animam meã morti tradere: vt illam sic perditam inueniret ac conseruaret in vitam æternam. Et sic patet quid dicendum.

Acto. 1.

CONTRAPO. XVII.

Ioan. 7. CHristus testatus est se à Iudæis agnitum esse.

Ioan. 8. Christus dixerat infrà, se non agnosci ab illis.

Profectò præmissa simul stare nequeunt: nã si illũ

ſciebant,quomodo ignorabant?ſed ſi verborum ſeriem contemplari placuerit, clara luce videbimus vtranque veridicum in ſe continere ſenſum.Profectò per opera arguit quæ ipſe fecerat,dum apud illos moram ageret,quę nemo alius fecit:Idcirco vt eum Deum verũ eſſe agnoſcerent,illos frequenter mittebat ad opera,dicens: Si mihi non vultis credere, operibus ſaltem credite. Nempe ſanans & viuificans,propria faciebat virtute,& imperãs: ait enim,Lazare veni foras: Adoleſcens tibi dico ſurge: Et Leproſo ait:Mundare. Cæteros verò, quos mirabilia fuiſſe operatos legimus,hos non propria virtute ſed Dei ope & præſidio operatos fuiſſe non hæſitamus.Nam & Petrus dixerat claudo:In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge,& ambula.Quod verò in altera dicitur, quòd illũ ignorauerint,hoc ad duras ceruices illorum referendum nouimus,exiſtimantes illum eſſe hominem ſolum:idcirco alloquentes illum aiebant:Tu cùm ſis homo,facis te ipſum Deum. Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque contradictione vlla illæſa.

Ioan.15. Ioan.10. Ioan.11. Lucæ 7. Mat.10.

CONTRAPO. XVIII.

CHriſtus ſelegerat è mundo apoſtolos.
Chriſtus dixit præfatos in mundo eſſe.

Si præfatos ſe elegiſſe è mundo teſtatus eſt,quomodo verũ erit quòd erant in mundo?Vtique quod ſelectum eſt, non amplius eſſe de cumulo intelligendũ eſt, ſed ſemotum ab illo.Idcirco & hanc quamuis expoſituri ſimus infrà,nihilominus & modo ad illam dicendum placuit,quòd non obſtat ꝙ præfatos è mundo ſelegerit, & ꝙ mundum tanquã aduenæ & hoſpites inhabitarent: Vtique ciues ſanctorum iam effecti, cœlo duntaxat viuebant, nullam expectantes amplius habere portionem in terris:& taliter vt ad mundum conuerſi poſſent dicere confidenter, Et à te quid volui ſuper terram?nobis in hoc præbentes exemplum,vt dum cœleſti militię aſcribimur in baptiſmate,voto & opere mundo renuntiemus:Secus verò facientes, regnum cœleſte minimè poſſumus adipiſci:nec minus illius diſcipuli fieri,qui ait:

Ioan.12. Ibidem. 1.Petr.2. Epheſ.2. Pſal.72. Lucæ 14.

Deus cur locauitnos in vineā. Luca 8.

Qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus: Qui nisi sic fecerimus, tanquā inanis & vana ac omni merito vacua existimabitur nostra professio ab illo, qui idcirco nos vocans, in suam locauit vineam, vt illam tanquam boni agricultores operaremur, reportantes ex ea fructum 60. & 100. Et sic patet quomodo præfatos è mundo selegerat, & quomodo ipsi in mundo erant.

CONTRAPO. XIX.

Ioan.7. Ibidem.

CHristus se nolle ascendere ad diem festum dixerat.
Christum ad diem festum ascendisse attestatus est Ioānes.

Quis auderet dicere, ꝙ ille qui summa veritas dictus est, & qui omnium veritatum dicitur regula, vnū dixerit & aliud fecerit? Idcirco ne præmissa inconcussa relinquamus, placuit respondendum, dicentes: primā non absolutè intelligendam esse, sed quòd nollet ascendere in publico, vt palàm videretur, quasi homo honoris cupidus & primatum diligens, sed in secreto, vt illa quæ ad patris gloriam operabatur, patri duntaxat fierent nota, vt sic exemplo firmaret, quod verbo postmodum relinquendum decreuerat. In hoc cautos nos faciens, ne vbi prophana seu gesticularia operantur, inueniamur, & ne simplices & pusilli moram facientes his in locis scandalū patiantur, nos ibidē cernentes: sed cùm necesse fuerit illuc accedere, cursim pertranseamus. Pariter dās exēplū, ne persequentiū oculis occurramus, quorum odiū & ira magis accenditur, dū nos in publicū venisse cernunt. Et sic seruantur præmissa illęsa absq; cōtradictione aliqua. (Mat.6.)

CONTRAPO. XX.

Mat.18. Heb.1.

ANgeli Dei semper vident faciem patris.
Angeli omnes in ministerium missi.

Si præfati patris faciē spiritus illi semper conspiciunt, cur eos in ministerium mitti nouerat Paulus? Profectò si mittuntur, ab illa benefica visione recedunt. Et huic, quæ nullam in se prorsus contradictionem videtur inclu-

includere, sic nouimus respondendum, dicentes quòd si angeli Conditoris aspectum exeuntes amitterent, nec iacentes possent erigere, nec nobis vera denũtiare valerẽt. De his enim angelis qui mittuntur ad nos, locutus Hilarius, ait: Angeli missi sunt propter eos qui hæreditabunt salutem, Deo nihil de his quæ agimus ignorante, sed infirmitate nostra ad rogandum & promerendũ, spiritualis intercessionis ministerio indigente. Mittuntur ergo, sed non ob hoc quia mittuntur, priorem locum desinũt, quinpotius ibidem continuè assistunt, cùm non reperiatur locus quem non impleat Deus, iuxta illud: Cœlum & terram ego impleo. Et iterum: Cœlum mihi sedes est, terram autem scabellum pedum meorum. Idcirco concordantes præmissa, dicimus, quòd licet angeli ad nos veniant spirituali præsentia, & ministrent, ibi tamen vnde recesserant, per internam contemplationem semper se seruant. Non enim veluti homines locum occupãt, cùm non sint in illo circunscriptiuè, sed tantùm diffinitiuè, vt aiunt. Et sic patet quid dicendum. *Hier. 3.* *Esa. 66.*

CONTRAPO. XXI.

ANgeli semper Deo aßistunt.
Angeli in Deum prospicere desiderant.

Si angeli in Deum prospicere cupiunt, vt Petrus attestatus est, nondum obtinuerunt quod optant: vtique quod optatur, nondum consecutum est. Idcirco & huic præter id quod deposuimus in præcedenti, placuit addendum, dicentes, quod licet angeli, Dei præsentiam nunquam relinquant, sed semper assistentes illam speculentur & videant beentúrque in illa, semper tamen perpetuari desiderant in videndo. Quanquam & hoc suum desideriũ absque labore perficiant. Idcirco ne cum desiderio sit anxietas, satiantur videndo, & ne in satietate fastidium generetur, satiari desiderant. Semper enim desiderium comitatur satietas, & ex desiderio accenditur satietas, cùm in illis naturalis illa regula non præualeat, qua dicitur quòd habitibus præsentibus cessat motus. Et sic patet quid dicendum. *Mat. 18.* *1. Pet. 1.* *Philosophi.*

CONTRA PO. XXII.

Mat. 22. *Eum diligere super omnia maior charitas.*

Ioan. 15. *Animam pro amicis exponere maior dilectio.*

Si (veritate teste) maior charitas est diligere proximum, ac pro illo animam exponere, Deum diligere super omnia non erit primum nec maius mandatum. Et huic pariter sic nouimus respondendum dicentes, quod illa proximi dilectio intantum vocatur dilectio, inquantum procedit ex illa Dei, sine qua nec nobis foret vtilis, nec Deo placita, cùm sine illa dilectione Dei non valeat homo gratum Deo præstare obsequium, qui ante omnia præcepit sibi exhiberi honorem & reuerentiam: demum proximum mandauit diligere propter Deum. Idcirco ad alteram sic nouimus respondendum dicentes, quòd animam pro amicis exponere, gratum sibi erit si propter illum fit, ac in ordine ad eum. Secus autem faciētes, sine fructu existimabitur ista proximi dilectio. Vel dicamus si placet, quòd inter amicos quos nos habere cognoscimus, potior & intimior nobis est Deus. Profectò cæteri comparatione illius deteriores esse cernuntur: ipse enim nimia victus dilectione non pro amicis, quorum nullus erat, sed pro inimicis suam dignatus est exponere vitam, offerens se sponte patibulo crucis, vti Paulus cœlestium arcanorum reserator deposuit. Vel dicamus aliter ad istam, quòd animam pro amicis exponere maior charitas dicitur, si ad secundam tabulam habeatur recursus, quia iuxta illud Iob: Cuncta quæ habet homo daret pro anima sua: secus autem si ad primum legis mandatum habeatur respectus, quod (vt præmisimus) est Deum diligere super omnia: Et sic patet quid fuit dicendum ad præmissa.

Deus potior amicus noster.

Rom. 5.

Animã pro amicis exponere.

Iob 2.

CONTRA PO. XXIII.

Mat. 22. *Egis impletio in duobus præceptis.*

Rom. 13. *Legis impletio in dilectione proximi.*

Si (Paulo teste) diligere proximum est legem implere, superflua cernitur prima tabula, quæ circa dilectionem Dei & cultum illi exhibendum versatur. Et huic,

quæ non nisi apparentem contradictionem videtur inferre, dicendum placuit, quòd Apostolus de proximi dilectione locutus, non intellexit per illam euacuare totã obligationem, qua tenebatur homo per Legẽ decalogi, sed duntaxat illam, quam erga proximum habet homo, quam in secunda tabula contineri cernebat, vti in prænotato loco circunstans litera liquidò ostendit. Vel forsan dicamus & melius, ꝙ veritatis præco nouerat proximum non posse diligi sine dilectione Dei, qui primò, & ante omnia (vt in præcedenti præmisimus) diligendus est per se, deinde proximus in ordine ad illum. Vtique vt sic fieret ordinatè ista dilectio præceptum fuit in Canticis, dicente sponsa, Ordinauit in me charitatem. Idcirco qui hunc ordinem præterierit, tanquã legis transgressor existimandus erit: pariter & qui proximum dilexerit nõ in ordine ad Deum. Nam (vt Gregorij vtar verbis) Aliud est quod sponte naturæ impenditur, aliud quod præceptis dominicis ex charitate debetur obedientiæ. Vult enim Deus & præcipit vt diligamus proximum, & non ob hoc quia carnis cognatione duntaxat nobis coniunctus est, quinpotius quia in illo diuinam cernimus imaginem, quam dilectionem in ordine ad illum referre debemus, vt nobis proficua & vtilis fiat, illíque grata & placita. Et sic patet quid fuerat dicendum. *Cant. 2.*

CONTRAPO. XXIIII.

ARbor bona bonum fructum facit. *Mat. 7.*
Adam bona arbor, malum fecit Cain. *Genes. 4.*

Si bona arbor nõ valet producere nisi bonos fructus, cur oppositum infertur in altera? Et huic, quæ nullam in se contradictionem continet, dicendum nouimus, primam esse intelligendam de fructu operis à bono corde procedente, iuxta illud: Bonus homo profert bona de thesauro suo. Nam sicut ad perfectionem bonę arboris requiritur, vt fructum bonum ferat, sic homo, qui ab Aristotele arbor inuersa dicitur, non potest esse perfectus nisi fructum bonorum operum producat. Et sicut arbor habet radicem in terra fixam, à qua humorẽ *Luc. 6.* *Mat. 12.*

attrahit ex quo nutritur, sic vir perfectus habet radicem sui cordis in Deo fixam, quare iactat omnem cogitatũ suum in eo. Nec obstat huic primæ, ꝙ econuerso statim subiungitur in eo loco de mala arbore, malum faciente fructum: quia & baptizãs licet aliquando malus sit, bonum tamen fructũ producit in Christo: Quia fructus huiusmodi in Ecclesia productus non baptizantis ministri dicendus est, sed fructus Christi bonæ arboris, in cuius nomine baptizatur quispiã. Nec pariter obstat, ꝙ Deus, qui bona arbor dicitur, malum faciat fructũ, dũ quempiã hominum gehennę suppliciis cruciandum deputat: quia licet gehenna sit quoddam malum damnato, iustitia tamen Dei bona est, & ipsa fructus est procedens à bona arbore. Nam Deus quantum ad se pertinet, bonum facit fructum: quia omne iustũ, bonũ est. Nec fructus malos Deus dare potest, qui semper bona arbor dicitur. Hos verò fructus operum (quos pręfati sumus) fructus iustitiæ Paulo placuit appellandos esse, quos nisi produxerimus toto posse nostro, inter infructuosas arbores computabimur: Licet illos nõ valeamus producere sine ope illius, qui de huiusmodi fructu locutus ait in Euangelio suos alloquens discipulos: Sicut palmes non potest ex se fructum facere nisi in vite mãserit, sic nec vos nisi in me manseritis. Qui quidẽ fructus licet illius ope producantur à nobis, ob quod & fructus Dei pariter dici deberẽt, tamen ipse ob suam nimiam pietatem permittit, vt fructus noster sit & dicatur, maneátque nobiscum in æternum, iuxta illud, Et fructus vester maneat. Ad quem sensum forsan locutus est ille, qui de iustorũ operibus, ait: Opera enim illorum sequuntur illos. Ad alteram verò quæ nullatenus opponitur primæ nouimus dicendum quòd de corporis fructu intelligenda est, quem malum non produxerat Adam, sed bonum. Sed quia Cain (vt asserit Ioannes) ex maligno erat, idcirco propria sponte malus fructus fuit effectus, dum libero arbitrio malè fuit vsus occidens fratrem Abel, in quo Cain familia diaboli sumpsit exordium. Et sic ex pręd ictis patet quid fuerat dicendum.

Deus semper dat nobis bonũ. *Phil. 1.* *Ioan. 15.* *Fructus boni operis quomodo noster dicatur.* *Ioan. 15.* *Apo. 14.* *1. Ioan. 3.*

CONTRAPO. XXV.

B*Aptizandus præcipitur quilibet in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.* Mat. 28.

Baptizandus mandatur alibi solùm in Christi nomine. Act. 2.

Si in Trinitatis nomine quilibet baptizandus præcipitur, cur Petrus, qui præceptorem imitari debuerat, mutauit hanc formam quam Christus tradiderat? Idcirco & hanc sic enodandam esse placuit, dicẽtes minimè adinuicem repugnare præmissa, quamuis verborum series alia & alia esse videatur: nam idem significatum continẽt ambo. Et (vti Theologica vtar doctrina) dicendum placuit, personam quãlibet diuinam in aliam per circunincessionem contineri, quod & liquidò reserauerat ille qui de huiusmodi continentia locutus, ait: Ego in patre, & pater in me est. Quare secundam ad prænotatum explanantes sensum, dicimus ꝙ baptizatus in Christi nomine, totius Trinitatis nomine intelligitur baptizatus. Nam in hoc nomine Christus, qui Hebraicè dicitur Mesiach, Græcè verò Christos, interpretatus autem dicitur vnctus, Pater vnguens continetur, Filius vnctus, & ipsa vnctio, qua Filius præ participibus suis fuerat vnctus. Quare sic nouimus concludendum, dicentes ꝙ baptizatus in nomine patris, & Filij, & Spiritussancti, in Christi nomine intelligitur baptizatus. Sic igitur intellectis præmissis, in nullo contrariantur.

Theologi. Ioan. 14 Psal. 44.

CONTRAPO. XXVI.

E*T ne nos inducas in tentationem.* Mat. 6.

Beatus vir qui suffert tentationem. Iac. 1.

Si tentationẽ sufferre Christiano dicitur vtile, cur Christus patrem rogare docuerat, ne nos in tentationẽ induci permitteret, tanquam si mala foret tentatio? Et huic sic respondendum esse iudicauimus, dicentes, aliud esse tentationem sufferre, aliud induci in tentationem. Nam illam sufferre plerunque nobis est vtile & proficuum, dum videlicet per illam probamur, & coronamur illa corona vitæ, quam & promisit Deus huiusmodi legitimè certantibus. De hac enim locutus Sapiens dixe- 2. Tim. 2.

Eccl. 32 rat:Et qui non est tentatus quid scit? Sed in tentationem
Tribulatio coronat hominem. induci semper malum est,& damnosum. Nam sicuti per tentationem licitè toleratam, probamur & coronamur (vt præfati sumus) sic econtrariò dum in tentationem inducimur, deiicimur & succumbimus: per primum enim plerunque ad plenum obliteratur deletúrque quod in nobis cernebatur carnale & terrenum, sed per alterū
2. Pet. 2. efficimur serui diaboli, vti Petrus docuerat: Tentatus e-
Iob 1. nim fuit Iob à Sathana, sed non tanquam victus indu-
Psal. 45. ctus in tentationem. Tentatus pariter Paulus, sed non victus in illa, sed adiutus ab illo, qui nostra virtus, refugium & adiutor dicitur, qui non permittit nos tentari
1. Co. 10. vltra id quod sustinere valemus, sed facit cum tentatione prouentū: pariter & de plerisque legimus, qui in suis tentationibus victores extiterūt, idcirco & coronari meruerunt ab illo, qui in nobis sua dona duntaxat coronare dicitur, vt Augustinus senserat. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. XXVII.

Mat. 12. *Bonus homo bona profert de thesauro suo.*
Mat. 19. *Bonus nemo nisi solus Deus, dicitur alibi.*

Si solus Deus bonus dicitur, vt omnis Scriptura testatur, qua bonitate bonus dici poterit aliquis hominū? Et huic pariter nouimus respondendum dicentes & contemplantes Deum aliter esse bonum, aliter hominem. Nam Deus sua innata ac essentiali bonitate, necnon & in abstracto dicitur bonus, quę quidem bonitas sibi substantialis est & non accidens. Cætera verò omnia, & si bona dicuntur, huiusmodi participatione bona nuncupantur. Nam Deus radios suæ bonitatis diffundens per creaturas, facit illas bonas. Licet homo qui solus inter omnia creata sui Creatoris gestat imaginem, magis participet de hac bonitate. Reliquæ verò creaturæ, si quid diuinum in se continent, vestigium duntaxat diuinitatis repręsentare noscuntur, vt aiunt. Idcirco & Vates regius, vt secretorum Dei conscius fieri mereretur, petiit edoceri iustificationes Dei in illa bonitate diui-

na, dum dixit in psalm. conuersus ad Deum: Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas. Ob quod relinquimus concludentes, quòd si quis hominum ad id muneris se peruenisse nouerit, vt bonus dici mereatur, hoc non ex suis meritis se acquisiuisse iudicet, sed ab illo se gratis accepisse gaudeat, qui suæ bonitatis illum participem facere dignatus est, & cum psalm. dicat, Non nobis domine, sed nomini tuo da gloriam. Et sic patet quid dicendum. *Psal. 118* *Psal. 113.*

CONTRAPO. XXVIII.

ANimam pro ouibus ponere monetur pastor. *Ioan. 10.*
Animam suam seruare pastori conceditur, alibi. *Mat. 10.*

Si animam pro ouibus ponere tenetur pastor, vti verbo & exemplo docuerat Christus, cur alibi pastori conceditur, vt persecutionem declinanti fugiat aliam ciuitatem? Non enim hoc erit animam pro ouibus ponere, sed se seruare. Idcirco & huic sic respondendum iudicauimus, dicentes, quòd quando pastor duxerit sibi necessarium esse in carne manere, vtpote pro instituenda plebe sibi credita, tunc spernendus non est, si bulientis persecutionis declinans impetum ad alia loca diuertit. sic tamen vt voto semper paratus sit, si foret necesse vitam exponere propriam pro grege tuenda. Sicuti beati Martini instruimur documento. Is enim dum se proximum morti esse agnosceret facie ad Deum cõuersus, ait: Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso pro eis subire labores. Paulus verò quia se necessarium esse iudicauerat Philippensibus, forsan nondum ad plenum firmatis in fide, dixerat scribens eis: Manere autem in carne necessarium adiudicaui propter vos. Sic enim didicerat fieri ab illo qui insidiantium sibi ac quærentium se dare præcipitem furorem declinans, per medium illorum transiens ibat. Sed aduentante tempore pręfinito à patre, in quo tanquam bonus pastor pro ouibus morti se debebat exponere, sed capere quærentibus spõte obtulit, dicẽs: Ego sum, supple ille, qui ob hoc de cœlis descendi, vt in suscepta carne mortali spõte me *Exemplũ Martini.* *Philip. 1.* *Luc. 4.* *Ioan. 18.* *Ioan. 10.*

offeram crucis patibulo pro ouibus meis. Idcirco dixerat aliquando, & animam meam pono pro ouibus meis. Et sic patet quid ad præmissa dicendum fuerat.

CONTRAPO. XXIX.

Ioan.6. *Caro nihil prodesse dicitur.*

Ibidem. *Caro vitam æternam præstat.*

Si caro nihil prodesse dicitur, quomodo vitã æternam præstare poterit? Et huic, quæ nullam prorsus oppositionem videtur in se continere, dicendũ placuit ad primam, quòd caro nihil prodesse dicitur, sicuti Iudęi intellexerant, qui carnem intelligebant sicuti in macello dilaniatur & venditur, & non quomodo spiritu vegetatur. Proinde de carne sic accepta, dicitur: Caro non prodest quicquam. sic pariter dictum est: Scientia inflat, videlicet sine charitate adiuncta. Idcirco additũ fuit eo in loco: Charitas verò ædificat. Adde ergo scientiæ charitaté, vtilis ac proficua erit scientia, non per se, sed per charitatem, cui annectitur. Sic pariter dicendum nouimus de carne, quæ per se sola prodesse non potest, quinpotius maximè obest: Accedat autem spiritus ad ipsam carné, quomodo accedit charitas ad scientiam, & multum proderit. Nam si caro qualitercunque accepta nihil prodesset, verbum caro non fuisset factum, vt habitaret in nobis. Spiritus ergo est, qui viuificat, sine quo carnem nihil prodesse dicimus quinpotius mortem infert. Licet illa à Verbo suscepta mundet, purget, ac sanet animam, si (vt decet) deuotè & dignè suscepta fuerit, vitámque præstabit ęternam. Quid autem est hanc Christi carnem deuotè suscipere & manducare, nisi communicare, passionibus eius, & eam conuersationem imitari quam gessit in carne, & sicut videtur illa forma panis in nos intrare, sic nouerimus per eam quã in terris habuit cõuersationem, ipsum intrare in nos ad habitandum per fidem in cordibus nostris? Et sic ex præmissis clarè relinquitur quomodo caro prodest, & quomodo obest.

(Margin: *Ioan.1.* *Ioan.6.*)

CONTRAPO. XXX.

Psal.15. *Caro Christi non descendit in corruptionem.*

Psal.29. *Caro Christi econuerso in corruptionem descendit.*

Si Christi caro ex decreto diuino in corruptionem descendere non debebat, quid est quòd in altero subinfertur oppositum? Nónne contraria ab eodem Propheta denuntiata nouimus, vt puta descendisse, & non descẽdisse carnem? Sed si pię mentis oculos has sententias cõtemplari velimus, proculdubio videbimus simul posse stare pręmissa. Profectò caro illa corruptioni danda non erat, per quam & cęteri viuificandi erant. Cur enim corruptioni danda erat illa caro, quæ nullam prorsus infectionẽ senserat, cùm nõ fuerit educta de massa illa corrupta Adæ, sed ex purissimis sanguinibus virginis illibatæ formata absque virili semine? Nec decebat illum in corruptionem descendere huiusmodi, qui omnium resurgentium primitiæ esse debebat, quinpotius citissimè à mortuis resurgere, aliter eius passio nil profuisset nobis, si eius resurrectio subsecuta non fuisset, profectò (vt Paulus docuit) inanis fuisset fides nostra, inanis spes nostra. Nec obstat, quod in altera quasi ex aduerso subiungitur, quia nõ dicitur, quòd caro huiusmodi descenderit in corruptionem, sed per illam ostenditur, quòd nil vtilitatis contulisset nobis, si caro à verbo suscepta descendisset in corruptionem. Et sic patet quid dicendum.

Caro christi corruptioni nõ danda. *Psal. 15.* 1. *Cor.* 14 1. *Cor.* 15.

CONTRAPO. XXXI.

SI *Mosi crederetis, crederetis & mihi.* *Ioan.* 8.
Iudæi Mosi credentes, non crediderunt Christo. *Ibidem.*

Et huic, quæ nullam penitus contradictionem in se continere cernitur, dicendum placuit ad secũdam, quòd Iudæi non plenè crediderant in Mosen, sed semiplenè duntaxat, hoc est in occidentem literam tantùm. Nam si in Mosen plenè credidissent, credidissent vtique in Christum, quia & Moses de illo scripserat, vt ipsemet Christus aperire dignatus est, dicens: Moses de me scripsit. *Ioan.* 5. Nam & Christus finis legis dicitur à Paulo in iustitia, *Rom.* 10. omni in se credenti. Idcirco lex, quæ Christo grauida erat, ad illum tanquam omnium scripturarum finem se transmittebat. Sed cæci Iudæi obtenebrati caligine *Heb.* 9. incredulitatis nequiuerant sanctam sanctorum ingredi,

vt ſacramentorum participes fieri mererentur biberéntque de ſpiritali petra. Idcirco mortui ſunt ſiccitate, corticem tantùm literæ ſpeculantes: qui ſi latentem in illa ſpiritum conſpexiſſent, proculdubio illuminati agnouiſſent Chriſtum verum eſſe Meſsiam in lege promiſſum, cùm Moſes nunquam fuerit ſine Chriſto nec ſine Moſe Chriſtus. Vel potius dicas, Lex ſine Euangelio, nec econuerſo. Idcirco & Chriſtus omnium dominus, ad ſcrutandas ſcripturas Iudæos frequenter mittebat, dicens illis: Scrutamini ſcripturas, quia illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. Relinquendũ eſt ergo, quòd qui perfectè in Moſen crediderit, is abſque dubio credet in Chriſtum quem verum fuiſſe Meſsiam promiſſum in lege, non ſolùm Moſes, ſed & cæterorum Prophetarum turba concorditer prædixerunt, atque denuntiauerunt.

1. Cor. 10 — *Mat. 5.*

CONTRAPO. XXXII.

Ioan. 8. *IVdæos filios Abrahæ fuiſſe legimus.*
Ibidem. *Iudæos filios diaboli dixerat Chriſtus.*

Si filij Abrahæ dicti fuerunt Iudæi, cur filios diaboli dixerat Chriſtus fuiſſe præfatos? Huic quoq; ſic reſpondendum iudicamus, duplicem in præmiſsis filiationem contineri cernentes: vnam quippe carnalẽ, qua ab Abraham propagati Iudæi filij eius dicti ſunt: alteram verò per imitationem operum intelligendam nouimus, quã nullatenus in ſe habentes Iudæi, filios Abrahæ ſe eſſe mẽtiti ſunt, quos Chriſtus increpans dixerat, Si filij Abrahæ eſtis (ſupple prout dicitis mentientes) opera Abrahæ facite. Sed quia per opera illum non imitamini, idcirco nõ filij Abrahæ, ſed filij diaboli, non natura, ſed ſuggeſtione & fraude dici debetis. Nempe cuius opera quis facit, eius filius dicendus eſt. Idcirco Zachęus filius Abrahæ appellari meruit, quem in hoſpitalitate, & fide imitatus fuerat. Hi verò qui econuerſo non ſunt ex fide filij iſtius Patriarchæ, hi nullatenus Abrahæ filij vocari merentur. Quid enim profuit Iudęis iſtis, ſi de carne Abrahę exorti fuerant, & nomen ſine virtute haberẽt? Non enim (te-

Ioan. 8. *Luc. 19.* *Veri filij Abrahæ.*

ste Paulo) qui in manifesto Iudæi sunt, sed qui in abscō- Rom. 9.
dito, hi filij Abrahæ dicendi sunt. Neque qui sunt semen Abrahæ, omnes filij, sed qui sunt filij promissionis existimantur in semine. Concludimus ergo quòd Christus non negauit Iudæos filios esse Abrahæ per originem & propagationem, sed facta praua illorum durè increpauerat. Nempe caro illorum caro Abrahæ erat, sed non vita, quæ magis æstimanda erat. Nos verò qui Christo credimus, semen Abrahæ meritò dicimur non ex carne Abrahæ orti sed per fidem Iesu Christi, qui præfato patri Abrahæ concesserat, vt pater omnium Deo credentium diceretur. Et sic soluuntur præhabita. Ioan. 1. Gene. 17.

CONTRAPO. XXXIII.

Christus Iudæis comminatus fuit. Ioan. 8.
Christus dum pateretur non comminabatur. 1. Pet. 2.

Hęc (vt patet) contraria se offerūt, quomodo enim illis comminatus est Christus, si verum est quod ex aduerso deposuit Petrus? Sed si verborum seriem contemplari placuerit, clara luce videbimus vtrunque loco & tēpore decenter fuisse actum. Dum enim Christus pharisęorum & scribarum malam cerneret vitam, illos acriter arguens comminabatur, dicens: Multa habeo de vobis iudicare, vt saltem tali comminatione percussi, malam in bonam mutarent vitam. Sed cęcitate mentis obtenebrati, in illum insurgentes dicebāt malitiose. Tu testimonium perhibes de te ipso, testimonium tuum non est verum. Sed dum pro nobis duceretur ad mortem, vt tāquam agnus immolaretur, non fuit comminatus illis, quinpotius & pro crucifixoribus deprecatus est patrem, vt hanc noxam illis dimitteret, firmans exemplo quod prius verbo docuerat, dum ait: Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Hinc discat vir Christianus, qua charitate tenetur amplecti & diligere illum, à quo & iniuriam forsan aliquādo passus est, si eum, quem imitari debet, nouerit pro suis deprecari crucifixoribus. Sunt tamen arguendi proximi, dulcitérque rogandi, vel si necesse est, aliquando comminandi, vt desistant à ma- Ioan. 8. Ioan. 14. Esa. 53. Mat. 27 Luc. 6. *Modus increpandi hominē peccantē.*

lo opere. In altero verò monemur ſuſtinere conuitia in nobis illata propter Deum, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, vt Petrus pariter
1.Pet.3. cum Paulo docuerat. Et ſic patet quid fuerat ad præmiſ-
1.Theſ.5. ſa dicendum.

CONTRAPO. XXXIIII.

Ioan.19. *CHriſtus in parabolis, turbis locutus eſt.*
Mat.4. *Chriſtus palàm mundo ſe fore locutum dixit.*

Nòn in parabolis locutus dicitur ille, qui palàm & apertè omnibus loquebatur. Et huic, quæ nil prorſus cõtrouerſiæ in ſe videtur includere, dicendũ placuit, ꝙ bene ſtat, ꝙ Chriſtus palàm loqueretur & cunctis audientibus, quibus tamen ſub parabolis & ſimilitudinibus ſermo prolatus reddebatur obſcurus. Nã licet palàm fieret ſermo, non ob hoc myſteriorum cognitio fiebat Palàm, ſed ſub huiuſmodi parabolis quaſi ſub velaminibus quibuſdam erat tecta & obſcura, vt ſic intelligentes verba,
Mat.13. myſteria non intelligeret, ſed hi tantùm, quos ſua dignatio capaces reddiderat, vt myſteria regni Dei penetrare valerent, quibus non in parabolis veluti turbis, ſed veritate aperta, quæcunq; à patre audierat, nota fecerat. Quã plenius perceperunt poſt illam ſpiritus emiſsionem cœlitus allatam ſuper illos in die ſancto Pẽtecoſtes, vt Chri-
Iob 16. ſtus illis promiſerat, dicens: cùm venerit paracletus, quẽ ego mittam vobis à Patre, ille docebit vos omnia quæcunque dixero vobis. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. XXXV.

Ioan.7. *MIniſtrum ſuum ſecum fore in futuro Chriſtus dixit.*
Ioan. 12. *Miniſtrum ſe ſequi non poſſe, alibi dixerat.*

Si Chriſtus ſua bonitate præuentus promiſerat ſe ſequenti fideliter quòd vbi ipſe eſſet illic pariter & miniſter eius eſſet, cur aliud poſtea dixit, oſtẽdens ſe ſequi non poſſe miniſtrum, quò ipſe iret? Et huic ſic reſpondendum arbitramur, dicentes præmiſſa nullatenus in ſe eſſe contraria. Nam alteram non ſuis ſectatoribus dixe-

rat,quinpotius pharisæis & scribis carnalia duntaxat sentientibus. Hos enim cernens peccatorum sarcina esse grauatos,ac fumo superbiæ tumescentes, iudicauit illos se sequi non posse, nec minus idoneos ad scandendum cœlum secum. Idcirco illos allocutus,dixit: Quò ego vado,vos non potestis venire. Non enim in cœlum ad patrem valet ascendere,qui in terris positus negauerit filium. Nouerat quippe illos non fuisse ex suis ouibus, sed lupos rapaces in vestimentis ouium incedentes,sed in altera Christus innuit,quantum foret illi grata fidelis seruitus,dum secum disposuerit permanendum in sęculum ministrum fidelem,& qui illum in humilitate fuerit prosecutus. Decet enim vt tantæ maiestatis principem quocunque ierit,sequatur minister fidelis, vt vnà secum honorificetur à Patre,prout in prænotata sententia subnexum est. Et sic patet quid dicendum. *Ioan.7.*

CONTRAPO. XXXVI.

Diligens Christum sermonem suum seruabit.
Sermo quem audistis non est meus.

Si sermo quem Apostoli audierant ab ore Christi,eius non erat,cuius erat? & si eius erat,cur ipse dixerat suum non esse? Absit vt veritatis magister in his mentiatur. Nam si suus non erat sermo iste, quomodo suus dicendus est? nunquid sibi contrarius fuit Christus? aut secundum hominem prolatus sermo forsan nō erat suus, quia sic pater maior illo erat: dum verò suum esse dixerat sermonem, innuit quòd quicquid ipse haberet, recipiebat à patre, à quo sibi omnia esse tradita agnoscebat, iuxta illud: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Non ergo paueamus, quia licet secundum alteram naturam ipse non sit minor patre,sed æqualis in omnibus (vti Apostolus nouerat) nō tamen ob hoc sequitur,quòd sit à seipso,sed à patre, qui sibi tradidit, vt esset patri æqualis. Nec pariter ex hoc sequitur,quòd sit patri impar, quamuis ipse dixerit sermonem hunc suum nō esse, sed patris. Non itaque suum verbum est,sed patris, quomodo nec sua imago,sed patris dicitur,nec suus filius idem

Ioan.14. *Ibidem.* *Luca. 4.*

ipse, sed patris filius dictus est. Rectè igitur auctori tribuit quicquid facit, se patri dicens æqualem à quo habet hoc ipsum, quod illi est indifferenter æqualis. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa. *Ioan. 5.*

CONTRAPO. XXXVII.

Ioan. 7. *Doctrinam Christi patris esse dixerat.*
Ibidem. *Doctrinam hanc suam esse dixerat infrá.*

Si suam esse dixerat hanc doctrinam, quomodo doctrina fuerat patris? si patris, quomodo sua? Et huic pariter nouimus respondendum sicuti in præcedenti diximus de sermone. Stat enim vt illa doctrina, quam & mũdo manifestare venerat, sua foret secundum vnũ sensum & secundum alium sensum nõ esset sua. Erat quippe sua, quia omnia quæ patris sunt, sua esse dixerat. Nam cùm *Ioan 17.* esset in forma Dei non rapinam arbitratus est se æqua- *Philip. 2.* lem dici patri, cùm illa eadem doctrina & patris & sua dicatur, licet diuerso modo: vtique pater illa à se habet, sed filius illam à patre acceptam recognoscit. Poterat pariter dicere suam non esse secundum formã serui, secundum quam minor fuerat patre, & secundũ hunc sensum locutus est, dum ait: Doctrina mea non est mea, sed pa- *Ioan. 7.* tris qui misit me. Nempe patris doctrina, patris est verbum, qui & vnicus filius eius dicitur. Profectò tantum est dicere, mea doctrina non est mea sed eius qui misit me, quantum est dicere, ego non sum à meipso, sed ab illo qui misit me. Et sic seruantur præmissa absque contradictione aliqua.

CONTRAPO. XXXVIII.

Ioan. 3. *Hristus testatus est se non venisse vt mundum iudicet.*
Ioan. 9. *Christus se venisse in hunc mundũ in iudicium, aubi dixit.*

Quomodo in iudicium se venisse dicẽdus est ille, qui hoc alibi expresſè negauerat? Et huic, quæ nullam in se sapit contradictionẽ, placuit dicendum, quòd illud venisse in iudicium pasſiuè accipiendum est in altera, quia ipse se iudicari permiserat à præside Pilato, stãs coram illo sicut agnus corã tondente se, vt vaticinio præ-

uenerat Propheta. De hoc iudicio Petrus locutus ait: Tradebat autem iudicanti se iniustè. Nec hoc absque mysterio actum fuit, vt videlicet tanquam reus iudicatus ad mortem condemnaretur, vt eius condemnatio, nostra esset iustificatio, & ipse postmodum gloriosus resurgens, omnimodam potestatem acciperet iudicandi mundum in fine dierum, quando videlicet sedens in throno suæ maiestatis iudicabit omnes gentes separans oues ab hœdis, sicuti pastor facere consueuerat. Sic ergo intellectis præmissis in nullo penitus contrariari cernuntur.

Ioan. 19. *Esa. 53.* *1. Petr. 2.* *Mat. 28.* *Mat. 19.*

CONTRAPO. XXXIX.

Pater non iudicat quemquam.
Est qui quærat & iudicet.

Si patrem dixerat non iudicare quemquã, cur infrà loquens de patre dixit, Est qui quærat & iudicet? Et huic præter illa quæ infrà dicturi sumus ad hoc propositum, & illud superaddendum nouimus, dicentes primam esse intelligendam cum præcisione, vt eius talis sit sensus: Pater non iudicat quemquam, supple per se, qui nunquam sine filio fuit, nec operatur ad extra, iuxta illud: Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor. Vel si placet dicamus ad primam, Pater non iudicat quemquam, id est, patrem nemo videbit in iudicio viuorum & mortuorum, cùm omne iudicium faciendum tradiderit filio: Qui & in forma hominis apparebit, vt etiã ab impiis videri posit, iuxta illud: Videbunt in quem pupugerunt. Quam formam hominis non habet pater, cùm illam non assumpserit, sed tantùm filius. Licet hoc iudicium non sit filius executurus sine fauore patris, qui sibi tradidit iudicium facere, vt præmisimus, quia filius hominis est. Nam inquantum filius Dei est ac patri per omnia æqualis non accepit in tempore hanc potestatem, vt iudicaret mundum, cùm illam cum patre habeat ab æterno, sed illam se accepisse à patre dixerat post suam resurrectionem. Et sic patet quid dicendum.

Ioan. 5. *Ioan. 8.* *Mat. 28.* *Ioan. 5.* *Mat. 28.*

CONTRAPO. XL.

Ioan.5. Ioan.8. *PAter omne iudicium tradidit filio.*
Ego non iudico quemquam,dixerat alibi.

Si omne iudiciũ pater tradiderat filio,cur ac si iudicium istud sibi traditum non fuisset,dixerat: Ego non iudico quemquam?Et huic sic placuit dicendum, quòd licet pater omne iudicium tradiderit filio,non tamen illud exequendum tradidit nisi in fine temporum, quando illi curuabitur omne genu.De quo iudicio Paulus ad locutus Corinthios,ait: Oportet nos exhiberi ante tribunal Christi,vt vnusquisque recipiat prout in corpore gesserit,siue bonum,siue malum. Licet huic secundæ similis responsio posit dari,sicuti præcedenti, dum dixeramus de patre, Qui sicuti per se non iudicat quemquã, sic nec filius sine patre,sine quo nusquam fuit filius,cùm sint simul natura.Quanquam aliter respondentes possemus dicere huic secundæ,quòd de iudicio secundum faciem litera sit intelligenda, secundum quam neminem iudicare se dixerat,dum nobiscum fuit viator,& talis videtur esse sensus secundæ: nobis in hoc præbens exemplum,ne leuiter contra proximum inferamus iudicium, habentes præ oculis illud quod Paulus nos admonens, dixerat: Quis es tu,qui alienum seruum iudicas? Et illud pariter Saluatoris dicentis: Nolite iudicare, & non iudicabimini.Euenit enim aliquando,permittente Deo, vt maius periculum incurrat iudicans quàm iudicatus. Et sic patet quid dicendum.

Mat.19.
2.Cor.5.
Filius nũquã fuit sine patre.
Ioan. 8.
Iudicium non inferẽdum in proximũ.

CONTRAPO. XLI.

Ioan.5. Ioan.6. *SIcut audio,iudico.*
Ego non iudico quemquam.

Quomodo verum erit, quòd sicut audit iudicet,si neminem se iudicare dixerat infrà? Et huic præter illa quæ in præcedentibus deposuimus, & illud pariter addendum ad primam nouimus, dicentes talem esse sensum eius,ac si diceret,Sicut audio,id est,sicut pater mihi reuelat,sic iudico, cùm non posim per me solum quidquam facere. Profectò pater in me manens ipse facit opera,

opera,ſed non ſine me,cùm non ſit pater ſine me.Ex cuius declaratione ſequitur reſponſio ad ſecundam qua dicebatur,Ego non iudico quemquam,ſupple ex me ipſo, vel per me ſolus.Vel ſic dicamus ad primam, Ego ſicut audio iudico,id eſt,non ſecundum carnalem aurem,quã me videtis habere ſimilem vobis ego iudico,ſed ſecundum illam aurẽ iudico,qua dicitur,Auris zeli audit omnia,quam communem habet pater cum filio.Hinc edocentur iudices , quali conſideratione reum iudicare habeant,ne videlicet præcipites ſint condemnantes aliquẽ, ſed diligenter inquirentesſcrutari debent,an ita ſit quod denuntiatur ab aliis,vt poſtmodum ſic bene conſulti rectam ſententiam valeant inferre:iuxta illud:Oportet iudicem cuncta rimari.Et ſic patet quid dicendum. *Sap.1.* *Auris eadem patris & filij.* *Lex canonica.*

CONTRAPO. XLII.

F*Ilius non poteſt quicquam facere.* *Ioan.8.*
Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. *Ioan.10.*

Si omnia fuerunt illi tradita à patre,vnde iſta impotentia orta fuit, dum ex aduerſo dicit ſe quicquã non poſſe facere? Nam ſi æqualis dicitur patri in omnibus, quicquid poterit facere pater,poterit & ipſe facere.Quibus ſic reſpondendum placuit,dicentes quòd primę adiungitur à ſeipſo , quaſi dicere voluiſſet filius : Ego in nulla re ſum contrarius patri , cùm nihil alienum ab eo facere poſsim,ſed ſolùm illud quod mihi à patre traditũ eſt.Nec hoc illum arguit impotentiæ,ſed poteſtatis immenſæ,ac per omnia patri æqualem. Profectò(vti aliâs præfati ſumus)ſicuti filius à patre accipit,quòd ſit filius, ſic & ab illo recipit operari , vt ſic ſecunda illæſa ſeruetur,qua dicitur: Omnia mihi tradita, &c. Veruntamen perquam diligenter attendendum eſt , cùm hæc non ſit parua quæſtio mentibus nondum bene purificatis.Non enim dixit,alia à ſe poſſe facere , & alia non poſſe , ſed generaliter dixerat : Filius non poteſt facere quicquam, ſupple,per ſe ſolus,vt prætulimus.Vtique eadem natura diuina,quæ eſt in patre & filio,æqualem arguit poteſtatem in illis.Licet pater illam à ſe habeat, & filius illam *Luca 4.* *Filius quomodo non poterat facere quidquam.*

à patre recipiat, vt in plerisque locis deposuimus. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. XLIII.

CHristus ignorauit diem iudicij.
Tu Domine qui omnia nosti, dicitur alibi.

Mat.14. *Ioan.21.* Si (Apostolorum principe teste) Christus omnia nouerat, cur interrogatus à discipulis de magno die iudicij, illum se nescire respondit? Nónne ipse est, qui sapientia patris esse dicitur, qui & absconditorum omniũ cognitor est? Nónne ipse dixerat, Omnia mihi tradita sunt à patre meo? Sed cur hunc ignorauit diem? Idcirco & huic, quæ nullam penitus in se oppositionem cernitur *Ioan.14.* continere, placuit dicendum, quòd istud nescire Christi ad naturam assumptam in tempore referendum nouimus, qua minor agnoscitur patre, secundum quam & sepulchrum defuncti Lazari eum ignorasse perhibetur. Quanquam secundum illam naturam, quam communem cum patre habet illũ nõ ignorauit diẽ, sed ab æterno sciuerit, licet non à se, sed à patre acceptum: qui omnia illi tradit, sic forsan vt nemini aperiret, sed apud se retineret. Causa autem nobis occultissima licet æquissima. Sit ergo præmissarum sensus, quòd Christus hũc iudicij diem ignorauerit secundum illam naturam duntaxat, quam in tempore assumpserat. Vel dicamus pariter, quòd etiam diem istam nesciuerit secundum naturam diuinam, tanquam à se, licet ad plenum cognouerit, vt acceptum à patre, cùm vnica & eadem sit cognitio patris & filij, sicut vnicus intellectus. Et sic patet quid fuerat dicendum.

Christus quomodo iudicij diẽ ignorauerit.

CONTRAPO. XLIIII.

Ioan.6. *NEmo venit ad patrem nisi per filium.*
Ioan.16. *Nemo venit ad filium nisi quem pater trahit.*

Si ad filium nemo venire potest, nisi per patrẽ, quomodo verum erit quod econuerso dicitur? Idcirco & huic dicendum nouimus vtrunque necessarium esse, vi-

delicet & patrem trahentem ad filium,& fidem filij qua ad patrem trahimur omnes. Quid enim eſt patrem trahi ad filium,niſi audire verbũ patris,quod eſt filius? Nã ſicuti per verbum Dei omnia eſſe creata leguntur,ſic pariter per verbum Dei omnia trahuntur à patre,quaſi per oſtium quoddam,quo in ouile Dei ingreditur. Quod & liquidò aperuit ipſe filius, dum de ſe locutus, ait: Ego ſum oſtium. Et ne quiſquam putaret aliud eſſe venire ad Chriſtum, quàm credere in illum, ſtatim ſubiunxit eo in loco,dicens: Verba quæ ego locutus ſum, ſpiritus & vita ſunt. Pariter ſicuti nemo poteſt ſine filio ad patrem venire,ſic nemo poteſt ſine ſpiritu ſancto filium adorare in veritate. Nam quid aliud putemus eſſe ad illos venire, niſi eos in nobis habitãtes habere? Hoc pari modo ipſæ diuinæ perſonæ ad nos veniunt, cùm Deus vbique ſit per ſuam maieſtatem immenſam, nec vllo corporali contineatur loco. Talis ergo ſit præmiſſarum ſenſus, quòd pater cùm ſit clemens & omnium miſericordiarum genitor,quos ad fidem filij venturos nouerit, hos & ſua nimia bonitate præuenit inſpirando,vt ſuum conſequantur effectum. Stat ergo vt pater ſit ille, qui trahit ad filium,& quòd qui trahendi ſunt à patre,ad filium veniant.

Ioan. 1. *Venire ad Chriſtũ, eſt credere in illum.*

2. Cor. 3.

CONTRAPO. XLV.

Nemo poteſt facere ſigna quæ Chriſtus facit. Ioan. 3.
Credens in Chriſtum maiora his faciet. Ioan. 14.

Quomodo maiora facturus eſt credens in Chriſtũ,ſi nemo inuentus eſt,qui faceret ſigna quæ faciebat Chriſtus? Nempe vti Grãmatici aſſerunt,omne comparatiuum ſuum poſitiuum præmittit, ſeu præſupponit: idcirco ſi fidelis quiſpiam non poteſt facere ſigna, quæ Chriſtus fecerat, multo minus his maiora poterit facere. Quibus ſic nouimus reſpondendum, dicentes nequaquam præmiſſa contrariari. Profectò primæ ſententiæ ſubnexum eſt,niſi fuerit Deus cum eo,cuius fauore illa maiora quæ Chriſtus dixerat, facere poterit. Quod verò ſecundo loco dicitur,virtutem & poteſtatem fidei

Mar. 9. oftendit,qua(vt ipſe alibi dixerat)omnia poſsibilia ſunt credenti,nec valet quiſpiam ſine illa aliquid boni operari,nec minus DEO placere, iuxta illud Apoſtoli dicen-
Rom.3. tis,Sine fide impoſsibile eſt placere DEO. Vtique per illam DEO renaſcimur,iuſtificamur,ſaluamúrque,vti prænotatus Apoſtolus pluribus in locis aperuit His quippe duntaxat fidem habentibus conceſſum eſt filios DEI fieri,vt Ioannes in ſuo euangelico inſtrumẽto fuerat atteſtatus. Sed diceret quiſpiam quæ ſunt iſta maiora quæ credens in Chriſtũ facturus eſt? Nónne maiora ſunt ꝙ ægros Apoſtolis tranſeuntibus etiam eorum vmbra ſanarẽt? Maius enim eſt vt ſanet vmbra quàm fimbria,ſed illud per ſe fecit,hoc per ipſos,ſed tamen vtrunque ipſe, ſine quo nihil facere potuiſſent:ipſe enim ſine ipſis innumerabilia fecit,ſed ipſi ſine illo nihil fecerunt.Et ſic intellectis præmiſsis in nullo prorſus contrariantur.

CONTRA PO. XLVI.

Ioan.3. *NEmo aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit*
Ioan.12. *Vbi ego ſum,illic & miniſter meus erit.*

Profectò ſi nullus alius hominum prçter Chriſtũ, qui de cœlo deſcendit, valet in cœlum aſcendere, quo fauore ſeu qua virtute miniſter eius cœlum aſcendet:Et huic præter illud quod nos aliâs dixiſſe recolimus, & illud modo ſuperaddendum iudicauimus, dicentes primam ſic eſſe intelligendam, vt eius ſi ſenſus, Nemo aſcendit in cœlum, id eſt,nemo vitam mortalem agens, cœleſtis habitator effici poteſt,niſi membrum illius efficiatur:qui idcirco deſcendit de cœlo,vt in ſuis membris iterum ſcanderet cœlum. Nil aliud reputãs fideles ſuos, quàm membra de corpore ſuo, iuxta illud Pauli dicen-
Ephe.5. tis: Membra ſumus corporis eius. Quanquam ex benignitate capitis hoc proueniat,vt videlicet cum illo aſcẽdamus cœlum. Qui pro ſanandis membris, quæ lethali vulnere ſauciata fuerant,prius ſumpſit medelam, manens in humili carne:vt ſic in carne mortificati,viuifica-
1. Pet. 3. ti vero ſpiritu aſcenderemus cum illo. Decet enim vt vbi fuerit caput,illic ſint & membra eiuſdem corporis,

ne deformitas in illo appareat. Quanquam ad primam possemns dicere,& non ab re, quòd hoc ascēdere & descendere ad intellectiuam pertinet animam:quam & de cœlis descendere, dum vnitur organizato corpori nec Philosophus hæsitauerat, dum illam de potentia materiæ sicuti cæteræ formæ,minimè educendā credidit, sed deforis illam venire iudicauit. Hæc enim si (vt decet) bene se gesserit manens in corpore, proculdubio vnde venerat,reuertetur. Vel adhuc si placet dicamus ad primam sic illam explanantes,vt eius talis sit sensus:Nemo ascendit in cœlum,nisi filius hominis, supple, per se solus, quia ea potestate, qua animam suam posuerat tradens se morti, illa eadem surgens ex mortuis ascendit cœlum: cæteri verò,qui cœlum ascensuri sunt,vt perpetuò cum Christo sint,nō per seipsos, sed illius præsidio & ope ascendent.Quod liquidò reserauit, dum discipulos alloquens,dixerat: Iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Quod & de vnoquoque fideli dictum pariter iudicandum nouimus. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. XLVII.

MVlta bona opera operatus sum in vobis. Ioan.10.
Pater in me manens ipse facit opera. Ioan. 14.

Si pater manēs in filio faciebat opera,cur Iudęos incredulos alloquens dixerat,se multa bona opera in illis operatū fuisse? Proinde & huic sic nouimus respōdendum dicentes ad primam, quòd per verba illa non excluserat patrem in se operantem, sed duntaxat innuit aliam esse personam patris,aliam filij: nō enim (vt aliâs pręfati sumus) istud operari filij,aliud erat ab illo patris, licet alia persona esset pater,alia filius: sed quia nullum opus est filij,quod in illo non operetur pater,nec vllum patris,quod per filium non operetur,idcirco dixerat alibi, Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Non sunt ergo alia opera patris & alia filij, sed illa eadem quæ patris, pariter sunt & filij. Nec vtique sine spiritu sancto sunt ista opera, qui simul cum patre & filio *Ioan.9.*

gubernat & regit omnia, ſicuti & ſimul cum illis creauit omnia. Miro igitur eodémque diuino modo, ab omnibus illis tribus perſonis fiunt opera omnium, ac etiam ſingulorum. Nam omnium opera ſunt cœlum & terra, mare & cætera omnia creata, quæ omnia per filium habentem patrem in ſe manentem vnà cum ſpiritu operata ſunt. Et ſic patet quid dicendum fuerat.

Operari ad extra commune tribus perſonis.

CONTRAPO. XLVIII.

Ioan. 10. *PAter teſtimonium perhibebat de filio.*

Ioan. 14 *Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.*

Si opera operata per Chriſtum, teſtimonium perhibebāt de illo, quomodo verum erit quod ex aduerſo dicitur in altera, quòd videlicet pater de filio teſtimoniū perhiberet? & ſi pater, quomodo opera? Hęc enim, vt cernimus, ſimul ſtare nequeunt, ſed ſi diligenter iſta ſcrutari velimus, proculdubio agnoſcemus, quòd illud idem quod perhibebat pater de filio, perhibebant opera ab illo operata. Nempe pater de filio teſtimoniū perhibuit, dum de cœlis audita fuit vox eius, dicens: Hic eſt filius meus dilectus. Pariter & opera hoc idem perhibebant, quòd ipſe videlicet eſſet filius Dei: quia in nomine patris ſui illa faciebat. Idcirco vt hoc meditarentur Iudæi increduli, illos plerūque mittebat ad opera, quæ ipſe ſic faciebat, vt nihil contra patris voluntatem ageret. Profectò huiuſmodi opera ab illo operata, ſic firmiter teſtimonium perhibebāt de illo, quòd eſſet filius Dei, vt nemini niſi cæcutienti & inſipienti tectum eſſet. Ipſe enim tanquā verus Deus operabatur imperans: Dixerat enim defunctos ſuſcitans: Lazare veni foras: Adoleſcens tibi dico ſurge. Et ſic de cęteris ab illo operatis. Idcirco concludentes dicamus, quòd non tantùm pater, ſed pariter & opera clarum teſtimonium reddebant, quòd ipſe non ſolùm Deus, ſed & filius Dei eſſet. Et ſic patet quid dicendum fuerat ad præmiſſa.

Ioan. 1.

Ioan. 11. Luc. 3.

CONTRAPO. XLIX.

Mat. 25. *CHriſtus non venit niſi ad oues Iſrael.*

Ioan. 10. *Chriſtum oportebat alias oues adducere*

Si solùm ad illas oues quæ perierant domus Israël venerat Christus, cur dixerat alias oues se habere adducendas, quæ ex Israël non erant? Vtique per primam omnes aliæ oues excluduntur, quæ ex Israël non erant semine. Et huic, quæ nullam in se contradictionem sapit, dicendum arbitramur, q vt vocatus non venerat nisi ad illas, quæ ex illa dilecta familia descenderant, quibus duntaxat suam exhibuit præsentiam, cùm non exierit limites terræ sanctæ in sua prædicatione: vt qui contemnerẽt, maius iudicium sumerent: ibi enim matrẽ elegit, ibi concipi, ibi nasci, ibi sanguinem fundere voluit. Sed quia iam prenuntiatum fuerat ore omnium prophetarũ quòd ipse solus omnium gentium esset redemptor: idcirco Ecclesia poterat dicere confidenter, Iesu redẽptor omnium. Ad alia verò loca quibus per fidem ipse erat venturus, precones destinauit Apostolos, vt illorum ministerio alias oues sibi adducerẽt, quibus semper affuerat auctoritate & spiritu. Quare primam lucidius exponentes possemus ad illam dicere, quòd potissimùm de spiritali Israël intelligenda est, quem integrant non solùm Iudæi in illum credentes, sed & gentes, quæ in illũ crediturae erant per prædicationem Apostolorum. Aliter locum nõ habuisset promissio facta Abrahæ, qui nõ solum dictus fuit pater Iudæorum, sed & gentium, vti Paulus lõgo sermone docuerat. Et sic patet quid dicẽdũ. *Luc. 11.* *Gene. 17.*

CONTRAPO. L.

MVlta habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. *Ioan. 15.* *Quæcũque audiui à patre nota feci vobis, dixerat infrá.* *Ioan. 16.* Quænã reuelanda remanserant Apostolis, si quæcunque audierat, nota fecerat illis? Quibus placuit dicẽdum quòd secundæ talis videtur esse sensus, Quæcunquæ audiui à patre (vobis supple reuelanda:) stat enim quòd & plura alia à patre audierit, & illis non fecerit nota, quia forsan sic in mandatis à patre acceperat. Vel sic hanc exponentes dicamus, quòd nota fecerat illis, quæcunque audierat, vel per se, vel per spiritum sanctum illa nota facere disposuerat, accipientes in illa præteritũ

Tempus præteritũ aliquãdo accipitur pro futuro.
pro futuro, ficuti aliquando moris eſt ſcripturarum accipere, quem ſpiritum ſanctum promiſerat illis ſe eſſe miſſurũ, vt illis in ſpem ſuggereret, quæ in genere prius illis fecerat nota. Sic enim forſan ſignatum fuerat in theſauris diuinis, vt prius Apoſtoli ſuperũcti eſſent illo diuino flamine, antequam illos diuinos conceptus æternæ

Ioan. 15. ſapientiæ penetrare poſſent. Quos (vt pręmiſimus) in genere duntaxat à Verbo acceperant, dum cum illis eſſet in carne. Nempe ipſe ſpiritus cui ex officio cor inflammare conuenit, maximam cum ſpiritu noſtro ſymbolizationem habere dicitur. Idcirco eius ſuggeſtio debebat præcedere hanc prænotatam notitiam de regno, prius in genere acceptam. Nec obſtat, quòd Chriſtus dum eſſet cum illis, cùm eſſet omnipotens, non potuiſſet mentes diſcipulorum in ſummo replere de regno Dei. Potuiſſet quippe, ſed noluit ante emiſsionẽ huius ſpiritus, quia forſan ſic requirebat ordo diuinus vt fieret, cauſa nobis occultiſsima, ſed ęquiſsima. Quanquam & clarius exponentes ſecundam, poſſemus dicere, quòd quæcunque audierat, nota fecerat in ſpe, ſed nondum in re, quod

Ioan. 16. poſtmodum facturus erat. Et ſic patet quid dicendum fuerat ad præmiſſa.

CONTRAPO. LI.

Luc. 14. *ODire parentes & fratres Chriſtus præcepit.*

1. Ioan. 2. *Qui odit fratrem ſuum homicida eſt.*

Si fratres vnà cum parẽtibus & vxore odiſſe iubemur à Saluatore, cur aliud ſentit dilectus diſcipulus? Nunquid ſimul poſſumus & odiſſe & diligere? Quid ergo ad huiuſmodi dicendum nouimus, quæ aliquid in ſe contradictionis continere cernitur? Nempe ex illa parte, qua quis cognoſcitur frater vel proximus, nullatenus odio habendus eſt, ne ſic facientes recuſemus filij eſſe illius patris, qui omnes æquanimiter diligens, ſolem ſuũ

Mat. 5. oriri facit ſuper bonos & malos. Quanquam ex altera parte, qua nobis homo obſiſtit in Dei itinere, odio eſt habendus, cùm nec parentes nec fratres ſic diligendi ſint. Stat enim, vt quis rectè diligat hominem, quia vi-

delicet frater est, & peccatorem odio habeat. Sic enim fieri didicimus ab illo, qui licet nihil eorum, quæ ipse fecerit odio habeat, odit tamen peccatorem hominem, sicuti Sapiens attestatus est. Quem ordinem seruauerat ille, qui cõuersus ad Deum dixerat: Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi, quæ supple præcipit mihi, vt fratrẽ & proximum meum diligam. Et quamuis hoc reddatur difficile, carnalia duntaxat sentienti, tamen ipso Saluatore iuuante facillimum esse cernitur. Vtrunque enim faciendum mandat & præcipit lex Euangelica homini illi, quem vocat ad cœlorum regna. Sic ergo odisse damnosum non erit, nec vitiosum, sed multum laudabile & virtuosum, Deóque saluatori nostro iocundum & placitum. Sic ergo præmissis intellectis, in nullo contrariari cernuntur.

Eccl.12. *Psal.118.* *Mat.22.*

CONTRAPO. LII.

Mat.10. *Luc.1.*

PAcem in terris mittere Christus non venit.
Pacem in suo ortu promulgare præcepit.

Quomodo verum erit, ꝙ Christus non venerit pacem ponere in terris, si illã in suo ortu promulgare præceperat per suos angelos hominibus bonæ voluntatis in terris degentibus, vt Lucas refert? Idcirco & huic respondendum iudicamus, quòd de illa pace locutus est Christus in prima, quæ lethaliter viget in membris: quã prænotatus non solùm non venit ponere in terris, quinpotius radicitus euellere, ac destruere. Hanc & legi Dei repugnantem nouerat Paulus, vocans ipsam lẽgẽ carnis, seu legem membrorum. Sed pacem illam Christus mittere venerat in terris, quæ mentem nostram tenet vnitã Deo. Hæc enim nihil carnale nílve terrenũ secum patitur. Quã nobis de cœlis idcirco attulerat, vt efficeremur cœlestes, patrémque confiteremur in cœlis. Quam sic abundanter nobis tribuit, vt pacẽ faceret ac redderet his qui propè erant, & his qui lõgè fuerant à cultu veri Dei, vti doctor gentium quibusdã scripserat Hanc quippe pacem nõ modo reliquit nobis in hoc sęculo, vt in illa manentes hostem vincamus, sed illã pariter dabit, quando

Mat.10. *Rom.7.* *Esa.57.* *Ephes.2.*

ſine hoſte regnabimus. Pacem verò ipſe dedit, vt etiam hîc inuicem diligamus, dabit poſtea vbi nunquam diſ-
1. Cor. 4. ſentire poſsimus. Pacem dat & relinquit ne de occultis noſtris inuicem iudicemus, dum in hoc ſumus ſæculo: dabit rurſus illam cùm manifeſtabit conſilia cordium. De hac enim pace ſic relicta vt inuicem diligamus ſcri-
1. Cor. 13. bens Paulus Corinth. ait: Pacem habete, & Deus pacis erit vobiſcum. Hanc ergo amplecti debemus, hanc ſequi: quam vt in nobis iugiter eſſet, de cœlis nobis rex pa-
Coloſ. 1. cis attulit, dum ima ſummis reconcilians, ciues cœleſtes
Luc. 1. nos aſcripſit: quam in ſe habere non poſſunt, qui carna-
1. Pet. 2. libus inſeruiunt deſideriis. Et ſic præmiſſa ſeruantur abſque vlla contradictione.

CONTRAPO. LIII.

Ioan. 14. *PAcem ſe dare hominibus Chriſtus dixerat.*
Mat. 10. *Non veni pacem mittere, ſed gladium.*

Quam pacem dare diſcipulis dixerat Chriſtus, ſi pacem non venerat in terris ponere, vt diffuſius in præcedenti prætulimus? Idcirco & huic primæ dicendum eſſe putauimus, quòd de pace illa locutus eſt ſaluator, quam & mundus dare non poterat, vti ſtatim ſubiunxerat eo in loco. Hæc enim pax ſua quam ipſe dat nobis, pax cœleſtis dicitur, quæ cum impiis ſtare non poteſt, iuxta il-
Eſa. 48. lud: Non eſt pax impiis. Dat ergo pacem Chriſtus, qua
Chriſtus dat verã pacem. homo intus Deo vnitur, quæ finis bonorum noſtrorum dicitur. Hanc igitur mundus dare non poteſt, quia iugiter bellis agitatur vndique. Nam propterea pacem dant ſibi homines, vt ſine moleſtia litium atque bellorũ non Deo, ſed amico mundo perfruantur. Sed ex aduerſo illa
Rom. 7. quam Chriſtus pręſtat facit condelectari interiorem hominem legi Dei. Sed quid eſt quod ſubiũgit, Pacem relinquo vobis, non addẽs meam? Vbi verò ait: Pacem do vobis, ibi dixit meam? Dicimus quòd vtrinque ſubaudiendum eſt meam, & vbi dictum non eſt, poteſt referri ad vtrunque, etiam quod ſemel dictum eſt. Concludẽtes ergo dicimus, quòd illam pacem nobis dare & re-
Philp. 4. linquere dignatus eſt Chriſtus, quæ omnẽ ſenſum exu-

perat ac excedit. Sic ergo intellectis præmiſsis nil cõtradictionis in ſe continent.

CONTRAPO. LIIII.

Patrem vocari in terris Chriſtus prohibuit. Mat. 27
Patres vocauit Paulus qui ſub nube fuerunt. 1. Cor. 10

Si veritatis præceptor patrem ſuper terram vocare prohibuerat, cur euangelicus præco patres illos vocauit, qui ſub nube fuerunt? Sed & timpaniſtria noſtra Maria nónne expreſsè in ſuo Cantico vocauit patres Abraham & alios qui præceſſerant? Ioannes pariter in ſua epiſtola quoſdam vocauit patres. Et ad Epheſios ſcribens Apoſtolus, nónne liquidò dixerat: Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros? Quibus ſic reſpondentes placuit dicere, præmiſſa nullatenus in ſe eſſe contraria. Nam de patre aliter in prima, & aliter in ſecunda fit mentio. Patrem enim quempiam quadrifariam dici poſſe agnoſcimus, natura videlicet, ætate, gente & admonitione, de primo namque locutus Iacob ad Laban ſocerum, ait: Niſi patris me timor, &c. ſed de patre gente locutus eſt Moſes dum de Moab genito ex concubitu Loth cum filia, ait: Ipſe fuit pater Moabitarum. Inde tanquam pernicioſus cõtemnitur error quorundam inſipientium Talmudiſtarum aſſerentium in libro Horaiot, & dicentium, Loth malitioſe coiuiſſe cũ filiabus ſuis. Quod & de directo opponitur Scripturæ dicenti, At ille non ſenſit nec quando accubuit filia nec quando ſurrexit. Pariter Moſes de Amon nato ex minori filia locutus, ait: Ipſe eſt pater Amonitarum vſque hodie: ſed de patre, ætate & admonitione locutus fuit idem Moſes dum populum incredulum increpans, dixit in Cantico: Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi. Et ſic de huiuſmodi patre locutus eſt Apoſtolus cum Corinthiis, dum ait: Patres qui ſub nube fuerunt. Nec per hanc ſententiam Pauli excluditur Deus, qui omnibus prænotatis modis excellentius pater noſter dicitur, videlicet creatione, adoptione, & conſeruatione, & potiſsimùm dum bene agimus. De huiuſmodi

Luc. 1. Gene. 17. 1. Ion. 2. Epheſ. 6. Gen. 19. Dan. 32. *Deus quo modo pater noſter.*

enim patre Pythagoricus ille Xiſtus locutus,ait:Dignus eſto eo,qui te dignatus eſt filium dicere,& agere omnia quaſi filius Dei. Et infrà dixit, Nefas eſt Deum patrem inuocare & aliquid inhoneſtum agere. Hunc ergo patrem vt diligamus,& vocemus in cœlis Chriſtus præce-
Mat.23. pit & ordinauit,dum Apoſtolos orare docuerat, dicens: Cùm oraueritis dicite,Pater noſter qui es in cœlis.Non enim permittit illos quos ad cœleſtia regna vocauit, portionem amplius in terris habere. Licet ob hoc non excluſerit patrem terrenum vocari in terris, quem pari-
Gene.3. ter mandauerat honorare,dicẽs: Honora patrem tuum, vt ſis longæuus ſuper terram,ſed voluit vt dum cœleſtes aliquando nos eſſe meditamur, tanquam ſi patrem car-
1.Cor.7. nalem non haberemus,ſimus.Nempe ſicuti de vxoribus dictum à Paulo nouimus, vt illi videlicet, qui illas habent,ſint tanquam non habentes,ſic & de parentibus eſſe dicendum arbitramur. Et qui vtuntur hoc mũdo,ſint tanquam non vtentes. Et ſic præmiſſa ſeruantur abſque vlla contradictione.

CONTRAPO. LV.

Ioan.12. EGo & pater vnum ſumus.
Ioan.14. Pater maior me eſt.

Si vnum cum patre ſe eſſe cõfeſſus eſt Chriſtus, cur infrà dixerat ſe eſſe illo minorem? Et huic,quæ nil in ſe contradictionis videtur includere, dicendum placuit, quòd ſecundum formam ſerui locutus fuit,dum ait: Pater maior me eſt.Nam ſecundum hanc formam non ſolùm patre, ſed & ſpiritu ſancto minor eſſe dignoſcitur: pariter etiam ſeipſo minor dicitur, quia idem in forma Dei maior ſeipſo eſt in forma hominis.Sit ergo præmiſſarum ſenſus, ꝓ Chriſtus ſecundum formam Dei vnum
Ioan.5. cum patre eſt, cui & æqualis in omnibus dicitur, ſed ſecundum illam formam quam in tempore aſſumpſerat, minor exiſtimandus eſt, licet cum illa vnica diuinitatis eſſentia ſtet diſtincta relatio perſonarum, quia alia eſt perſona patris, alia filij, alia ſpiritus ſancti. Ex quibus duo pernicioſi errores cõfundũtur,videlicet Arrij & Sa-

bellij. Nam primus diuersitatem posuerat essentiarum sicuti personarum, & hîc excluditur per illud quod dicitur, vnum. Nam si pater & filius diuersas haberent essentias, Christus non dixisset vnum neutraliter, sed plura: dũ verò ait: Sumus, Sabellij excludit errorẽ, qui in Deo vnitatem personæ posuerat, sicuti essentiæ. Nam si pater & filius essent vna persona, non dixisset sumus in plurali, sed sum in singulari. Sunt ergo vnũ secundũ illud quod dicitur, Deus erat Verbum. Et minor dicitur patre, secundum id quod dicitur, Et Verbum caro factum est. *Ioan.1.* Qui nisi factus esset homo, quid esset homo? Et sic patet quid fuerat ad præmissa dicendum.

CONTRAPO. LVI.

ADuersario consentiendum Christus docuit.
Aduersario resistendum Petrus præcipit.

Profectò si (Saluatore docente) consentiendũ est aduersario, cur vt illi resistamus Petrus nos monuit? *Mat.5.* *1.Pet.5.* Nempe resistere non est consentire. Nónne de aduersario sermone Dei fit in prima locutio? Hic enim tunc aduersarius noster dicitur, cùm iniquitatis nostræ amici sumus. Nec aliter ab illo possumus liberari, nisi illi consentiamus: verbi gratia, delectat te adulterari, dicit tibi sermo, Noli: delectat te inebriari, dicit tibi sermo diuinus, Noli. *Roma.13.* Et sic in quibuscunque peccatis, si tuam volueris facere voluntatem, dicit tibi, Noli. O quàm bonus aduersarius iste, & quàm vtilis. Nõ enim quærit nostram voluntatem, sed vtilitatem. Aduersarius enim nobis est, quãdiu sumus & ipsi nobis. Quamdiu tu tibi inimicus es, inimicum habes sermonẽ Dei. Esto tibi amicus, & concordas cum illo. *Exo.20.* Non homicidium feceris, audi, & concordasti. Et sic de cæteris omnibus audi, & concordasti cum tuo aduersario. Quanquam & de aduersario homine litera potissimùm intelligenda sit, per illud quod sequitur: cui reconciliari præcipimur ante solis occasum, vt Christus vnà cum Paulo iusserunt. *Mat.5.* Sed & de aduersario, antiquo hoste, fit in altera mentio, cui armis fidei succincti debemus resistere, ne si incauti fueri-

mus, coronam præparatam à Domino nobis auferat ſuorum ſatellitum ſuggeſtionibus. Quanquam poſſemus dicere, quòd ex alia parte illi conſentire tenemur, relinquentes ſibi carnalia, peccata, & vitia, quæ omnia ſui iuris eſſe noſcuntur. Secus verò facientes, tanquam latrones & fures accuſandi ſumus ab illo coram iuſto iudice. Sic ergo præmiſsis intellectis, in nullo contrariantur.

CONTRAPO. LVII.

Petite & accipietis, ait Chriſtus fidelibus. Iob 16.

Paulus fidelis petiit, & non accepit. 1. Cor. 2.

Si in ſuo nomine petere Chriſtus nos docuit id quod petimus, cur Paulo fideli petẽti, hoc fuit negatum, cùm non obtinuerit quod ipſe petierat? Et huic pariter ſic reſpondendum nouimus, dicentes quòd non ſimpliciter Chriſti verba intelligenda ſunt, vt videlicet ſit ſenſus, quòd quilibet accipiat quidquid ipſe petierit in eius nomine, ſed requiritur vt eius benedicti nominis notitiam habeamus, vt ſic mereamur accipere, quod ſuppliciter petimus. Idcirco & de notitiam non habentibus ſui nominis illud dicitur ab Apoſtolo: Petitis, & non accipi-
Iaco. 4. tis, eò quod malè petatis: Sed ex aduerſo de habente notitiam ſui nominis, illud in pſal. dicitur: Protegam e-
Pſal. 90. um quoniam cognouit nomen meum. Dat ergo Deus illud quod petimus, ſi petitum ad noſtram ſalutem pertinere decreuerit. Nam ſi quis plus petierit, quàm ei debetur, id quod ei debetur, amittet. Idcirco qui hunc pręterierit ordinem, non in eius nomine petere dicendus eſt, quod petebat: quia non bona ſalutis, ſed quæ ſuę voluntati conſona videbantur, petierat. Quanquam Deus multa propitius neget petẽti, quia malè petit. Et aliquãdo dat iratus petenti, quod malè petit, vti Chryſoſt. ſentit. Idcirco non debemus ab eo petere aliquid fixum, ſed quod ipſe nouit nobis fore expediens. Et inde venit quòd multi petentes, quod petunt non obtinent, quia in petitione claudicant, petentes quæ non expediunt. Idcirco Paulus quod petierat non obtinuit, quia ſibi nõ

erat expediens,vt daretur:quod & si obtinuisset, forsan non reportasset talem de tyranno triumphum. Non ergo dedignemur si dũ orantes non obtinemus quod petimus, quia nec talis ac tantus Apostolus valuit obtinere quod petiit.Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. LVIII.

Pauci sunt qui saluantur. *Luca 13.*
Multi recumbent cum Abraham. *Ibidem.*

Quomodo multi recumbent cum Abraham,Isaac,& Iacob,si pauci sunt qui saluandi introducuntur, vt præmittitur?Non enim præmissa simul stare possunt,vt multi dicantur,& pauci qui saluandi sunt. Huic quoque placuit dicendum, vtrunque verum esse respectu diuersorum:Pauci quidem dicendi sunt saluandi, ratione dãnandorum viam latam gradientium.Nam sicuti compa- *Mat.7.* ratione paleæ possunt pauca grana dici vberrimæ segetis, quæ tamen per seipsa redacta in cumulum implent horreũ:sic& illi qui recumbent cum Abraham,multi di- *Luca 13.* cendi sunt propter innumeram multitudinem,quam sibi multiplicandam promiserat Deus, velut stellas cœli, *Gene.17.* & velut arenam maris. De hac enim multitudine quæ recumbet cum Abraham, & Isaac in angelorum societate,locutus Ioãnes,in suis Reuelationibus ait:Vidi tur- *Apo.7.* bam magnam,quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, stantes ante thronum. Ecce quomodo multi dicuntur,qui dicuntur pauci.Multi quidem per se ipsos considerati, sed pauci in consideratione iniquorũ, in iudicis sinistra locandorum.Et sic pręmissa seruantur absque vlla tontradictione.

CONTRAPO. LIX.

Peccantem corripe inter te & ipsum solum. *Luca 16.*
Peccantem coram omnibus arguendum alibi. *1.Tim.5.*

Si delinquentis correctio inter te & ipsum solum perficienda est, cur Euangelicus præco aliter fieri iudicauit?Et huic pariter sic nouimus respondendum dicentes, primam esse intelligendam de delinquente, te solo

ſciente,quem ſi peccatum incurriſſe noueris, inter te & ipſum ſolùm habes corripere. Ne ſi illum publicè arguas, proditor potius quàm correptor dicaris: & quod ex charitate cælare debueras, in infamiam publicam deuoluatur, vti multi non bene ſenſati plerunque faciunt. Idcirco piè & cautè vigilandum eſt, vt cùm aliquem reprehendere vel obiurgare nos neceſsitas coegerit, primò cogitemus vtrum tale vitium ſit, quod nunquam nos habuimus, vel quo iam caruimus, & ſi nunquã quid tale habuimus, cogitemus & nos homines eſſe & habere potuiſſe. Si verò habuimus, & modo non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, vt illam reprehenſionem, non odium, ſed miſericordia præcedat. Si autem cogitantes, nos metipſos inuenerimus in eo eſſe vitio, in quo ille fuit quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, nec obiurgemus illum, ſed congemiſcamus, & illum non ad obtemperandum nobis, ſed pariter ad cauendũ inuitemus. Cætera verò peccata quæ corripienda non ſunt, illa Chriſti forma ſeruata, publicè & palàm ſunt obiurganda & corripienda, vt & cæteris timorem incutiant, & delinquentes tali concuſsi verecundia reſipiſcant à malis. Idcirco diligenti indagatione præuidendum, quando illud & iſtud faciendũ eſt, ne velut proditor exiſtimetur corripiens, prænotatam Domini formam non ſeruans, & non corripiens delinquentem, arguatur à Domino, tanquam negligens paſtor. Ob quod dicimus, quòd illa Pauli ſententia de publico & infami peccatore intelligenda eſt, quem paſtor coram omnibus debet corrigere, ne morbida facta pec' totum corrumpat ouile. Et ſic patet quid fuerit dicendũ ad præmiſſa.

Quomodo corrigendi ſint proximi.

CONTRAPO. LX.

Ioan. 12. *Epheſ. 6.*

Principem mundi huius eiiciendum dixerat Chriſtus.
Principem huius mundi nondum eiectum nouimus.

Si principem huius mundi, ſicuti Chriſtus promiſerat, à principatu eſſe eiectum credimus, cur principem tenebrarum harum Paulus eum vocauerat, tanquam ſi

adhuc hunc principatum haberet in mũdo? Et huic, quæ nullam in se contradictionem sapit, placuit dicendum, primam intelligendam esse quantum ad cultum, cùm nõ amplius princeps iste adoretur in idolis, nec suis cultoribus det responsa. Sed diceret quispiam, nunquid extra cœlum, aut terram datur locus, in quem eiectus sit? Non, sed extra fidelium corda foras misso inuasore redemptor habitat, quia ipse redemit qui creauit. Licet sic foras eiectus diabolus adhuc oppugnat fideles, varias immittendo tentationes. Sed ille non consentit, cui Deus intus est, intus loquitur, & vnctio quam audit illum docet. Nam quia iste feralis hostis naturam nostram deceperat, idcirco dignatus est Dei filius nostram suscipere naturam, vt in ipsa, quam diabolus vicerat, & sic victus à fidelium cordibus foras mitteretur. Nec admittendum est, quòd ipse sit princeps huius mundi, nisi tyrannicè, quia Domini est terra, & plenitudo eius: sed dicitur princeps cupiditatum earum, quibus concupiscitur omne quod transit. Per hanc enim rursus in homine regnat diabolus, & cor eius astrictum tenet. Mittitur verò foras denuo à nobis, quando ex toto corde mũdo renuntiantes, viuimus Deo. Sed quid prodest homini sic illum à se eiectum habenti si rursus malè operans, illi rursus in se præparat domicilium? Nam licet à Christo expulsus fuerit, vt non regnaret in fidelium cordibus, relicta tamen est illi potestas tentandi homines, vt armis fidei debellatus succumbat in certamine. Quem nisi vicerimus, minimè cũ Christo regnare poterimus in pacis regno. Et sic patet quid dicendum.

Gala. 3. *Apo. 12.* *1. Ioan. 2.* *Diabolus quando à nobis foras mittitur.*

CONTRAPO. LXI.

Qui videt filium, videt & patrem.
Philippus videbat filium, sed non patrem.

Si videre filiũ, est patrem videre, vt ipsa veritas attestata est, quid est quòd Philippus videns filium, patrem videre petierat? Et huic dicendum nouimus, quòd idcirco Philippus nõ videbat patrem, quia nondum erat illi sanus oculus, vnde pater videri posſit. Nam quod in

Ioan. 14. *Ibidem.*

carne Domini videbatur, non solùm viderunt discipuli, & honorauerunt, sed & Iudæi, qui eum crucifixerunt. Qui ergo se aliter videri volebat, alios oculos requirebat. Et ideo vt oculos fidei sanaret Iesus, prius admonetur Philippus secundum fidem, vt postmodum posſit recto calle ad speciem peruenire: & ne sic putaret Philippus cogitandum Deū quomodo videbat in corpore dominū Iesum Christum, statim subiecit: Non credis, quia ego in patre, & pater in me est? Iamdudum dixerat: Qui videt me, videt & patrem meum. Sed nondum (vt prętulimus) habebat Philippus sanum oculum, vt patrem videret. Itaque aciem mentis adhuc sauciatā habens, tantam lucem aspicere non valebat. Qua in re monemur, vt qui nondum videre potest, quod demonstraturus est Dominus, nō quærat prius videre quod credat, sed prius credat, vt posſit oculis sanari quibus videat. Nam impossibile esse iudicamus, vt oculis fidei quisque videat patrem sine filio, neque filium sine patre, cùm non sit dandus vnus sine altero. Sunt enim relatiua simul natura. Ad quem gradum cognitionis ascenderat ille, qui interrogatus quis esset Christus, confidenter respōdit: Tu es Christus filius Dei viui. Non enim hoc didicerat in nugis Philosophorū, sed sicuti pater cœlestis illum docuerat, quē gradum (vti prætulimus) nondum Philippus attigerat, dum patrem videre petiit. Et sic patet quid ad præmissa fuerat dicendum.

Mat.16.

CONTRA PO. LXII.

Ioan.14. A*Postoli sciebant quò Christus iret.*

Ibidem. *Præfati dixerant se hoc nescire.*

Si præceptor attestatus est, ꝙ Apostoli sciebant quò ipse iret, pariter & viam scirent, cur Thomas, qui hoc audierat cum aliis, vtrunque ignorare se ostendit, dicens & respondens illi: Domine nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire? Et huic pariter nouimus dicendum, non esse credendum, quòd Thomas ignorauerit, quò suus magister iturus erat, cùm pluries de regno Dei Christus mentionem fecisset, dum loque-

retur discipulis,&quomodo oportuerat illum reuerti ad patrem,à quo venerat, sed quia adhuc plenè non innotuerat illis, sed semiplene, idcirco se nescire ostenderant dicentes, Domine nescimus quò vadis. Profectò qui in Christum perfectè credit, nouit quippe aliam non esse viam eundi ad cœlum nisi illum, qui ait: Ego sum via,& non solùm via, qua itur, sed & ostium, quo in ouile Dei introitur, vti ipsemet attestatus est, dicēs: Ego sum ostium, per me si quis introierit saluabitur,& pascua inueniet. Et nos quò imus, nisi ad ipsum? Ac per hoc & ipse per ipsum & ad seipsum & ad patrem, & nos per ipsum & ad ipsum & ad patrem ituri sumus. Idcirco resolutoriè primam declarantes, sic sensum eius talem esse iudicamus: Quò ego vado scitis, id est, scire deberetis, quia tanto tempore vobiscum sum. Quare eos arguens de incredulitate meritò increpauerat. Et sic seruantur præmissa absque contradictione.

Ioan. 10.

Ioan. 4.

CONTRAPO. LXIII.

Spiritus dona ad mensuram non danda. *Ioan. 3.*

Spiritus dona secundum mensuram danda alibi. *Ephe. 5.*

Si spiritus dona ad mensuram non erant danda, quomodo verum erit quod ex aduerso à Paulo dicitur, quòd videlicet dona ista secundũ mēsuram donationis Christi danda erant? Proculdubio quod discipulus dixerat, à præceptore didicerat, vnde ergo hæc dissonantia? Idcirco & ad hanc dicendum nouimus, quòd licet hęc dona sint collata hominibus secundum mensuram fidei, vnico tamen filio Dei non ad mensuram, sed secundum omnem plenitudinem data sunt, vt ex illo plenitudinis fonte acciperent alij. Sed quomodo ad mensuram, nisi quia alij datur per spiritum sermo sapientiæ, alij scientia secūdum eundem spiritum, alij fides, alij linguarum genera, alij prophetia, alij discretio spirituum, &c. Mēsura enim hęc, diuisio donorũ est, quomodo aliud accipit manus vt operetur, aliud oculus vt videat, aliud auris vt audiat, aliud pes vt ambulet. Anima tamē vna est quæ agit omnia in manu vt operetur, in pede vt ambulet, in oculo

Ioan. 1.

1. Cor. 11.

vt videat, in aure vt audiat. Sic pariter sunt diuersa dona fidelium, tanquam membra ad mensuram, vnicuique propria distributa. Sed Christus qui dat aliis non accipit ad mensuram: quia quicquid habet pater, illi traditũ est. Ad æqualitatem enim pater genuit sibi filium, de quo & Apostolus locutus ait: In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et sic patet quid dicendum.

Ioan.3. Phil.3. Coloß. 2.

CONTRAPO. LXIIII.

Ioan.15. *Seruos non dixit Christus fore apostolos, sed amicos.*

Iac. 14. *Seruos se dici & vocari præcepit illis, alibi.*

Si illos non seruos, sed amicos dicere consueuerat, cur econtrariò præcepit illis, vt se seruos dicerent & vocarent? Et huic sic nouimus respondendum, dicentes aliud esse quod ex benignitate magistri prouenerat, & aliud dicimus esse formam sectandæ humilitatis, quam verbo & exemplo ostenderat illis. Nempè dum illis tanquam amicis & domesticis ea quæ de patre audierat reserauit, amicos nominari complacuit. Et hoc signũ fuit magnæ dilectionis, vt videlicet conscios illos redderet secretorum cœlestium, sed dum seipsum in formam seruilem tradidit, vt se præceptorem imitarentur, præcepit & ordinauit. Idcirco alibi dixerat: Quicunque in vobis vult maior esse, sit vester seruus. Hanc formam quippe imitandam didicerat ille, qui scribens Corinthiis, dixit: Nos autem seruos vestros per Iesum Christum. Et alibi: Cùm essem liber ex omnibus, omnium seruũ me feci, vt plures lucrifacerem. Profectò hanc formã sic docuerat ille, qui cùm esset omnium dominus atque creator, omnium se seruum fecit, formã serui in se suscipiens, & habitu inuentus vt homo: vt sic firmaret exemplo, quod prius verbo docuerat, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, veri magistri documento functus. Et sic patet quid fuerat ad præmissa dicendum.

Mat.20. 2. Cor.4. 2. Cor. 9. Mat.11.

CONTRAPO. LXV.

Mat.5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Iob 1. *Sathan immundus corde, affuit coram Deo.*

Si (Saluatore teste) soli qui mundo corde esse inuenti fuerint, Deum visuri sunt, quo fauore sathan, qui immundus dicitur, affuit coram Deo? Et huic pariter nouimus sic respondendum, dicentes quòd bene stat, quòd iste immundus Spiritus steterit coram Deo, & fruitus non fuerit visione illa benefica. Profectò licet ille cum bonis angelis coram Deo steterit, non idcirco lux illa diuina & gloriosa fuit illi splendens & luminosa, sed tenebrosa & obscura. Nam & de iudicis facie illud dicitur, quòd Beatis, & Sanctis luminosa apparebit, sed dãnandis & reprobis obscura & terrifica. Stat enim quòd cæcus Solis calore calefiat, qui tamen radiis solaribus non illuminatur vt videat. Dicimus ergo, quòd qui mũdo sunt corde, dum sunt in hoc mundo Deum vident per gratiam, illúmque absque obstaculo in patria aspicient in specie, quando videbunt illum sicuti est. Nec illustrari valuit Sathan dum coram Deo affuit, quia angelus tenebrarum dicitur, vbicunque fuerit. Possumus nihilominus dicere, quòd idcirco coram Deo affuit, vt visus ab illo, & interrogatus conquereretur de innocente & iusto Iob. Et sic patet quid dicendum.

Mat. 5. *Deũ visuri qui sint* *1. Ioan. 3.* *Iob 2.*

CONTRAPO. LXVI.

SI *vis ad vitam ingredi serua mandata.* *Mat. 19.*
Compelle eos intrare vt domus impleatur. *Luc. 14.*

Si diuina mandata obseruare volenti liber ad patriã accessus conceditur, cur compellendi sunt ad regnum qui ad cœnam istam accedunt? Non enim sponte ingreditur, qui vt ingrediatur compellitur. Et huic, quæ nullam penitus in se continet cõtradictionem sic nouimus respondendum, dicentes quòd quasi compelli dicendus est ingredi, qui ad præceptorum constringitur obseruantiam. Nã tali mandatur, vt non solùm contra antiquum hostem, sed & contra carnalia vitia certet & vincat, quæ legi Dei contraria esse cernuntur. Qui si victores in bello fuerimus, fauore illius qui virtus nostra, refugium & adiutor noster dicitur, in illam proculdubio ingrediemur requiem, vt sempiternis potiamur bonis, vitáque

1. Pet. 2. *Psal. 45.*

Dei bonitas quàm sit magna

perfruamur æterna, vbi sunt dies boni non multi, sed vnus tantùm. Vel dicamus ad hanc secundam, quòd tãta est benignitas Saluatoris nostri Dei, vt etiam illos cogatur saluare flagellis, quos sua clementia tolerans lenire non valuit. Et quos, nisi huiusmodi castigationibus emendati fuissent, cruciatibus perpetuis decreuerat deputandos. Accidit enim sæpenumero, vt dum aliqui frãguntur aduersitatibus huius mundi, cogantur quodammodo ad Dei amorem reuerti. Nam (vt Gregorij vtar verbis) mala, quæ nos hîc premunt, ad Deum nos ire compellunt. Hi verò quos Deus ad se venire compellit, illi dicendi sunt, quos per fidem sui vnigeniti saluare decernit. Voluntatis enim eius est, vt omnes saluandi salui fiant. Licet nullus inuitus saluetur, vt Augustinus edocet. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

1. Tim. 2.

CONTRAPO. LXVII.

Luc. 14.
Eph. 5.

Vxorem odire præceptum à Christo.
Vxorem diligere mandauerat Paulus.

Si mulier (teste veritate) odio habẽda est cum cæteris temporalibus, aliter Christum sequi nequimus, cur doctor gentium illam mandauit diligendam? An forsan possumus simul odisse & diligere? Et huic prẹter id quod superius de parentibus odio habendis præfati sumus, & illud superaddendum nouimus, dicentes: vxores diligendas esse ex ea parte, qua vxores sunt. Qui enim sic vxorem dilexerit, seipsum diligit, cùm pro eadem carne accipiantur vir & vxor, iuxta illud: Et erunt duo in carne vna. Nempe qui suam vxorem (sicut decet) diligit, nunquid fundamentum istius dilectionis est Christus? Quis tamen tam insipiens vt hoc dubitet? Si autem illam dilexerit secundum illud sæculum, liceat ei indulgeatur ab Apostolo, potest tamen & iste in fundamento habere Christum. Quanquam ex ea parte qua alteri alter aduersatur in Dei opere, minimè sit diligenda vxor, nec econuerso vir, vt Gregorius docuit, dicens: Quos enim in via Dei aduersarios patimur, hos odio habentes fugiendo nescire debemus. Scientes hoc

odium non ex bullienti procedere ira, sed ex zelo Dei, *Mat.22.*
qui super omnia diligendus est, & cætera omnia propter ipsum. Profectò tali salubri & laudabili odio peccatores homines oderat ille, qui in Psal. dixerat: Perfecto odio oderam illos. Et sic concludentes dicimus, quòd non solùm vxores odio habendæ sunt isto modo, sed & cætera temporalia omnia. Quia sic odisse, est diligere secundum Deum. Et sic seruantur præmissa illæsa ab oppositione.

CONTRAPO. LXVIII.

VXorem relinquere commendatum à Christo. *Luc.18.*
Vxorem dimittere interdictum, alibi. *1.Cor.7.*

Si vxorem relinquere taliter esse concessum nouimus & admissum à Domino, vt nullatenus existimetur transgressor, qui propriam vxorem dimiserit, cur veritatis præco subiunxit oppositum? Nónne quod ipse in suis deposuit Epistolis, hoc per reuelationem Domini nostri Iesu Christi se recepisse dixerat? Idcirco dicimus, quòd primæ sentẽtiæ insertum est, Si illam reliquerit propter regnum cœlorum. Quod & Saluatore mandante, cæteris omnibus præponendum est. Nam omnia non tantùm relinquenda sunt propter huiusmodi regnum adipiscendum, sed & pariter odio habenda, quando videlicet imminente tentatione sic nobis forent impedimento, vt nisi ipsis relictis præfatum regnum nequaquã possemus adipisci. Idcirco quod diximus de vxore, hoc de filiis, hoc de parentibus, hoc de fratribus & sororibus, hoc & de domo, & agris intelligendum est. Quæ omnia pro Christi nomine relinquenda sunt, si in Christi seruitio taliter nobis obstant, vt (prout decet) illud cõsequi nõ valeamus. Nõ enim in huiusmodi, viro suo vxor subiecta est, cùm religio seu cultus præponendus sit. *1.Cor.7.*
Hinc agnoscat vir Christianus libertatem suam, nec ita se subiectum innodatúmque deputet seruituti huiusmodi, nec alteri huic simili, vt ipsam fidem dimittat, ne cõiugem infidelem amittat: nec econuerso. Nam quilibet fidelis semper paratus esse debet, vt si necessitas coge- *Christiani hominis libertas.*

ret & vrgeret, parentes, filios, fratres, & vxores hoc modo relinqueret, si talis conditio illi fuisset apposita, vt nisi deserto dimisśoque Christo, eas habere non posset. Quanquam (vt aliâs præfati sumus) parentum honor in gradu suo seruandus, sit eos tamen in comparatione diuini honoris, pręsertim si tales essent impedimento, omni exceptione postposita oportere contemni. Idcirco dum huic sæculo renuntiamus, si hunc ordinem præterimus, verbis renuntiamus & non factis. Nempe potissimum signum est quòd ista quis plus diligat, si imminente tentatione, vt his non careat ad deserendum Christum negandúmque potius consentit. Sed non sunt tales diuites Christiani veri, qui licet ista teneant, non tamen tenentur ab eis, vt hæc Christo anteponant, quinpotius sic veraci corde renuntiarunt sæculo, vt nullam spem deserto Christo in talibus habeant. Et talis videtur esse sensus primæ, ac cæterarum auctoritatum, quibus in diuinis scripturis hortamur, vt pro Christo sic illis omnibus renuntiemus, vt sine Christo, velut stercora reputemus. Secus autem facientes vana existimabitur nostra professio in baptismatis emissa lauacro, vana nostra religio & cultus. Et sic patet quid ad præmissa fuerat dicendum.

Christiani veri diuites.

CONTRAPO. LXIX.

Ioan. 5. PAter omne iudicium tradidit filio.

Mat. 19. *Iudicabunt Apostoli duodecim tribus Israël.*

Si omne iudicium filio esse traditum nouimus, cur & apostoli introducuntur pariter, vt iudicent mundum? Anne forsan Christus non erit per se sufficiẽs vt hoc faciat? quod absurdum est dicere. Idcirco dicendum nouimus, quòd licet iudicium exequendum in finali tempore, sit filio duntaxat commissum, tamen ex iudicis benignitate fit & permittitur, vt non tantùm Apostoli, sed & cæteri omnes fideles, tanquam assessores huic iudici, & curiales admittantur, suam approbantes sententiam, eámque tanquam iustam commendantes. Et secũdum hunc sensum est intelligenda illa alia sententia,

Apostoli quomodo iudices erunt.

qua dicitur,Iusti iudicabunt nationes. Pariter & illa Pauli dicentis: Sancti de hoc mundo iudicabunt. Quanquã hoc iudicare non competat per se prænotatis, sed iudicis priuilegio(vt præmisimus)admissum est.Nec obstat quod in secundam dicitur, Apostolos sessuros in hoc iudicio super sedes duodecim,quasi alij electi non sint sessuri pariter cum Apostolis.Duodenario quippe numero vniuerso quædam significata est iudicantium multitudo propter duas partes numeri septenarij, quo significatur plerunque vniuersitas.Quæ duę partes,id est,tria & quatuor,altera per alteram multiplicatæ duodecim faciunt. Nam & quatuor ter, & tria quatuor duodecim conficiunt.Nec per primam excluditur tota trinitas,quin ipsa sit iudicatura in finali iudicio auctoritatiuè: licet Christus inquantum homo iudicaturus sit executiuè, iuxta illud,Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.Et sic patet quid dicendum. *Sap.3.*

CONTRAPO. LXX.

Nolite iudicare & non iudicabimini. *Luc.6.*
Spiritualis diiudicat omnia,alibi. *1.Cor.2.*

Si spirituali homini cõcessũ est vt omnia iudicet, cur prohibuerat Saluator iudicare hominẽ? Nam si spirituali admissum est huiusmodi iudicare, non erit obseruanda præceptoris regula. Idcirco ne in erroris sylua remaneamus, dicendum placuit, quòd de interioris hominis statu prima intelligenda est, cuius iudicium soli illi reseruandum est,qui cordiũ scrutator dicitur.Non enim nos cæcutientes de alterius cõscientia iudicare debemus,propter id quod scriptum est,Quæ sunt hominis nemo scit, nisi spiritus hominis qui in illo est. Profectò (vt Augustinus sentit) solet sub nigro habitu anima satis pura aliquando latitare. quanquam ille qui vetustate deposita,ac spiritalis effectus est, posit absque errore multa de huiusmodi homine iudicare & cognoscere, etiam profunda Dei(vt isdem arcanorũ reserator eo in loco subiunxerat) licet non absque fauore illius spiritus, qui nostræ calamitati compatiens, opem fert nostræ in- *Heb.4.* *Ioan.15.*

firmitati. Vtiq; tali adiutus fauore ſpiritualis homo omnia quæ audiet ab illo ſpiritu veritatis, probat, cogitat, atque diſcernit, ſpiritualibus ſpiritualia comparando, iudicat pariter & approbat quod rectum eſt, improbat verò quod perperam inuenit, quid bonum, quídve malũ, & quid interſit inter precioſum & vile abſq; errore iudicabit. Sic igitur præmiſsis intellectis, in nullo contrariãtur.

Hiere. 15

CONTRAPO. LXXI.

Luc. 18. *Apoc.* 9.

D*Eus non faciet vindictam electorum ſuorum.*
Deus vindicabit ſanguinem ſeruorum ſuorum.

Si Deus nõ eſt facturus vindictam ſuorum electorum (vt Euangeliſta præmiſerat) cur Ioannes aliud ſentit in ſuis Reuelationibus? Et huic primæ, quæ nil cõtradictionis in ſe continere cernitur dicendum nouimus, quòd ipſa interrogatiuè accipienda eſt: nam ſic continetur in litera: Audite quid iudex iniquitatis dicit, Deus non faciet vindictam ſuorum electorum ad ſe clamantium die ac nocte, & patientiam habebit in illis: Quaſi diceret, Non eſt credendum quòd Deus qui iudex iuſtus comprobatur vbique, non ſit facturus vindictam ſuorũ electorum, qui pro defenſione ſui ſacri nominis tot & talia paſsi ſunt ab iniquis, quinpotius vindicabit illos, quia & illorum ſanguis effuſus hoc exquirit continuè, dicens & clamans coram Deo: Vindica ſanguinem ſanctorum tuorum, qui effuſus eſt. Secundum quem ſenſum hęc ſecunda intelligenda eſt: nempe vt tales vindicãdo puniat diuina iuſtitia hoc expoſtulat, vt & peccãtibus vices reddantur. Idcirco lætabundus introducitur iuſtus in Pſalm. cùm hanc iuſtitiam impiorum fieri nouerit: in quorum ſanguine, vt eo in loco ſubnectitur, manus ſuas lauare habet. Et ſic patet quid dicendum.

Pſal. 7. *Pſal.* 57.

CONTRAPO. LXXII.

Iac. 5. 1. *Ioan.* 5.

O*Rate pro inuicem vt ſaluemini.*
Non roget quis pro aliquo, dicitur alibi.

Si vt oremus pro inuicem abſque vlla exceptione

gradus vel ſexus, docuerat Iacobus, cur Ioannes qui illud quod dixerat ab eodẽ hauſerat fonte, excluſit quẽpiam pro quo non orandum iudicauit? Vtique & de fidelium numero fuerat ille de quo locutus ait, Non pro illo dico vt roget quis. Aſpera enim & inhumana eſſe cernitur hęc ſententia, cùm in lege gratiæ non tantùm pro inimicis & nos perſequentibus orare iubemur, ſed & aliquando pro infidelibus deprecaturi ſimus, vt videlicet illorũ corrigatur voluntas, doctrinæ conſentiatur, & natura ſanetur. Sed ſi aciem noſtri intellectus erigere placuerit, luce clarius apparebit, quòd ille pro quo Ioannes non orandũ dixerat, peccatum ad mortem cõmiſerat (vti circunſtans litera liquidò vidètur oſtendere) pro quo peccato nulla relinquitur hoſtia vt remittatur. Profectò licet eo in loco peccatum iſtud non exprimatur quale ſit, poteſt tamẽ dici (vt Auguſtinus ſentit) quòd iſtud peccatum ſit, fidẽ quæ per dilectionem operatur deſerere vſque ad mortẽ. Pro hoc ergo, cùm ſit in periodo, orandum non eſt. De quorum numero pariter fuerant illi, de quibus locutus dominus præceperat Hieremiæ, dicens: Tu autem noli orare pro populo hoc, ſed pro illo duntaxat orãdum eſt, cuius malitia nondum conſummata cernitur, nec taliter increbuit, quin remiſsionis capax reddatur, qui illud cõmiſit. Sic ergo intellectis præmiſsis, nullatenus contrarię ad inuicem cernuntur.

Luc. 6.

Heb. 10.

CONTRAPO. LXXIII.

O*Rantes nolite multum loqui.* *Mat. 6.*
Sine intermißione orare. *1. Theſ. 5.*

Si ſine intermiſsione vt oremus, doctor gentiũ docuerat, cur veritatis magiſter multum loqui prohibuerat, dicens: Cùm oraueritis nolite multum loqui? Et huic præter id quod aliâs nos dixiſſe meminimus ad hoc propoſitum, & illud pariter nouimus ſuperaddendũ, dicentes ſic intelligendam eſſe Pauli ſententiam, vt nulla die intermittatur certa hora orandi. Nam & parem ſenſum continere cernitur illa Chriſti ſententia quæ dicit, Oportet ſemper orare, & nunquã deficere, quę ſic expri-

Bonũ desideriũ oratio est.

mitur, semper oportet bonum habere desiderium. Nam ipsum bonum desiderium oratio est. Quod si cõtinuum habes semper orare diceris. Nunquid sine intermissione genu flectimus, corpus prosternimus aut manus leuamus, vt dicat, sine intermissione orate? Si ergo non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum enim desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis enim si amare destiteris. In ipsa ergo fide, spe, & charitate continuato desiderio semper oramus. Sed ideo per certa interualla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerũ signis nosipsos admoneamus. Dignior enim sequetur effectus, quem feruentior præcedit affectus. Nam quantumcunque in hoc desiderio profecerimus nobisipsis innotescamus, & ad hoc agẽdum nosipsos arctius excitemus, ac ab aliis curis atq; negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo videtur tepescere, nostram reuocemus mentem, verbis orationis nosipsos sedulò admonentes in id quod desideramus intendere, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebrius inflãmetur. Neque enim hoc orare (vt nonnulli putant) est orare in multiloquio si diutius prolongetur. Aliud enim est sermo multus, aliud est diuturnus affectus. Nam de sic orãte Deum Xistus Pythagoricus sermonem faciens, ait: Qualis vis esse dum Deum oras, talis semper esto. Et sic seruantur præmissa absque aliqua contradictione illęsa.

CONTRAPO. LXXIIII.

Mat. 12. B*Onus Dominus & bonus seruus dicuntur.*
Mat. 19. *Bonus solus Deus, dicitur infrá.*

Si solus Deus bonus dicitur, vt præmisim⁹ aliâs, cur introducitur bonus seruus in Euangelio? Nempe illa dictio SOLVS, cùm sit exclusiua, præter Deũ verum omnẽ aliũ excludit. Et huic placuit dicendum, quòd licet seruus & cætera creata bona dicanrur bonitate entis, vel maius dicas, bonitate naturali quadam, quia videlicet à
Gene. 1. quodam bono principio processerunt, tamẽ solus Deus
Psal. 118 bonitate essentiali dicitur bonus, vt prætulimus alibi.

Ipſe enim per ſe & à ſe dicitur bonus,cùm non indigeat bonis noſtris,quinpotius ipſe ſuam nobis bonitatem clementer cõmunicat,quibus vult & quando vult.Proinde inquantũ homo Dei fauore aliquid rectè agit, bonúmque operatur,intantum bonus dicitur.Licet(vt Auguſtini ſententia vtar)bona noſtra illi tribuenda ſint,qui nos vocat,qui præcipit,qui viam veritatis oſtendit,qui vt velimus inuitat,& vires implendi ſubminiſtrat.Nam ſi vellet pro meritis agere,non inueniret niſi quos damnaret, vt Origenes ait.Inquantum verò homo ſine Deo à charitate & veritate deuiat,ac peccatum committit,intantũ malus dicitur . Idcirco cùm Dominus quoſdam bonos dicit in Euangelio,per participationẽ gratiæ dicit: quos econuerſo malos etiam nominat propter commiſſa vitia.Boni ergo dicendi ſunt homines & filij Dei,inquantum non peccant,ſed inquantũ per peccata à veritate deuiant,vtiq; mali dicendi ſunt.Vel clarius dicamus,boni dicuntur inquantum diuinæ regulæ in operando conformes redduntur,& econtrariò mali. Et ſic patet quid dicendum.

Pſal.15.

Homines quãdo boni dicendi ſint.

CONTRA PO. LXXV.

OMnia mihi tradita ſunt à patre meo.
Paternitas non eſt ſibi tradita.

Si paternitas,ſi,pro quia, nunquam filio tradita fuit à patre,quomodo verum erit quod in alia pręmittitur?Nempe ſi iſta relatio filio eſſet tradita,filius non diceretur filius,ſed pater.Vtique pater paternitate pater dicitur . Pariter & de innaſcibilitate dicendum nouimus, quam pater ex ſe ſolus habet.Idcirco reſpondendum arbitramur , dicentes ꝙ ſub illo ſigno vniuerſali omnia, poſito in prima , non comprehenduntur hæ relationes diuinæ,pariter & reliquę ſuppoſitorum diuinorum,quę nullam in ſe continent perfectionem , ſed comprehenduntur duntaxat omnia abſoluta , perfectionem dicentia æquanimiter in omnibus tribus perſonis. Quanquã & iſta aliter conueniant patri,aliter filio,& aliter flamini:Pater enim,illa primò in ſe continet:demum per illũ

Lucæ 10.
Theologi.

Abſoluta diuina quomodo in tribus perſonis.

Personarum diuinarum distinctio. communicantur filio,& per vtrũque ſpiritui ſancto,qui patris & filij nexus dicitur.Eſt ergo paternitas ſolius patris propria relatio, ſicuti & filiatio ſolius filij proprietas,& paſsiua ſpiratio ſpiritus ſancti,quibus perſonæ diuinæ adinuicem diſtinguuntur,conſtituuntúrque ſecundum aliquos,cognoſcitúrque viciſſim vna perſona ab alia.Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. LXXVI.

Lucæ 20. D*Eus Abraham,Deus Iſaac,Deus Iacob.*
Ibidem. *Deus non eſt Deus mortuorum,ibidem.*

Si veritatis voce dicitur, Deum non eſſe Deum mortuorum,cur præmittitur illũ eſſe Deum Abraham, Deũ Iſaac,& cæterorũ patriarcharũ,qui longè antea defuncti fuerant,antequam Chriſtus diceret,Deus non eſt Deus mortuorum?Et huic quam nouimus eſſe abſq; cõtradictione aliqua,dicendũ placuit,nequaquam prȩfatos eſſe mortuos,qui dum vitam mortalem in terris agerẽt, ſic ſe geſſerunt optimè,vt mererentur poſtea cũ Chriſto perpetuè viuere vita gloriæ.Nec excluditur per ſecundã, quin Deus ſit Deus pariter exiſtentiũ in peccato, vel detrudentium in inferno cruciatibus gehennalibus deputatorũ:qui rectè dicuntur mortui,& non vtcunque mortui,ſed mortui æternaliter:his enim licet nõ ſit Deus beneficus, eſt tamen illis Deus vindictæ & vltionis puniẽs illos,ſicuti diuina iuſtitia expoſtulat.Patriarcharum verò potiſsimum dicitur Deus ratione electæ familiæ primùm in illũ credentis:cuius ſtipes & radix fuit Abrahã, qui manens in præputio in Deũ credidit,idcirco & iuſtificatus ab eo dicitur.Ex quo & illud ſemen benedicendũ proceſſit,quod eſt Chriſtus. Et ſic patet quid dicendum.

Deus quibus nõ eſt beneficus.

Gene. 17.
Roma. 1.

CONTRAPO. LXXVII.

Mat. 25. R*Egnum paratum ab origine mundi.*
Ioan. 14. *Vado parare vobis locum,alibi.*

Quem locum parare ibat Chriſtus,ſi regnum iã paratum fuerat ab origine mundi? Non enim per hunc

locum parandum aliud eſt intelligendum, quàm regnũ cœlorum,in quo perpetuò manſuri ſunt,qui Deo fideliter ſeruierint. Idcirco & huic pariter dicendũ nouimus, quòd non obſtat,quòd iſtud regnum paratum fuerit ab origine mundi prædeſtinando,& quòd Chriſtus ierit parare locum cuilibet,ſicut futurum eſt:nam locus vnicuique proprius eſt deſignandus in regno ab illo,cui omnis poteſtas collata fuit à patre in cœlo & in terra. Profectò Chriſtus tanquam paternæ domus procurator & filius, *Mat.28.* cuilibet fideliter ſeruienti habet tribuere locum in regno cœlorum, vt illic vnuſquiſque recipiat, prout ſe in *Mat.20.* corpore geſſerit.Vtique ſic nouimus illi fuiſſe impoſitũ *2.Cor.5.* Voca operarios & redde illis mercedem. Per quam locus proprius vnicuique conſignandus intelligendus eſt. Vel dicamus, quòd per locum iſtum parandum à Chriſto *Epheſ.4.* manſio eius in vnoquoque fideli forſan intelligenda *Epheſ.3.* eſt. De qua locutus Apoſtolus,ait: In interiori homine habitare Chriſtũ in cordibus noſtris.Quanquam de hoc regno & de manſionibus parandis in eo latius dicturi ſimus infrá.Et ſic patet quid dicẽdum fuerat ad præmiſſa.

CONTRAPO. LXXVIII.

Sedere in regno,non eſt meum dare vobis.
Data eſt mihi poteſtas in cœlo,&c. *Mat.20.*

Si omnis poteſtas collata fuerat Chriſto in cœlo& *Mar.28.* in terra, cur matri filiorum Zebedæi reſpondens,dixit: non eſſe ſui iurishoc regnum conferre petentibus?Quibus reſpondendum nouimus, dicentes quòd quando hos alloqueretur Apoſtolos, adhuc inquantum homo id muneris non fuerat conſecutus à patre,quia nondum glorificatus,ſed poſt reſurrectionem ſuam hoc ſibi collatum fuit.Quanquam poſſemus dicere, quòd tale reſ- *Ioan.7.* ponſum meruere præfati putantes illum terrenum regnum habiturum in terris.Nam cùm adhuc carnales eſſent,myſteria regni cœleſtis capere nequibant. Licet ad hanc poſſemus dicere,quod in tali reſpõſione non negauit ſe regnum cœleſte non poſſe dare,qui & illud in cruce pendens latroni promiſerat.Sed voluit innuere,quòd

istud regnum, quod illis daturus erat, à patre acceperat, qui & illud ab origine mundi iam parauerat dandũ credentibus in vnigenitũ suũ. Vel dicamus adhuc, ꝙ Christus his verbis apertè demonstrauit regnum cœlorũ vim pati debere: iuxta illud, A diebus Ioãnis Baptistæ regnũ cœlorum vim patitur. Licet primæ sic illam explanantes possemus dicere, Non est meũ dare vobis, quia regnum cœlorũ in accipientis illud est potestate. Quicunq; enim talẽ se exhibuerit, vt dignus sit regno cœlorum, hic proculdubio illud accipiet: quia regnum cœlorũ non persona, sed vita consequitur. Vel potius dicamus, Non est meum dare vobis, superbis videlicet & elatis, quòd illi duo Apostoli nondum ista erugine expurgati, quasi dicat, erant. Si istud regnum vultis accipere, nolite esse quod estis, id est nolite esse elati, sed prius humiliamini sub potenti manu Dei, sicut formam meam habetis. Et tunc istud regnum conferetur vobis quod duntaxat cõfertur humilibus. Et sic patet quid fuerat dicendum.

Regnum cœlorũ nõ persona, sed vita cõsequitur. *Mat.* 10. 1. Pet. 5. *Philip.* 3.

CONTRAPO. LXXIX.

Ioan. 3. *Lucæ* 23.

R*Egnum Dei renatus duntaxat consequitur.*
Latro non renatus, illud ingressus fuit.

Si (teste veritate) solus renatus ex aqua & spiritu sancto regnũ cœlorum ingredi habet, qua lege seu quo fauore latro non renatus illud fuit cõsecutus? Et huic pariter, quæ nullam prorsus in se contradictionem continet, placuit dicendum, ꝙ cùm istud renasci non sit perficiendum nisi per fidem Iesu Christi, illa nõ caruit latro. Nam cùm esset fixus cum illo in cruce, dixit ad eũ conuersus, Memento Domine dum veneris in regnum tuũ. Vel dicamus, ꝙ viuente Christo istud sacramentum baptismi non necessariò exercebatur per aliquod signum visibile, sed duntaxat post suam resurrectionem fuerat institutum & pręceptum, vt videlicet per aquam, tanquã per materiam & per verba, tanquam per formam perficeretur, dum missis Apostolis per vniuersum orbem statuit ac mandauit, vt baptizarent omnes gentes, in nomine patris, & filij, & spiritussancti. Quod deinceps simili for-

Mar. vlt.

li forma ab Ecclesia Latina hucusque semper seruatum fuit. Quanquam adhuc possemus dicere, quòd illius est dare regnum, cuius est fauorem impendere vt renascamus Deo, iuxta illud: Nemo venit ad me, nisi pater me⁹ traxerit eũ. Et sic patet quid ad præmissa fuerat dicendũ. *Ioan. 6.*

CONTRAPO. LXXX.

Regnum ingredi oportet per multas tribulationes. *Act. 14.*
Latro absque tribulatione regnum ingressus est. *Luca 23.*

Si per multas tribulationes oportet nosregnum cœlorum ingredi, quomodo latro, qui nullas passus est tribulationes, illud regnum potuerat ingredi? Et huic sic nouimus dicẽdum, ꝙ dictum Apostoli non habuit locũ, nisi post passionem capitis, cui & membra conformia esse debebant. Vtique si caput passum nõ fuisset, nil profuissent nobis huiusmodi tribulationes. Idcirco Petrus huius sacramenti non ignarus ait: Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Ob quod ad secundam sic arbitramur dicendum, quòd latro iste qui cum Christo fuit passus in cruce huic legi forsan non fuit subiectus, quia speciali priuilegio præuentus est. Vel dicamus, & forsan non ab re, ꝙ illa crucis affixio, quam & pro suis reatibus latro iste sustinuit patiẽter fuit sibi in martyrium computata post illam fœlicem confessionem Christi: nam dolens vehementer & tristans de suis reatibus dixerat conuersus ad socium, Nos quidem digna factis recipimus: sed Christi postmodum innocentiam tangens, adiecit: Hic autem quid fecit? De hoc latrone sanctus Augustinus locutus ait, Sicut diabolus primum hominem abstulit de paradiso suis fraudib⁹ & astutiis, sic Christus fallens diabolũ, cõfitentem latronem eruit ab inferno. Profectò tria bona nouimus operatum fuisse hunc fœlicem latronem, dum in cruce confixus esset: Nam primò cõpunctus veraciter & contritus, necnon & suum agnoscens reatum humiliter se accusauit, tanquam dignum illa turpissima & ignominiosa morte, socium increpans de incredulitate: secundò quia Christum innocenter mori, constanter *1. Petr. 2.*

C

confeſſus eſt,dum ait:Hic autem quid fecit? tertiò quia Chriſtum regem alterius ſæculi firmiter credidit, dum ad illum conuerſus ait,Memento Domine dum veneris in regnum tuum.Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

CONTRAPO. LXXXI.

CHriſti non erat regnum conferre æternum.
Poßidete paratum vobis regnum,&c.

Mat.20. Mat.25. Si Chriſti non eſt regnum conferre æternũ, cur ad pios cõuerſus in finali iudicio dicturus introducitur, Poſſidete paratum vobis regnum ab origine mũdi? An forſan de illo regno eſt litera intelligenda, in quo electi iam per gratiam regnabant, ſed non per gloriam, quibus tunc dicet,Venite,& regnate, vt quod in ſpe fueratis,in re habeatis ad plenum?Hæc domus Dei,hoc templum Dei,hoc regnum Dei eſt. Quod quidem regnum adhuc ædificatur,adhuc fabricatur,adhuc paratur,adhuc congregatur.In illo enim manſiones ſunt, ſicut eas adhuc parat Dominus, in illo iam ſunt ſicut iam prædeſtinauit Dominus,adhuc vocat eos ad regnum, quod eis paratum eſt ab origine mundi. Nec huic obſtat altera, quia hæc regni diſpoſitio per ipſum facienda,à patre ſuam trahit virtutem.Qui ſicut filio tradidit omne iudicium faciendum, ſic & poteſtatem tradidit locandi in regno,vt in illo intret bonus ſeruus in gaudium Domini ſui.Sit ergo præmiſſarum concluſio,quòd licet ad Chriſtum non pertineat primò conferre regnum, conuenit tamen ſibi illud regnum conferre, inquantum eſt patri æqualis per omnia,vel inquãtum ſibi collatum fuit poſt ſuam reſurrectionem à mortuis.Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

Ioan.5. Chriſtus adhuc vocat ad regnum. 1.Cor.15. Ioan.5. Mat.28.

CONTRAPO. LXXXII.

Mat.5. Mat.6.

OPera facienda coram hominibus.
Opera facienda vt non videant homines.

Profectò ſi bona opera ſunt faciẽda,vt videãt homines,cur in altera ne ſic fiant,mandatur? Et hanc dun-

taxat apparentem contradictionem, quãquam aliâs nos explanauisse recolimus, nihilominus sic rursus enodandam nouimus, dicentes quòd dum Dominus præcepit facienda opera coram hominibus, non illic terminauit sententiã, vti præmittitur, quam protinus eo in loco adiecit, dicens: Vt glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Vt homo cùm benefaciẽs videtur ab hominibus, intentionẽ boni facti habeat in cõscientia sua, intentionẽ verò innotescendi non habeat, nisi in laudibus Dei, propter eorum quibus innotescit vtilitatẽ, quibus hoc prodest, vt Deo placeãt, qui hoc pręstitit homini. Hinc ostẽdit eos qui tales sunt, quales fideles suos esse non vult, in eo ipso mercedem quærere, quòd videntur ab hominibus ibi constituere bonum suum, ibi oblectari vanitatem cordis sui. Sed ex aduerso qui vult videri opera sua, vt ille glorificetur, à quo ea quæ in illo vidẽtur, accepit, & sic ad imitandum bonum ipsimet qui vident, pietate fidei prouocentur: tunc enim verè lumen eius lucet coram hominibus, quia lux de illo lumine charitatis radiatur, & non superbiæ fumus euomitur. Quia nec suam deputat illam iustitiam, nec ideo facit, vt ipse videatur, sed vt intelligatur ille, qui in homine iustificato laudatur. hęc Augustinus. Ex quibus verbis innuitur, quòd bona opera coram hominibus facienda non veniunt prohibita, si ob hoc fiant, vt illa videntes reportent ædificationem, & glorificetur Deus, qui hoc præstitit homini. Secus autem faciens increpandus est, per eãdem sententiam, cui curæ fuit humanam laudem pro mercede recipere, & non intus in conscientiam sic se habere studuit, vt soli Deo placeret. Idcirco vt rectè & fructuose agamus quicquid operamur, sequamur regulam quam nobis tradidit Pythagoricus ille Xistus qui ait, Priusquam agas quodcunque agis cogita Deum, vt lux eius præcedat actus tuos. Et sic patet ex præmissis quid dicendum.

CONTRA PO. LXXXIII.

Luceat lux vestra coram hominibus. *Mat. 5.*
Nesciat sinistra quid faciat dextera. *Mat. 6.*

Si mandatur à Christo vt taliter lux nostra splendeat ac luceat coram hominibus, vt opera videant, cur in altera idem præceptor mandauerat, ne sinistra nostra sciret quid faceret dextera? Idcirco & huic (præter id quod in præcedenti præfati sumus) placuit dicendum, non esse putandum quòd Saluator noster qui summa veritas dicitur, sibi contrarius fuerit in huiusmodi. Nam in altera locutus de eleemosina admonuit, ne illam, quispiã faceret, vt ab hominibus tanquam misericors haberetur. Nam qui sic eleemosinam etiam occultè faceret, publicè se eam fecisse agnoscitur, quia laudem ab hominibus quæsiuit. Qui verò eleemosinã fecerit pro solo Dei amore, vt ad opus bonum reliqui excitentur, & non ipse sed Dominus collaudetur, etiam si publicè faciat eleemosinam, occultè fecit, quia pro eleemosina illa, non hoc quod videtur, sed quod non videtur desiderat. In dextera enim amor Dei intelligitur, sed in sinistra vanitas & cupiditas mundi. Si enim pro humana laude eleemosinam dederis, tamen sinistra facit, dextera omnino nihil facit. Si verò pro remissione peccatorum & amore vitæ æternæ eleemosinam dederis, totum dextera facit. Quapropter nil consequentius sinistra videtur significare, quàm ipsam delectationem laudis, dextera verò intentionem implendi diuina præcepta significat. Nesciat ergo sinistra, quid boni operis faciat dextera, id est non se misceat conscientiæ tuæ laudis humanæ appetitio, cùm in opere faciendo diuinum præceptum contendis implere, vt opus tuum in abscondito eat. Idcirco sic nos seruare debemus, vt quicquic agimus non pro vanitate vel cupiditate sæculi, sed duntaxat pro amore æternæ vitæ faciamus. Vel dicamus, quòd hoc in loco per dexteram pars bonorum spiritualium, & cæterorum significatur, vbi sol iustitiæ semper lucet, calor charitatis feruet, & splendor veritatis fulget: sed per sinistram, mundi prosperitas designatur, in qua obscuritas ignorantiæ abundat, & frigus indeuotionis viget, & Christi præsentia nunquam apparet. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

Eleemosina proficua.

CONTRAPO. LXXXIIII.

P*Eccatum nos non habere dicentes, seducimur.* 1. Ioan. 1.
Peccatum non facit qui natus ex Deo est. 1. Ioan. 3.

Pręmissa, vt cernimus, simul stare nō possunt: nam si peccatum non facit, qui ex Deo natus est, quomodo verum erit quòd seducamur, dicentes nos nō habere peccatum? Idcirco & huic sic pariter respondendum nouimus, dicentes primam de minoribus & leuioribus esse intelligendam, quæ homo quamuis iustus, euitare non potest, cùm hoc necessariò eueniat ex massa corrupta, dempto Christo, vt præfati sumus aliâs: sed secunda de peccato illato in proximum videtur habere sensnm, ac si diceremus, Qui natus est ex Deo, qui summè bonus dicitur, non facit peccatum, id est non habet in fratre odium, quia non facit contra charitatem, quæ Deus est, iuxta illud: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet. In quo manens non peccat, quia semen Dei in illo est, vti litera circunstans protestatur. Quanquam ad hanc secundam aliter respondentes possemus dicere, quòd duntaxat de illo litera sit intelligenda, de quo dicitur, quòd solus inter mortuos liber fuit, de solo illo inquam, qui peccatum non nouerat, qui & omnia expertus fuit secundum similitudinem absque peccato. Nam & quemcunque alium licet iustum discusseris, non omnino sine peccato reperies: nam licet aliquando inueniātur homines dicti in scripturis sine querela, non tamen sine peccato (vt præmisimus) nisi Christus solus. Idcirco opus est nobis quotidiana sanctificatione vt qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione asſidua purgemus. Quæ autem sit sanctificatio quæ nobis de Dei dignatione confertur, Apostolus prædicat, dicens: Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, &c. regnum Dei consequentur. Et sic patet quid dicendum.

Peccata minima euitari nō possunt.

1. Ioan. 3.

Ioan. 4.

Psal. 87.

2. Cor. 5.

Nullus sine peccato reperitur.

CONTRAPO. LXXXV.

C*Hristus loquebatur secreto pluries cum Apostolis.* Mar. 9.
Christus dixit se nihil locutum fuisse in occulto. Ioan. 18.

Si Christus plures cum Apostolis locutus fuerat secreto, quibus & reuelauerat se ad hoc missum fuisse à patre, vt redimeret mundum, quid est, quòd constitutus ante Pilatum præsidem attestatus est, se nihil fuisse locutum in occulto? Hæc enim, vt liquidò cernitur, contradictionem apertam inferunt. Idcirco & huic respondendũ putauimus dicentes, quòd Christus non regnauit coram præside positus, se nihil locutum fuisse in occulto, sed de doctrina sua locutus id ait, quam de cœlo detulerat, vt illam notam faceret mundo, vti circunstans litera attestatur. Hanc enim non in angulis viarũ, nec priuatim in domibus hominum, sed in plateis, vbi creber accessus est hominum, ac in templo, in quo omnes Iudæi conueniunt, eam palàm facere curauit, qui doctrinæ cœlesti noluerunt credere impij scribæ & pharisæi, idcirco meritò obcæcati inciderunt in reprobum sensum. Aliȩ verò doctrinæ, ista scripturali dempta, hominẽ coinquinant, quem & auertere faciunt à suo creatore. Nam alia doctrina fatum mihi facit, alia doctrina casus mihi fecit, alia fortuna mihi fecit, sed non sic ista procedens ab illo qui ait, Ego sum veritas. In hac ergo si quis doctus inuenitur, propinquatur Deo. Qua doctrina optimè instructus fuerat ille, qui ait: Nihil iudicaui me scire, nisi Christum Iesum, qui & hãc doctrinam quantũ ad sacramenta & mysteria notam non fecerat, nisi quàm paucis Apostolis, quos & tali munere dignos reddiderat. Idcirco præfatos alloquens, dixit: Vobis datum est cognoscere mysteria regni Dei. Et sic patet quid dicendum.

Ioan.14 — *1. Cor.1,*

CONTRAPO. LXXXVI.

Ioan.8. — *1. Tim.4*

SEruus non manet in domo in æternum.
Semper cum Domino erimus.

Si cum Domino semper mansuros credentes Apostolus nouerat, cur veritatis voce aliud præmittitur in altera, dum de seruo locutus Dominus dixit eum non permansurum in æternũ in domo Domini? Et huic prȩter id quod aliâs locuti sumus, & illud superaddendum nouimus dicentes primã intelligendã esse de seruo illo,

de quo eo in loco ſtatim ſubiungitur, Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: ſecus autem eſt de ſeruo fideli, qui abſoluendus erit ab omni ſeruitute, & adoptabitur in ſortem filiorum Dei. Quæ quidem abſolutio ab illo perficienda eſt, de quo dicitur, Si filius vos liberauerit, verè liberi eſtis. *Ioan. 8.* Hunc enim ſic abſolutum & liberum in domo Domini permanſurum nouimus in æternum, nõ quidem vt ſeruum, ſed vt Dei filium ac hęredem regni: hoc autẽ munus conſequetur ab illo, qui talem poteſtatem dedit hominibus, vt filij Dei nominemur & ſimus. *1. Ioan. 3.* Profectò & huiuſmodi ſic ſe bene gerenti in negotio Domini dicturus eſt Chriſtus: Euge ſerue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. *Luc. 12.* Pro hoc enim & patrem rogauerat, dicens: Volo pater, vt vbi ego ſum, ibi ſit & miniſter meus. Et ſic præmiſſa ſeruantur abſque contradictione illæſa.

CONTRAPO. LXXXVII.

NOn poteſt mundus odiſſe vos. *Ioan. 7.*
Propterea odit vos mundus. *Ioan. 15.*

Si (veritate teſte) mundus non poterat Apoſtolos odiſſe, cur idem Saluator oppoſitum ſubintulit infrá? Idcirco & huic, quæ nullam penitus contradictionem ſapit, nouimus ſic reſpondendum dicentes, quòd dum primum dixerat Dominus, nondum forſan ad plenum illos purgatos nouerat terrenis affectibus, cùm nondum plenam fidem haberent in illo, qua duntaxat corda purgantur, vt Lucas refert in Actibus. *Fide purgãtur peccata.* *Act. 15.* Vel dicamus ad primam quòd talis fuerat Apoſtolorum conuerſatio inter gentes, vt nullam cauſam odij afferre poſſet ſe cernentibus, de quibus prænotatus Euangeliſta ait, Et magnificabat eos plebs. Licet ob hoc non ſit dicendum, quòd de mundo non eſſent qui ſuam ab Adam originẽ traxerũt: nemo enim dicat, De hoc mundo non ſum: quiſquis es ô homo, de hoc mundo es: ſed venit ad te qui fecerat mundum, & liberauit te de hoc mundo. Idcirco poſtquã è mundo liberatus es, ſi rurſus delectat te mundus, ſemper vis eſſe immundus. Verumtamen ſi per aliquam

infirmitatem adhuc te delectat mundus, habitet in te qui mũdat, sicut in Apostolis habitauit, & eris mundus: si autem fueris mundus, non manebis in mundo, nec
Ioan.8. audies quod audierunt Iudæi, Moriemini in peccatis vestris. Idcirco his intellectis, placuit ad aliam sic dicendũ, quòd postquam Christus suo diuino eloquio mundauerat Apostolos ab omni incredulitatis fæce, aliud dixit, videlicet, Propterea odit vos mundus, qui Christum agnoscere non poterat, vt Ioannes attestatus fuit in exordio sui sermonis. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. LXXXVIII.

Ioan.8. *Vos de mundo hoc estis.*

Ioan.15. *Vos de mundo non estis.*

Si Apostoli de mundo non erant, quomodo de mũdo erant? Idcirco quanquam in præcedẽti satis fuerit dictum ad hoc propositum, nihilominus & illud superaddendum placuit, dicentes primum non de Apostolis, sed de Iudæis incredulis fuisse dictum, vt liquidò circun-
Esa.8. stans litera sonat. Profectò illi increduli & cæcutientes quibus lux matutina lucere nequibat, Christum hominem dũtaxat existimabant, non valentes diuinam naturam sub humanitate latentem comprehendere. Non enim de illo iudicabant, nisi quod oculis carneis cerne-
Ioan.10. bant. Idcirco illos increpans durè dicere poterat, Vos de mundo hoc estis, quasi dicat, ob hoc me solum hominẽ vos putatis, quia deorsum estis, quia terreni estis: ego verò de superius sum & non de hoc mundo: sed vos idcirco de hoc mundo estis, quia peccatores estis, quia iniqui
Mar.4. estis, quia infideles estis, quia terrena dũtaxat sapitis. Sed secundum de illis intelligendum est, quos à mundo selegerat & cœlestes effecerát, qui licet hunc mundum, tanquam viatores & hospites inhabitarent, conuersatione tamen, & vita cœlo viuebant duntaxat.

CONTRAPO. LXXXIX.

Mat.15. *Christus missus duntaxat ad oues Israël.*

Act.28 *Gentibus missum est hoc salutare.*

Si(veritate teste) Christus non fuit missus nisi ad oues illas Israëliticas, cur Lucas apostolicæ historiæ scriptor attestatus est quòd & gentibus pariter fuerit missum hoc salutare Dei? Et huic quanquam illam explanauerimus aliâs, nihilominus & illud nouimus superaddendum esse, dicentes quòd per accidens fuit vt Iudæis recusantibus salutem, transiret ad gentes hoc salutare. Diuina enim dispensatione id actum esse credimus vt illorum delicto salus ad gentes transmigraret, vt Lucas scripsit. Iudęis enim prius oportebat verbum Dei loqui, sed quia illud repulerant, idcirco offenderunt vt caderent. Hinc ostenditur quantam gratiam consecutæ sunt gentes, vt in populũ Dei transirent. Idcirco eas alloquẽs, Apostolus dixit: Gentes autem super misericordia honorate Deum: quod & longè antea per Prophetam in psalmis iam prænuntiatum fuerat, dum voce domini ait, Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Nam illi in quorum oculis natus & educatus fuit, non crediderunt nec audierunt, sed illi audierunt, in quorum auribus sola vox sonuit. Profectò ecclesiæ venturæ de gentibus typum gerebat mulier illa, quæ fluxum sanguinis patiebatur: tangebat enim, & non videbatur, nesciebatur & sanabatur. Idcirco & quasi ignorans ignorantem sanauit: dixerat enim. Quis me tetigit? vtique sic fecit & gentibus, quæ licet illum in carne non viderit, meruit tamen eius carnem manducare, ac eius corporis membrum fieri. Et sic patet quid fuerat ad præmissa dicendum.

Salus quo modo trãsiuit ad gẽtes.

Rom. 15.

Psal. 17.

Luc. 8.

1. Cor. 6.

CONTRAPO. XC.

OMne peccatum remittendum hominibus. *Mat. 12.*
Blasphemia in spiritum sanctum nunquam remittenda. *Luc. 12.*

Si(teste Christo) omne peccatum & blaspemia remittenda est hominibus, cur ab altero Euãgelista qui ab eodem vnico fonte hauserat, blasphemia in spiritum sanctum fuit exclusa, quam nunquam esse dimittendam peccanti iudicauit? Nunquid & ipsa sub illo signo vniuersali OMNIS, non contineri cernitur? Idcirco & huic

dicendum pariter nouimus, ſecundam non ſic eſſe accipiendam agnoſcentes ſicuti litera ſonat, ſic videlicet, vt blaſphemia omnimoda remiſsione careat: quia hoc in loco iſte terminus BLASPHEMIA indiffinitè accipitur, vt ſit ſenſus, quòd aliqua blaſphemia tantæ malignitatis eſſe reperitur, vt nunquam ſit remittenda, neque in hoc ſæculo, neque in futuro: nec dixit quòd nō poſsit remitti, ſed ait: Non remittetur, ob cauſam videlicet nolētis conuerti. Neque enim dixit Scriptura omnem blaſphemiam, ſed blaſphemiam quandam eſſe. Et ne mireris quia dicit quandam: quia ob hoc dominus noluit exprimere qualis eſſet blaſphemia, vt quærendo, pulſando,

Ioan. 15. petendo, ſi quid recti intellectus acceperimus non viliter habeamus. Pariter & de illa ſententia ſentiēdum iudicamus qua, dicitur: Si ego non veniſſem & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent, quaſi eſſet ſenſus, quòd nullum peccatum haberent, quinpotius quòd aliquod peccatum eſſet, quod non habuiſſent præfati, ſi ipſe non veniſſet. Inde tanquam erroneus condemnatur error quorundam inſipientium Talmudiſtarum, qui ſathanica illuſione decepti, aſſerunt in libro Arioth, fore licitum homini Deum aliquando blaſphemare, dummodo hoc non fiat per aſſumptionem ſui magni nominis tetragrammaton videlicet. Et ſic patet quid fuit dicendum ad præmiſſa.

CONTRAPO. XCI.

Pſal. 14. DAre ad vſuram in Pſal. prohibitum.

Mat. 25. *Dare ad vſuram conceſſum à Chriſto.*

Modus dandi ad vſuram duplex.

Non rectè conceditur, quod prius diuino oraculo fuit prohibitum, ſed ſi cauſam huius varietatis velimus ſcrutari, proculdubio videbimus duplicem eſſe modum dandi ad vſuram: alterum quippe honeſtum, licitum & meritorium: alterum verò econuerſo prohibitū & damnoſum ab omni lege: primo enim vtimur dum non ſolū

Mat. 19. noſtra, ſed & noſmetipſos, dum cogit neceſsitas, pro Dei amore proximis noſtris nos tribuimus & elargimur hilariter & hoc facimus intuitu illius qui huiuſmodi vſu-

Vſura licita.

rariis centum pro vno, necnon & vitam æternam pro tẽporali se liberaliter repromisit daturũ. Qui si sic vt consultum est non fecerimus, dãtes sic fructuose ad vsuram, de domo domini cum seruo nequam expellendi sumus, qui pecuniã domini sui occultans & fodiens in terra, nõ fuit in illa negociatus. Idcirco durè eum redarguẽs dixit illi dominus, Quare non dedisti pecuniam meam ad mẽsam, & ego veniẽs cum vsuris vtiq; exegissem illam? Altero verò modo omni lege prohibito fœnerantur homines, qui charitate vacui, pecuniam suam, seu obsequium, aut quid simile recipiũt vltra sortem ab accipiente mutuum, quod de directo militare videtur cõtra diuinũ decretũ, prohibens hunc modum dandi ad vsuram. Quem pariter lex canonica cum ciuili licitum non permittunt, cũ semper sit in detrimentum accipientis mutuum. Ob quod calũniandus est error pessimus quorundã garrientium Talmudistarũ falso asserentium in libro Mesicha, esse licitũ Iudæis omnem cõtractum vsurarium exercere in Christianos, licitúmq; esse inferre illis omne aliud dãnũ. Quod de directo militat contra illud, Ne fœneraueris fratri tuo. Nec obstat, vt falso referũt in excusationem sui erroris, ꝙ sumus extranei à cultu, quia mentiũtur, quia vnicum Deum colimus & veneramur, sicuti & illi, sed cũ vnitate essentię dicimus stare Trinitatẽ personarũ, quod illi minimè admittunt, cùm hoc non valeant capere. Et sic seruantur præmissa absque contradictione.

Luc. 19.

Dan. 25.

CONTRAPO. XCII.

Esa. 11.
Ioan. 4.

CHristus secundum auditum aurium nõ debebat iudicare. Christus alibi dixerat, Ego sicut audio, iudico.

Si prophetarum eximio teste, Christus non debebat iudicare secundum auditum aurium, cur cõtrarium de illo subiungitur in sequenti? Et huic quæ nullam penitus contradictionem videtur includere, dicendum placuit, quòd aliter accipitur auris in prima, & aliter accipitur in secunda, secundum quam iudicare se dixerat. Nam de corporali aure prima est intelligenda, secundum quam nullatenus iudicauit Christus, dum esset in

carne paſsibili. Idcirco ipſe dixerat, Ego non iudico quē-
Ioan. 8. quam: quæ ſententia ſic eſt intelligenda, Ego non iudico
ſecundum hanc aurem quam ſimilem vobis me videtis
habere: ſed de illa aure potiſsimùm eſt intelligenda alte-
Sap. 1. ra de qua dicitur, Auris zeli audit omnia: ſecundum quā
aurem audit quoſdam, vt eos à calamitatibus eruat, de
Pſal. 9. quorum numero ſunt viduę, orphani, & pupilli, qui aliū-
Pſal. 33. de non habent vnde releuentur. Audit pariter omnes iu-
ſtos incedentes in mandatis Dei, quorum precibus ſem-
per præſto eſt, iuxta illud pſal. Et aures eius in preces eo-
Quibus Deus aurem inclinat. rum, ſcientes quòd Deus tunc aurem ſuam ad nos incli-
nat, dum ceruicem nos non erigimus, ſi non extollimur,
ſi nō inflamur. Qui ſemper humiliato ſe appropinquat,
& à ſe extollente longè diſcedit. Ad humilem pariter in-
clinat aurem, qui propter nos humilis factus fuit, qui
exinaniuit ſemetipſum, vt nos de terrenis eleuaret ad
cœlum. Præſtat igitur aurem ad ſe confitentem, ad indi-
gentem, & non ad extollentem ſe, & ſuperbientem. Et
ſic patet quid fuerat dicendum.

CONTRAPO. XCIII.

Ioan. 3. *NOn enim miſit Deus filium ſuum.*
Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum, &c.*
Si tota lex euangelica teſtatur Deum miſiſſe filiū
ſuum in mundum, cur ipſe filius aliud ſenſit in primo?
Nónne ipſe prima veritas eſſe dicitur in abſtracto, à qua
cæteræ veritates (ſi quę ſint) deſcendunt tanquam à fon-
te? Vtique miſit & non miſit, apertam in litera contradi-
ctionem inferunt. Sed ſi piæ mentis oculo has ſenten-
tias ſcrutari placuerit, proculdubio non niſi cæcutienti-
bus cernentur contrariæ. Idcirco ad primam arbitra-
mur dicendum, illic non fuiſſe terminatam ſententiam,
ſed illi additum eſt, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur
mundus per ipſum. Ex quibus liquidò oſtenditur, præ-
notatam ſententiam ſenſum continere affirmatiuum
& non negatiuum, ac ſi diceremus, ob hoc Deus miſit fi-
lium ſuum in mundum, vt ſaluaretur mūdus per ipſum.
Quem etiam ſenſum videtur continere ſequens ſenten-

tia Pauli,cuius finis talis eſt, videlicet vt illos qui ſub lege erant redimeret. Nec aliter redimi poteramus(vti Leonis verbis vtar)niſi in noſtris fieret humilis, qui in ſuis permanebat omnipotẽs. Ab illo enim mittitur Dei verbum cuius eſt verbum, ab illo mittitur de quo natũ eſt.Mittit qui genuit,mittitur qui genitus eſt.Et tunc vnicuique mittitur,cùm à quoquam cognoſcitur & percipitur, quantum cognoſci & percipi poteſt pro captu proficientis in Deum. Sic ergo intellectis præmiſſis ab omni contradictione illæſæ ſeruantur. *Ioan.1.*

CONTRAPO. CXIIII.

Credens in Chriſtum non eſt moriturus in æternum.
Apoſtoli in illum credentes,& alij mortui ſunt. *Ioan.11.*

Si in Chriſtum credens moriturus non eſt in ęternum,cur hoc locũ non habuit in Apoſtolis, ac in cęteris credentibus quos defunctos eſſe legimus? Et huic, quæ nil in ſe contradictionis ſapit, placuit dicendũ primam intelligendam eſſe de morte gehennæ, quam paſſurus non eſt qui in Chriſto perfectè crediderit: hanc Ioannes mortem ſecundam appellauerat,vnicuique peccanti lehtaliter in pœnam inflictã à diuina iuſtitia,quæ nullum malum impunitum relinquit. Nec aliter illam euitare poſſumus,quàm per fidem vnigeniti filij Dei,ſecus autem de non credente,de quo dicitur, Qui nõ credit in me iam iudicatus eſt, ſupple ad perpetuos cruciatus ſuſtinendos. Proinde ſic mori timeat æternaliter, qui non Chriſti cruce & paſsione cenſetur: ſic mori timeat, qui ex hoc mundo migrans ad illam tranſiturus eſt:ſic mori timeat, cui ex mora longiore confertur, vt cruciatus eius & gemitus interim differatur, vt puniatur acerbius.Huic ergo primæ ſic expoſitæ non contradicit altera,quæ econuerſo de corporali morte eſt intelligenda, quam neceſſariò incurrimus ob lapſum primi hominis,ob ſtatutum iam poſitum & promulgatum ab initio ſæculi.Idcirco Apoſtolus dixerat,Statutum eſt hominibus ſemel mori. Hanc licet Apoſtoli & cæteri in Chriſtum credentes guſtauerint,non tamen illa ęternali

Ioan.16. *Apo.2.* *Hebr.9.*

fuerunt correpti, præuenti ab illo qui huiusmodi libera-
Ioan.8. tis ab ea morte dicebat in Euangelio, Si filius vos libera
uerit, verè liberi estis. Nam licet quis morte corripiatur
corporali, moritur tamen vt sic perpetuè viuat cũ Chri-
2.Tim.4. sto, coronandus ab illo illa corona iustitiæ, quam prępa-
Iaco.1. rauit Deus his qui diligunt illum, vt Apostolus Iacobus
attestatus est. Et sic patet quid fuerat dicendum.

CONTRAPO. CXV.

Ioan.11. *CRedens in me licet moriatur, viuit.*
Ibidem. *Qui credit in me non morietur in æternum.*

Si in Christũ credens non est moriturus in æternum, cur tanquam si moriturus esset, præmittitur quòd licet moriatur, viuit? Nam si fides taliter illum conseruat, vt in æternum non moriatur, quid est quòd mori illi permittitur vt rursum viuat? Et huic pariter nouimus respondendum, dicentes in huiusmodi nil contradictionis contineri. Profectò primam intelligendam sic arbitramur, quòd licet in Christũ credẽs, aliquando lethale crimen incurrat, quod mors prima dicitur, tamen conuersus ad Christum, qui vita nostra dicitur, rursus viuit spiritaliter, suscitatus ab illo, à quo & prima resurrectio in anima acquiritur: iuxta illud Ambrosij dicentis, Nam & prima resurrectio est peccatorum euasisse tenebras, luménque posidere iustitiæ. Sed qui vocem filij Dei non audierit transiens de hac peccati morte ad vitam, hic profectò de prima morte ad secundam æternalem omnino transibit. Quanquam Apostolum imitantes, ad primam possemus dicere, quòd de illa morte, & de illa vita intelligenda est litera, de qua & prænotatus Apostolus
Coloss.3. scribens ad Colossenses ait, Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: ostendens his
Vita quæ dicitur absc̃ödita in Christo. verbis non esse vitam nostram istam qua viuimus corporaliter, sed aliam longè nobiliorem, quæ, inquit, abscondita est cum Christo Deo. Et talis videtur esse potior sensus primæ. Viuit ergo sic credens in Christum, dum amplius terrena non quærit, sed fixus in supernis habitat. Sed multum interest vtrum quisque credat ip-

ſum eſſe Chriſtum,& vtrum credat in Chriſtum.Nam& primum credunt dæmones,qui tamen in Chriſtum non credunt.Sed ille veraciter credit in Chriſtum,qui & ſperat in Chriſtum & eum diligit.Vtique ſi fidem haberet ſine ſpe ac ſine dilectione Chriſtum eſſe crederet,non in Chriſtum crederet.Qui ergo perfectè in Chriſtum credit,credendo in Chriſtũ,veniet in eum Chriſtus,& quoquo modo vnitur in eum,& membrum corporis eius efficitur. Quod & fieri non poteſt niſi & ſpes accedat & charitas. De his enim virtutibus Theologicis Origenes locutus ait, Puto quòd prima ſalutis initia & ipſa fundamenta ſit fides, profectio verò & augmentum ædificij eſt ipſa ſpes,ſed perfectio & culmen totius ſpiritualis ædificij noſtri eſt charitas,quę nunquam excidere dicitur. Et ſic patet quid dicendum.

2.Cor.13.

Credere in Chriſtũ veraciter quid eſt.

CONTRAPO. XCVI.

NOn veni ſoluere legem ſed adimplere. *Mat.5.*

Chriſtus euacuauit legem mandatorum decretis. *Epheſ.2.*

Si Chriſtus atteſtatus eſt, ſe non veniſſe ſoluere legem,vnde econuerſo hauſit Apoſtolus,quòd Chriſtus euacuauerit decretis legem mandatorũ?Nam ſi euacuauit,quomodo illam adimpleuit? Idcirco & huic pariter arbitramur dicendum,primam de moralibus eſſe intelligendam,quæ in ſuo adhuc manent robore.Vtique decalogum permanſurum eſt in æternum. Quod idcirco à nobis neceſſariò obſeruandum eſt,non quia Moyſi, ſed quia legis æternæ,cuius noſtris mentibus inſcriptio Lex Naturæ vocari cõſueuerat. Venit ergo Chriſtus non vt legem ſolueret,ſed vt illam adimpleret ad plenũ,quæ litera ſic eſt intelligẽda, vt eius talis ſit ſenſus, Non veni, &c.vt legi videlicet adderentur quæ deerant, ſed vt fierent quæ in illa ſcripta erant:quod & ipſa eius verba teſtantur:non enim dixit iota vnum,aut vnum apex tranſibit à lege, donec addantur quæ deſunt: ſed ait, donec omnia fiant. Impletur ergo Lex, vel cùm fiunt quæ ibi præcepta ſunt, vel cùm exhibentur quæ ibi Prophetata ſunt. Sed de cęrimonialibus ſeu iudicialibus forſan

Pſal.118.

locutus fuit Apostolus in altera, quæ per gratiam superuenientem taliter euacuata cernuntur, vt ferè in totum, aut saltē in magnam partē fuerint abolita, seu in meliorem sortem deducta per Christū, qui finis legis dicitur. Ipse enim taliter nos absoluit ac liberauit ab huiusmodi nexibus, vt amplius non grauemur illis, sicuti illi patres priores sub lege degētes. Quanquam pariter & moralia ex ea parte qua cum cęrimonialibus & iudicialibus participant, aliqualiter mutata fuerint ac in suam vltimatam perfectionem deducta, vt aliâs non ad plenum dixisse recolimus. Sic ergo intellectis præmissis prima non contrariatur alteri.

CONTRAPO. XCVII.

Ioan.5. TEstimonium meum verum est.

Ibidem. *Testimonium meum non est verum.*

Quomodo non erit verum testimonium veritatis summæ? Nōne ipse est qui de se locutus, ait: Ego sum via, veritas & vita? cui ergo credendum erit si veritati non est credendum? Profectò non vult credere nisi falsitati qui non eligit credere veritati. Non enim in huiusmodi præmissis subterfugere possumus, quin in illis cōtrarietas inueniatur. Sed si piæ mentis oculo aciem nostri intellectus dirigere volumus, clara luce videbimus simul posse stare præmissa. Profectò ad illos incredulos Iudæos referēdum est illud quod dicitur, Testimonium meum non est verum. Nam cùm terreni & carnales essent, non iudicabant de Christo, nisi quod ipsi erant. Talis ergo videtur esse sensus istius, ac si diceret, Testimonium meum non est verum, id est, sicut vos putatis. Vtique fulgorem solis nō poterat ferre lippitudo eorū.
Ioan.10. Dum verò ex opposito infertur, Testimonium meum verum est, quis sit ipse & qualis existimari debeat, innuit. Vel dicamus, quòd tanquā bonus filius patri obediens alterum dixerat, tribuens omnem honorē & glo-
Mat.11. riam illi de quo in proposito locutus ait, Testimonium meum non est verum, supple, si illud à meipso perhibeo. Quia à me nihil habeo, sed omnia mihi tradita sunt à patre

patre meo,sed idcirco testimonium istud verum dicitur, quia à meipso non loquor,sed quæ à patre audio.

CONTRAPO. XCVIII.

Qui misit me semper mecum est. Ioan.8.
Vado ad eum qui me misit. Ioan.16.

Quò iturus erat ille qui semper & vbique cum patre est,etiam dum foret in mundo? Quò inquam,iturus erat ille qui totum implere dicitur sua præsentia? An forsan extra vniuersum ire cupierat? Idcirco & isti, cui nulla contradictio inest,dicendum placuit secundam ad assumptam pertinere naturam,qua ascensurus erat ad patrem,à quo & primùm descenderat in mundum veniẽs, vtique istius talis videtur esse sensus,ac si diceret. Vado ad eum,id est,in proximo prædicationis meæ expleto officio ascendo ad patrem. Vel dicemus secundum Bedam, Reuertor ascendendo ad eũ,qui me incarnari constituit, vos discipulos relicturus corporali præsentia. Vadit ergo Saluator ad patrem, vt cum illo in excelsis sedeat quem in terris positus semper secum habuit in operando. Vadit inquam,vt pro nobis oret ac interpellet ante patrem stans,vt peccantibus dimittatur. Vadit dico,vt spes nostra firma sit eundi ad illum,qui ad patrem cõuersus ait: Volo pater vt vbi ego sum,ibi sit & minister meus: qui nisi iuisset non misisset spiritum. Nam allocutus Apostolos ait, Si ego non abiero, paraclitus non veniet ad vos. Profectò si non ascendisset ad patrem, vana esset spes nostra ascendendi ad illum, vti Paulus docuit.

Mar.vlt. *1.Ioan.2.* *Ioan.17.* *Oportebat Christũ ire ad patrem.*

CONTRAPO. XCIX.

Christum semper exauditum à patre legimus: Ioan.11.
Deus meus ad te clamabo, nec exaudies. Psal.21.

Quomodo à patre semper fuerat exauditus, si clamans voce ꝓphetica in psal. dixerat: Clamabo nec exaudies? Idcirco & huic pariter respondendum nouimus, dicentes primum referendum esse ad credentes in se, pro quibus dum deprecaretur patrem, semper fuit exau-

D

ditus pro ſua reuerentia. Nam vti circunſtans litera liquidò oſtendit, rogans pro defuncto Lazaro exauditus fuit, ſuſcitãs illum à mortuis. Idcirco gratias illi referẽs, ait: Gratias tibi ago pater, quia ſemper me audis: nobis in documentum relinquens, vt ad patris præſidium recurramus ſemper, dũ ſe offert opportunitas, illíque gratiam referamus, dum quod rogabamus obtinemus. Ne veluti ingrati arguamur ab illo. Sed & alia ad ſeipſum eſt referenda, qui præuidens ſe non eſſe exaudiendum, dum pro ſe erat patrẽ precaturus dixit, Clamabo nec exaudies: Iam enim diffinito concilio ab æterno fuerat decretum, vt in aſſumpta humanitate crucem ſubiret mortíque ſuccumberet, ſicuti & Ioannes poſtmodũ denun-
Apo.5. tiauit in ſuis Reuelationibus, dum ait, Agnus qui occiſus eſt ab origine mundi. Quibus ſic intellectis alteri nõ contradicit prima, nec econuerſo primæ ſecunda.

CONTRAPO. C.

Ioan.5.
Mat.25. *QVi venit ad me non eiiciam foras.*
Virgines fatuæ eiectæ fuerunt.

Si (ſaluatore teſte) omne quod ad illum vadit nullatenus ab eo venit eiiciendum, cur repulſæ leguntur illę quinque virgines ad illũ euntes, vti Euangelica manifeſtat hiſtoria? Et huic pariter nouimus reſpondendũ, dicentes, quòd fortaſſe illæ quinquæ virgines fuerunt excluſæ, ne videlicet intrarent ſponſi cubiculum, quia pater non dederat illas filio. Nam ſic præmittitur primę ſententiæ, Omne quod dat mihi pater, ad me veniet: no-
Ioan.6. uerat enim Christus illas non eſſe de ſuis ouibus. Vel ſi placet dicamus, & non ab re, ꝙ idcirco præfatis virgini-
Mat.25. bus non fuit aperta ianua, quia oleum in vaſis ſuis non detulerant ſecum, vti circunſtans litera innuit. Ob quod & meritò ſtultæ virgines appellandæ venerant. Profectò per oleum hoc in loco (vti Auguſtini & Gregorij vtar verbis) nitor gloriæ deſignandus eſt. Hunc quippe nitorem, quia in conſcientia non poſuerant, ſed aliunde ab ore proximorum illum quærere procurarunt, dicẽtes ſapiẽtibus: Date nobis de oleo veſtro, idcirco earum lam-

pades fuerunt extinctæ. Vtique qui ad alienum testimonium ambulare nititur, oleum secum ferre non dicitur. Prudentes verò, quia præter id quòd lampades suas munierant, oleum pariter secum deferre procurarunt in vasis suis, idcirco & illis non modo ianua patens fuit, sed pariter in cubiculum sponsi introductę suauibus amplexibus fruebantur. Et sic patet quid dicendum. *Cant. 2.*

CONTRAPO. CI.

PAtrem petere in filij nomine Christus docuit in Euang. *Ioan. 14.*
Filium petere in proprio nomine, edocemur alibi. *Ibidem.*

Si patrem petere iubemur in filij nomine, cur vt filium petamus in proprio nomine alibi edocemur? Quibus sic respondere nitimur, agnoscentes nullam in huiusmodi contradictionem esse. Profectò patrem petere & filium petere ad eandem pertinent petitionem, dummodo illud quod petitur ad salutẽ pertineat: Nã quicquid petitur à Deo, non voluntati, sed saluti tribuit. Idcirco dedignari non debemus, dum quod petimus non obtinemus aliquando, quia fortasse non erat saluti conueniens. Ipse enim solus Saluator est, non solùm quando facit quod petimus, verumetiam quando non facit: quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo potius se exhibet Saluatorẽ. Nouit enim medicus quid pro sua & quid contra suam salutem, poscat ægrotus: & ideo contraria poscentis non facit voluntatem, vt faciat sanitatem. Nec in filij nomine quispiam petere dicitur, qui patrem ignorat, à quo omnia sunt tradita filio: qui sic nos hortatur, vt in suo nomine quicquid petim⁹, petamus: cùm non sit aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos saluos fieri oporteat, nisi istud, vti Petri verbis vtar: in quo omnia diuina nomina priscis patribus reuelata, tanquam in excellentiori ac omni alio maximo recapitulantur. Quoquo verò modo ipse filius nobis præstat, quod petimus in eius nomine, pater in illo agnoscitur glorificatus, vti in prænotato loco additum nouimus. Et sic patet quid fuerat dicẽdum. *Mat. 11.* *Act. 4.* *Nomina sacra in Iesu nomine continentur.*

CONTRAPO. CII.

Mat. 5. NOlite resistere malo.
Resistite diabolo.
Si Christi Apostolus docuerat vt resistamus diabolo, cur ex aduerso pręceptor veritatis mandauit ne resistamus malo? Idcirco & huic, quæ nullam in se contradictionē continere cernitur, dicendum placuit, contemplantes præmissas non æquanimiter fore intelligendas. Profectò prima nō de diabolo antiquo hoste, sed de aduersario & contendente homine intelligenda est, cui pacis magister non permittit irasci, quinpotius vt paciscamur cum illo ante solis occasum præcipit, rogantes pro illo vt dimittatur noxa, exemplo illius qui dum pateretur iniustè, non comminabatur, sed sponte se percutienti maxillam præbuit, vti in Trenis de illo vaticinatū fuerat. Paulus pariter suum imitatus magistrum, scribens Corinthiis ait, Colaphis cędimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus. Causa verò cur huiusmodi aduersario non debemus resistere, talis forsan videtur esse: quia dum verbis seu factis percusserit nos, si illi non resistimus, pudore & rubore plerunque confusus, nec iam ictum infert secundū, etiam si omni prorsus fera existat immanior, imò & de priore culpabit se: nihil enim (vt Chrysostomi vtar verbis) lædentes coercet, ita vt patientia modestiáque læsorum. Sicuti ecōtrariò vltionis exactio iram ad maius incendium inflammat. Sed ad alteram plerumque nos dixisse meminimus, quòd videlicet armis fidei, vt Petrus docuit, resistendum est diabolo: qui huiusmodi percussus iaculis à nobis fugiet, qui nec vincere potest, nisi volentem, vti Hieronymus fuit attestatus.

Tren. 3.
1. Cor. 4.
1. Pet. 5.

CONTRAPO. CIII.

Ioan. 6. PAnem Christi manducans in æternum non morietur.
Heb. 9. Statutum est hominibus semel mori, dicitur alibi.
Si hunc panem manducans victurus est in æternū quomodo verum est, quod ex aduerso de quolibet homine dicitur? nempe qui victurus est in æternum, non est aliquando moriturus? Et hanc pariter meminimus aliàs

exposuisse ad plenum, dicētes sententiam Pauli de corporali morte intelligendam esse, qua mori necesse est & hanc deponere sarcinam, si illam immortalem atque incorruptibilem indui desideramus. Quod & in mysterio tetigerat isdem Paulus, dum Corinthios alloquens, ait: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem: quo accepto vestimento, non amplius morituri sumus, nutriti illo supercœlesti pane, quo sancti spiritus pascuntur in patria, in æternum victuri sumus. Quanquam qui hunc panem in vita mãducauerit indignè, hanc æternam vitam adepturus non sit, cui econuerso mors æterna pro mercede debetur, vti in pręnotato loco adiecit Apostolus. Sic ergo intellectis præmissis in nullo contrariantur, cùm mori in illis accipiatur æquiuocé.

Mori corporaliter necessariū est.

1. Cor. 15.

1. Cor. 11.

CONTRA P.O. C I I I I.

Qui credit in me in iudicium non venit. Ioan. 5.
Oportet nos exhiberi ante tribunal Christi. 2. Cor. 5.

Si decretum iam promulgatum nouimus, vt ante tribunal Christi omnes exhibeantur, vt illic vnusquisque iudicetur ab illo, & recipiat prout in suo corpore se gesserit, quid est quòd veritatis præceptor præmiserit aliud de in se credēte? Nónne quod discipulus promulgauerat, à magistro receperat? Et huic sic nouimus respõdendum dicentes, aliud esse iudicium discretionis, aliud damnationis. Vtique secundum primum, oportet nos exhiberi ante prænotatum tribunal, ipsa enim discriminatio, bona bonis, mala malis distribuet, sed secundum aliud iudicium credens veraciter in Christum & bene operans iudicandus non est, sed faciet fœlicem transitum de morte ad vitam. Transiet quidem mente, sed permanebit corpore, quasi de regione infidelitatis ad regionem fidei, motu cordis sed non corporis. Et ne putaret quispiam se non esse moriturum credendo, accipiens carnaliter dictum Christi, noscat se moriturum fore omnino secundum carnem, supplicio Adam: Accepit enim ille in quo omnes eramus, Morte morieris. Nec

Iudicium duplex.

Genes. 2.

potes euadere diuinam sentẽtiam, sed gaude, quia cùm persolueris mortem veteris hominis, suscipies vitam æternam noui hominis. Modò interim fac transitum vitæ: Quæ enim est vita tua nisi fides? Scriptum est enim,

Hebr. 10 Iustus ex fide viuit. Hi verò qui non credũt, infideles di-

Mat. 8. cuntur & mortui: de quibus dixerat Dominus. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Et sic patet quid dic.

CONTRAPO. CV.

Ioan. 7. *Spiritus sanctus nondum datus erat credentibus.*

Luc. 2. *Spiritusancto repleta fuit Elizabeth, alibi dicitur.*

Quomodo repleri potuerat Spiritusancto mater prçcursoris, si nondũ suo tẽpore datus fuerat Spiritussanctus credẽtibus, vti Ioannes dicit in primo? Pariter & Simeon, dum in suis vlnis accepit puerũ IESVM? Et huic, quanquam aliâs illam exposuerimus, nihilominus & illud addendum placuit, dicentes ad primam, quòd licet Spiritussanctus ante glorificationem Christi palam non fuerit datus & manifestè, fuit tamen pluries latenter datus, vt patet in prænotatis & aliis quàm pluribus. Sit ergo istius primæ sensus, Spiritussanctus nondum erat datus, id est, nondum sic apparuerat, vt omnes eum sic datum faterentur. Nam sicuti Domini aduentus intelligitur demonstratio corporalis, tamen ante hanc demonstrationem ipse in omnibus Prophetis & sanctis suis tãquam Dei verbũ, & Dei sapientia locutus est, sic & aduẽtus Spiritussancti, demonstratio spiritussancti est, ipsis etiam oculis carneis, quando visus est ignis super Apostolos diuisus, & quando cœperunt loqui variis linguis. Ita enim disposuerat Dominus Iesus Christus, non illis

Act. 2. dare Spiritumsanctũ manifestè, nisi post suã resurrectio-

Spiritus sanctus manifestè datus primus temporibus.

nem. Et hoc nõ sine causa. Et fortè si quæramus annuet, vt inueniamus, & si pulsemus aperiet, vt intremus. Pietas pulset non manus, quanquam pulset & manus, si ab operibus misericordiæ non cesset manus. Idcirco concludentes dicamus, quòd licet non alium Spiritumsanctum receperint Prophetæ quàm istum, hunc tamen non receperunt sicuti Apostoli & cæteri fideles, quia

(vt præmisimus) illi latenter, isti manifestè & abundantius acceperunt. Minimus enim Apostolorũ Christi domini, postquam Spiritus paracletus effulserit, clariori intelligentia diuina penetrauit oracula, quàm ipsi vaticinij authores prophetæ, & qui à primordio fuerunt sancti: Ante enim Christi & Sancti spiritus præsentiam (vt Esaias loquitur) visio erat sicut verba libri signati, quia clausi, inquit Daniel, signatíque sunt sermones vsque ad præfinitum tempus, iuxta illud Ioannis, Nondum enim sciebant Scripturas. Idcirco alius dicit, Tũc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

Esa. 29. *Dan. 12.* *Ioan. 20.* *Luc. 24.*

CONTRAPO. CVI.

Simon beatus dictus fuit à Domino. *Mat. 16.*
Simon sathanas ibidem dictus. *Ibidem.*

Si beatus, quomodo sathanas eodem momento temporis vna eadémque voce, & laudatur à Domino & cõpescitur? vna enim vox quasi eodẽ instãti temporis prolata diuersa ostensa fuit. sed si piæ mentis oculo hęc cõtemplari velimus, clara luce videbimus, vnde separentur istæ duæ confessiones. Laudatur enim in vna amor, sed in altera timor damnatur. Nam quod petrus de se dicebat, sathanas dictus fuit, quod autem de Deo, beatus. Vnde enim beatus? quia pater reuelauit tibi non caro & sanguis. Vnde Sathanas? quia non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum: ibi enim Petrus de suo expauit & horruit mortem Christi. Expauit æger medelã suam. Absit à te Domine inquit, propitius tibi esto ne fiat hoc. Oblitus es Petre, oblitus es? Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam quis ponat pro amicis suis: obliuio illa, trepidatio, honor & timor de ipsius morte fuit, totum hoc de Petri, imò de Simonis, & non de Petri, sed econuerso de Dei, Beatus es Simon Bar Iona. Dum enim quæ Dei sunt sapis, meritò beatus diceris: dum verò quæ solius hominis, Vade retrò sathana. Nam primam fides audire meruit, sed timor & horror mortis sathanam audire meruit. Audierat enim à Domino quæ audiri decuerat. Et sic patet quid dicendum. *Ioan. 15.*

CONTRAPO. CVII.

Mat.28 *CHristus promisit se semper cum Ecclesia esse.*
Ioan.12. *Christo alibi dixit, Me non habebitis semper.*

Si cum suis fidelibus spoponderat se mãsurum vsque ad consummationem sæculi, cur aliud dixerat infrà de seipso loquẽs? Nónne de illo nouimus scriptum, Ego sum Deus & non mutor? Vnde ergo hęc mutatio? Ideo & huic dicendum placuit, quòd de sacramentali eius præsentia prima est intelligẽda, qua semper suæ Ecclesię adest, & potissimũ Eucharistiæ sacramento, vbi totus est Christus, inuisibili tamen, sed bene credibili modo. Vtique si bonus es, si ad corpus eius pertines, semper habes caput tecum, hic per fidem in præsenti, & in futuro in specie, in præsenti per altaris cibum & potũ, sed postmodum illum semper habebis, cùm illi in regno fueris commensalis. Quia cùm hinc exieris ad illum venies, qui dixit latroni, Hodie mecum eris in paradiso. Sed si malè vixeris, non illum semper habebis nisi iudicem & vindicem. Bene ergo viue, vt illum semper tecum habeas secundum prouidentiam, secũdum ineffabilem & inuisibilem gratiam, vt tecum semper sit, & tecum semper
Ioan.1. laboret. Nam dum bene agimus semper nobis proximus est, cùm sine illo nihil boni operari possimus. Quáquam & de maiestatis eius præsentia pariter possit prima intelligi, qua & orbem terrarum implere dicitur, vt
Esa.6. Vates nouerat. Sed de corporali eius præsentia venit altera intelligenda. Nam secundum carnem quam in tempore de virgine assumpserat, secundum id quod à Iudæis comprehensus est, quod ligno confixus, quod ligno depositus, quod linteis inuolutus, quod in sepul-
Mat.16. chro positus, non semper nobiscum habemus: quia expletis quadraginta diebus post suam resurrectionem, ad cœlos gloriosus ascendit, & sedet à dextris Dei. Et sic patet quid fuerat dicendum.

CONTRAPO. CVIII.

Ioan.13. *MAndatum nouum do vobis.*
1.Ioan.2. *Mandatum non nouum scribo vobis.*

Si mandatum de dilectione Christus dixerat esse nouum, dum esset in vltima cœna, quid est quòd dilectus discipulus qui illic aderat dum illa verba Christus dixerat hoc mandatum non nouum, sed vetus fuisse scripserat in sua Epistola? Hæc enim (vt cernimus) simul stare nequeunt, nouum videlicet & vetus. An idcirco nouum mandatum dicitur, quia exuto vetere nouum induit hominem? innouat quippe audientem, vel potius dicas obedientem. Nam ista Christi dilectio ita nos innouat, vt simus homines noui ac hæredes regni æterni. Facit & colligit populum nouum ista dilectio. Mandatum ergo nouum dicitur vt diligamus inuicem. Non sicut homines se diligunt, quoniam homines sunt, sed sicut se diligunt, quia dij sunt & altissimi filij, vt sint filij eius, & vnici fratres, ea dilectione inuicem diligentes qua ipse nos dilexit. Nec putemus in hoc quod dixit Dominus, Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem, illud maius esse prætermissum mandatum, quo præcipitur vt diligamus Dominum Deum nostrum ex tota anima, ex tota mente nostra, &c. tanquan in hoc præmisso videtur dictum vt diligamus inuicem, velut hoc ad illud alterum non pertineat quo dictum est, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Sed bene intelligentibus vtrunque inuenitur in singulis. Huius itaque repetitio, mandati commendatio est, nisi quod alibi dixit, Hoc est mandatum meum, hoc autem mandatum nouum do vobis: sed hîc dictum est nouum, ne in vetustate nostra perseueremus: ibi dictum est meum, ne contemnendum putemus: non enim semper dicitur nouum quid ex nouitate rei substantiæ quæ nunc sit, cùm paulo ante non fuerit, vt nouæ fruges, nouáque domus, sed multoties ex nouo quodam substantiæ aduentitio nouum appellari legimus, iuxta illud prophetæ, Dabo vobis cor nouum. Idcirco & sententiam Ioannis aliter exponentes possemus ad illam dicere, ideo non nouum sed vetus, quia iam illud audistis non alterum, sed idem illud quod dixi vetus, idem est nouum. Ecce vnde nouum, quia tenebræ iam transierunt pertinentes ad veterem hominem, lux verò ad nouum hominem. Sit ergo istius sensus, mã-

Rom. 8.

Exod. 20

datum idcirco vetus, quia iam illud noueratis, sed ideo nouum, quia nouiter repetitum & à Christo traditum,
Exod.20 & additum, Sicut dilexi vos, quod minimè continebatur in decalogo. Et taliter vos dilexi, vt non solùm ad imaginem meam creauerim, sed etiam meipsum morti
Ephe.5. exposuerim pro vobis. Quod minimè mandat lex Mosi. Vel dicamus si placet, quòd idcirco Ioannes istud mãdatum appellauerat vetus, quia iam ab initio suæ cõuersionis illud à Christo audierat. Et sic patet quid dicendũ fuerat ad præmissa.

CONTRAPO. CIX.

Mat.6. *Nolite cogitare quid manducetis.*
Ioan.13. *Christus habebat Iudam, qui loculos tenebat.*

Si tali mãdato Christus constrinxerat Euãgelicos, vt nullatenus permitteret cogitare de crastino, cur ipse qui in exemplar & formam se prębuerat imitandum, patiebatur Iudam, qui (vt fertur) loculos habebat, vt ea quę à deuotis mittebãtur, seruari possent ad necessarios vsus pro tempore? Et ipsos Apostolos legimus multa procurasse fratrum indigentiæ, non solùm in crastinum, sed etiam in prolixius tempus impendentis famis, vt in Actibus Lucas refert. Et huic, præter alia quæ nos dixisse recolimus, & illud ad primam superaddendum iudicauimus dicentes, satis elucere illa præcepta sic intelligenda esse, vt nihil operis nostri temporalium adipiscendorum amore, vel timore egestatis, tãquam ex necessitate faciamus. Idcirco & Apostolis mandauerat, vt nihil ferrent in via, sed viuerent ex Euangelio. Quod & alibi clarius
Mat.10. designauerat, dum ait: Dignus est operarius cibo suo, vbi satis ostendit hoc esse permissum, nõ iussum: ne fortè qui hoc facerent, arbitrarentur se aliquid accipere illicitum ab his quibus prædicarent. Idcirco potestatem dedit cùm ista diceret, & non imperio constrinxit: ita pleraque in verbis intelligere non valentes, in factis sanctorum colligimus, quemadmodum oporteat accipi, quòd facilè in aliam partem duceretur nisi exemplo reuocarent. Et sic patet quid dicendum fuerat ad pręmissa.

CONTRAPO. CX.

Magistrum se vocari Christus renuit. Mat. 19.
Magistrum & dominum se esse, alibi dicit. Mat. 25.

Si magistrũ se vocari renuerat, cur in cœna se magistrum esse ostendit? Dixit enim, Sum etenim. Et huic pariter, quæ nil contradictionis in se videtur includere, placuit dicẽdum, quòd vtrunque loco & tempore fieri permisit. Nec magistrum illius se esse dixerat, qui eum tentans non credebat de illo, nisi quod foris cernebat corporeum & carnale. Quanquam possemus dicere, ꝙ ex eius responsione non elicitur, ꝙ negauerit se esse magistrum, sed tenuem fidẽ arguit interrogantis se, dicens: Cur me bonũ dicis? Nemo bonus, nisi solus Deus, quasi dicat, cur naturæ assumptæ tribuis, quod deitati tribuere debueras? Quia ergo præfatus causam istius optimi magistratus non agnoscebat in Christo, idcirco ab illo non curauerat se appellari magistrum. Sed econuerso magistrum se esse dixerat & dominum his, quos iam suæ diuinitatis participes effecerat, vt sic ab illis agnitus, tanquam verus Deus ac omnium magister & dominus haberetur. Nihil enim prorsus per hominem discitur: cæteri enim tantùm commemorando foris plantant & rigant: sed Christus in anima habitans intus docendo incrementa dat. Ipsi enim verborum tantùm sonos proferunt, sed Christus per verba signata veritate intus erudit & examinat. Et sic patet quid dicendum.

Mat. 23.

Christus solus docet animã intus.

CONTRAPO. CXI.

Apostolos non credidisse in Christum legimus. Ioan. 7.
Vos me amastis & credidistis, ait alibi. Ioan. 16.

Si Christus Apostolorum præceptor attestatus est illos in se credidisse ac amasse veraciter, quid est quod Euangelista econuerso præmiserat aliud? Et huic, quę nihil sapit controuersiæ dicendum placuit, ꝙ dũ Euangelista primum dixerat, forsan non adhuc perfectè in illum crediderant: non enim adhuc roborati ac firmati fuerant in fide, nec valebãt capere sacramenta cœlestia. Idcirco pluries illos alloquens, aiebat: Adhuc sine intel-

Mar. vl.

lectu estis. Sed postquam ad plenum eos purgauerat omni infidelitatis erugine, verbo suo attestatus est illos in se perfectè credidisse. Quanquam perfectius hoc munus illos consecutos fuisse agnoscamus post eius personalem absentiam. Tunc enim induti virtute ex alto, & crediderunt in illum perfectè, & amauerunt. Et taliter, vt se paratos redderent mortem pati pro eius nomine. Nec obstat, quòd dum esset cum illis, mundauerit illos ab omni peccatorum fæce. Restabat tamen adhuc (vt ita dicam) quædam infidelitatis portio, quam ab illorum cordibus non expiari decreuerat, quousque spiritus veritatis in illis descenderet: quo dono recepto, minas impiorum hominum amplius non timerent. Idcirco permanentes intrepidi dicebant, respondentes magistratibus: Oportet obedire magis Deo quàm hominibus, & sic cædes infidelium tyrannorum pro nihilo ducentes, gaudentes redibant à conspectu concilij. Et sic patet quid dicendum.

Apostoli quãdo ad plenũ expiati fuerunt a sordibus.
Ioan. 16.
Act. 5.

CONTRAPO. CXII.

Mar. 6.
Luc. 9.

Virgam deferre in via concessum Apostolis.
Virgam deferre præfatis prohibitum, alibi.

Mirum quippe videtur, vt virgam ferre concesserit aliquando, & quòd postmodum prohibuerit. Vtiq; Marcus dicit. Et præcepit illis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm, sed Matthæus & Lucas pariter dicentes oppositum, asserunt dominum illis etiam prohibuisse virgam. Quod & ita soluitur, vt intelligamus sub alia significatione dictam virgam quæ secundum Marcum ferenda est, & sub alia, quæ secundum Lucam ferenda non est. Vtique per virgam Marci, vt potestate vtendi ecclesiastica intelligenda venit, cùm illos iam constituisset principes super totum corpus mysticum, quod est Ecclesia, tribuens illis omnimodam potestatem vt funditus eradicarent ac extirparent errores infidelium hominum, designatos per langores. Sed per virgam non ferendam signatur subsidium rei temporalis, quod nullatenus deferre permittit euãgelizantibus Dei verbum,

Virga in Euangelio quid significet.
Psal. 44.
Mar. vl.

cùm illud à fidelibus debeatur pro mercede laboris, dicens, Dignus est operarius cibo suo. Quem & veritatis præco imitatus scribens Corinthiis ait, Si vobis spiritualia seminauimus, magnum est si carnalia vestra metamus. Et alibi ait, Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? Vtrunque ergo Dominus dixit, sed quia nō vtrunque vnus Euāgelista commemorauit, putatur ille qui virgā sub alia significatione positam tollendam dixit, ei qui virgam rursus aliud significantem non tollendam dixit, esse contrarius, sed iam ratione ad plenum reddita non putetur. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

Lucæ 10.
2. Cor. 9.

CONTRAPO. CXIII.

IN viam gentium ne abieritis. *Mat. 10.*
Prædicate Euangelium omni creaturæ. *Mar. 16.*

Si ne in viā gentiū irent, interdixerat illis, cur econuerso vt omni creaturæ prædicent, imperat? vnde hæc mutatio ortum habuit? Idcirco & huic pariter nouimus dicendum, quòd prius à Iudæa repellenda venerat prædicatio, vt demum in gentium populos transmigrarent Apostoli. Sic enim forsan signatum fuerat in thesauris diuinis, quod ex facti fine clara luce cognoscimus. Profectò regioni Iudææ, tanquam plus dilectæ, prius prædicari debuerat Euangelium, demum cunctis gentibus, vt sic illis verbum respuentibus, salus transiret ad gentes, quæ in Dei populum ditandæ erant, vt & sic quod fiebat Iudæis in testimonium, gentibus foret incremētū gratiæ, quod & prius prænuntiauerat ille, qui præfatos alloquens ait: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur gēti facienti fructus eius. Nam & Iudæi tanquam domus *Mat. 21.* domestici ad nuptias filij Dei fuerant inuitati. Sed venire illis recusantibus, gētes loco illorum introductæ fuerunt, quæ prius per idolorū culturam, Deo ignoto, erant vagantes, vt & sic illud vaticinium locum haberet, quo dicitur, voce diuina, Vocabo non plebē meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam. Et erit in loco vbi dictum est, Non plebs mea vos, vbi vocabuntur filij Dei. *Oseæ 2.*

Psal.17. Quod & alter pariter in psal.cecinerat ore Dei,dicens: Populus quem non cognoui seruiuit mihi,in auditu auris obaudiuit mihi. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CXIIII.

Luca 10.
Philip.4. *NEminem per viam salutaueritis.*
Salutate omnem sanctum,alibi.

Si neminem per viã salutare debemus,cur Paulus præco fidelis præceperat omnem sanctum salutari,in quo & euntes per viam pariter cõprehenduntur? Et huic sic arbitramur respondendum,dicentes quòd per primã ostenditur quanta promptitudine quantáue solicitudine Euangelicus prædicator iter suum peragere debeat,vt etiam itineris salutatio ei interdicatur. Nam qui in via salutat quempiam,ex occasione duntaxat salutat,& nõ ob studium optandæ salutis. De quorum numero sunt omnes illi qui non amore æternæ patriæ, sed præmiorum ambitu salutem prædicant audientibus. Vel forsan dicamus,quòd illa verba sic exponenda sunt,vt sit sensus,Neminem per viam salutaueritis, hoc est neminem per viã saluum dixeritis. Nam dum quis viator est totque mundi calamitatibus subiectus,ac tot inimicorũ insidiis impugnatus,saluũ dicere nequaquã possumus: ignoramus enim quid ei accidere potest, an in certamine fuerit victor,an debellatus. Nec illa Pauli sententia contradicit primæ, dum salutandos præcipit omnes sanctos degentes in domo. Quia & tales salutandi sunt si domũ (prout decet) bene rexerint ac disposuerint in Domino. Et sic soluuntur præmissa absque vlla contradictione.

2.Tim.2.
Philip.4.

CONTRAPO. CXV.

Ioan.8.
Mat.27. *QVi me misit non reliquit me solum.*
Deus Deus meus,quare me dereliquisti?

Si Christus Iudęos increpans,dixerat se semper cum patre esse, quem semper in operando habebat comitem,cur positus in agonia ac conquestus de sua derelictione,conuersus ad patrem ait: Deus Deus meus,&c.

Et huic, præter id quod aliâs nos dixiſſe recolimus, & illud ſuperaddendum placuit, dicẽtes & contemplantes vocem ſecundæ ſententiæ, vocem fuiſſe ſuorum membrorum. Nam vox capitis noſtri vox noſtra eſt: in illo enim erãt omnes fideles, dum ait: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Pariter dum ait, Deus Deus meus quare, &c. Vel dicamus ad hanc primam, quòd licet ab inſtanti ſuæ benedictæ conceptionis nunquam extiterit ſine patre, qui & in illo ſemper operabatur, & ſine quo nihil facere poterat, vt ipſemet filius alibi atteſtatus eſt dicẽs, Ego non poſſum facere quidquam à me ipſo, tamen ſuperueniente ſuæ paſsionis hora, taliter in nuda carne ſe derelictum conſpexerat, vt conqueſta humanitas diceret conuerſa ad Deum, Cur me dereliquiſti? quam, niſi ſic tribunali iuſtitiæ fuiſſet derelicta, minimè paſſa fuiſſet: quæ ſi non paſſa, ſalus non aduenisſet nobis, quæ ex ſanguinis ſui effuſione prouenire debuerat, ſine quo remiſſio nullatenus fieri poteſt, vt Paulus nouerat. Et ſic patet quid dicendum.

Ioan. 14. *Ioan. 5.* *Remiſsio non eſt ſine effuſione ſanguinis.* *Hebr. 9.*

CONTRA. PO. CXVI.

Regnum cœlorum volentis ingredi dicitur eſſe. *Mat. 19.*
Regnum cœlorum ingredi non volentis eſt, alibi. *Rom. 9.*

Si regnum cœlorum illud volentis ingredi eſſe dicitur, cur gentium doctor ſenſit oppoſitũ, dicens in altero, Non eſſe volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei? Idcirco ad hæc arbitramur dicendum eſſe, quòd licet regnum iſtud ſic volentis eſſe dicatur, vt nolenti homini minimè conferatur, iuxta illud Auguſtini dicentis: Nemo ſaluatur inuitus, tamen quia huiuſmodi regnum non ex meritis, ſed ex Dei munere homini laborãti cõfertur, idcirco & Dei miſerẽtis dicitur, vt non glorietur omnis caro in conſpectu Domini, qui ſic ex lege decreuit, vt hos quos ſaluat, ex mera miſericordia ſua ſaluare cernat. Licet & his quos ſaluat bonũ operari præcipiat, cùm ipſe decreuerit regnum conferre, bonum duntaxat operari volenti, in valentibus operari inquã. Et talis videtur eſſe ſenſus primæ, dum ait, Si vis ad vitam ingredi

Regnum Dei nõ ex meritis cõfertur. *1. Cor. 1.* *Mat. 10.*

ſerua mandata.Nam licet Deus qui omnium bonorum largitor dicitur,poſſet omnes beatos facere abſque vllo labore,tamen non facit, ſed vult vt laboribus & vigiliis inſudemus,vt ſic conferat regnum nobis paratum ab origine mundi.Idcirco vocans ad ſe laborantes & ſudantes ſub onere dicit in Euangelio. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis,&c.Stat ergo vt volentis ſit regnum, & quòd voluntas per ſe ſola ſit inſufficiēs illud acquirere.Aliâs cùm hoc ſit omni homini congenitum, illud regnum ingrederentur neceſſariò omnes,cùm omnes homines velint perpetuè ſe beatos eſſe, vt aiunt. Et ſic patet quid fuerat dicendum.

Theol.

CONTRAPO. CXVII.

Mat.10. *Lucæ 6.*

CAuendum ab hominibus Chriſtus nos monuit.
Inimicos non cauendos,ſed diligendos præcipit alibi.

A quibus enim hominibus Chriſtus cauere mādat,ſi etiam inimicos iubet diligere in altera? Nā quod diligendum præcipitur,nullatenus cauendum eſt,ſed nō vt ſonat litera eſt intelligenda:eſt tamen ſenſus, quo illam intelligere debeamus. Cauere enim (vti Grammatici ſentiunt) dum cum ablatiuo conſtruitur mediante præpoſitione,pro abſtinere,ſeu pro fugere ponitur, vt, Caue ab errore,id eſt abſtine ab errore, ſeu fuge errorē. Quo ſtante, arbitramur dicendum ad primam, quòd non ex ea parte cauendi veniunt homines,qua proximos noſtros illos eſſe cernimus,quinpotius ex hac parte ſunt diligendi, cùm omnibus æquanimiter ſit charitas impartienda, vti filij ſimus illius patris, qui ſine vlla diſcretione ſexus aut gradus, bona ſua omnibus impartitur.Licet ex aduerſo cauendi ſint homines dum illos in via Dei aduerſarios patimur, vti Gregorij edocemur verbis.Et talis videtur eſſe ſenſus primæ propter id quod ſequitur.Addit Dominus cauſam,cur videlicet cauēdi ſint mali homines,dicens Apoſtolis,Tradent enim vos in conciliis,& in ſynagogis ſuis flagellabūt vos, &c. Nam quos ſuperius lupos rapaces vocauerat, hîc homines vocari placuit:lupos propter voracitatem, homines

Mat.5. *Mat.10.* *Mat.7.*

propter

propter infirmitatem. Sic ergo intellectis præmissis, in nullo prorsus contrariantur.

CONTRAPO. CXVIII.

CHristus attestatus est neminem Apostolorum se perdidisse. Iudas sibi in Apostolum datus suspendio periit. Ioan. 17. Ibidem.

Si Christus conuersus ad patrem attestatus est se neminem Apostolorum perdidisse, quos pater illi dederat, cur contrarium subiungitur de Iuda, qui laqueo se suspendit? Et huic pariter nouimus respondendum, dicentes primæ harum fuisse subnexum, nisi filium perditionis. Quanquam possemus dicere, quòd nec Iudam perdiderit Christus, quem ad Apostolatũ elegerat vt saluus fieret non minus quàm Petrum & Andream, sed ipse infœlix tantæ suæ dignitatis oblitus propria malitia malus effectus est, cadénsque in desperationem suspendio periit. Sed diceret quispiam, Cur Christus qui omnia nouerat sciebátque illum laqueo periturum, elegerit eum in Apostolatum? Quibus dicendum placuit, quòd ideo voluit illũ habere in discipulũ, vt gradu illo bene vteretur implendo dispensationẽ suæ passionis: & vt Ecclesia Iudæ exemplo sustinere edoceretur inimicos homines. Quẽ rursus Christus in gratiã suscepisset si dolens & lachrymans de reatu, se ad medicũ cõuertisset, sicuti Petro fecerat lachrymanti post negationem, quem sic tristantem conspiciens sanauit à vulnere: sed Iudas non curans sanari, suspendio interiit. Nam quantum in medico fuerat, vtrunque sanare decreuerat, sed alter obicem posuit, idcirco periit. Et sic patet quid dicendum fuerat.

Iudas cur electus ad Apostolatum.

Mat. 26. Iudas cur non mundatus à peccato.

CONTRAPO. CXIX.

IVdas tradidit filium hominis. Pater tradidit filium pro mundo. Ioan. 18. Rom. 3.

Si ab æterno diffinito concilio iam fuerat decretũ, vt pro redimendo homine pater traderet filium, cur & de Iuda pariter locutus Euangelista dicit, quòd tradiderit illum? Nam si pater, quomodo Iudas? Et huic, quæ

Traditio multiplex Christi. nullam prorſus contradictionem continere cernitur, dicendum placuit, aliam fuiſſe cauſam aliúmque finem quo pater filium pro mundo tradiderit, & aliam quo à Iuda fuit traditus. Nam & pater id egit propter nimiam *Ioan. 3.* charitatem erga nos habitam, vt Euangeliſta vnà cum Paulo conſentit, vt poſtmodum ſalus omnium prędeſtinatorum ex huiuſmodi charitatiua traditione ſequeretur: quæ minimè fuiſſet ſecuta niſi traditus pro nobis fuiſſet ille mortíque datus, qui vita & reſurrectio noſtra eſſe debebat. Iudas verò cùm eſſet fur & latro (vt Ioannes aſſerit) id quod egit, ex cupiditate egit, vt videlicet ex huiuſmodi traditione precium xxx. denariorum extorqueret. Aegrè enim tulerat latro iſte quòd precioſum illud vnguentum fuiſſet effuſum & conſumptum ſuper caput Chriſti recũbẽtis in domo Simonis Leproſi, quod & trecẽtorum denariorum valoris exiſtimauerat. Quapropter murmurans & indignatus fremebat in peccatri*Luca 7.* cem, dicens: Poterat enim vnguentum iſtud vænundari pluſquam trecentis denariis, & dari pauperibus. Itaque gratias agamus Deo patri, qui vnico filio ſuo non pepercit: Gratias agamus ipſi filio, qui ſeipſum tradidit pro nobis in oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis: & in hoc voluntatem patris impleuit. Deteſtemur verò Iudam de cuius facto nobis tantum beneficium præſtitit Deus: & rectè dicamus, Reddidit illi Dominus ſecundum malitiam eius. Non ille pro nobis tradidit Chriſtum, ſed pro argento quo vendidit eum: quanuis Chriſti traditio ſit noſtra ſalus & redemptio. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CXX.

Mat. 26. *CHriſtus non obtinuit calicem à ſe tranſire.*
Heb. 6. *Chriſtus exauditus fuit pro ſua reuerentia, alibi.*

Si Chriſtus in agonia poſitus rogauerat patrẽ vt paſsionis calicem à ſe tranſire faceret nec obtinuit, vnde hauſit Paulus quòd fuerit exauditus pro ſua reuerentia? Quibus reſpondendum nouimus, dicentes minimè ad inuicẽ contrariari pręmiſſa. Non enim decuit vt pre-

catio pro se facta secundũ portionem inferiorem exaudiretur, ne profuturæ saluti omnium saluandorum impedimento esset. Vtique si illa in parte passum non fuisset caput, minimè subsecuta esset omnium prædestinatorum redemptio. Profectò longè antea vaticinatum fuerat Prophetarum oraculis, vt vnus pro omnium salute morti succumberet, ne omnes in interitum sempiternum simul essent. Nec aliter à mortis faucibus eripi poteramus, nisi pro omnibus ille pateretur, qui nimia sua dilectione victus super dorsum suum omnium nostrum peccata portare decreuerat, offerẽs se sponte crucis patibulo. In qua dum pro salute suorum fidelium patrem deprecaretur, meruit exaudiri pro sua reuerentia: & sic intellexerat Paulus. Stat ergo, vt dum pro cæteris precaretur, exauditus esset, tãquã dilectus filius, & quòd non exaudiretur orans pro se (vti præmisimus) cùm non deceret. Et sic patet quid fuerat ad præmissa dicendum.

Christus non fuit exauditus

Ioan. 11.

Esa. 16.

CONTRAPO. CXXI.

Esa. 53.
Ioan. 24.

OBlatus est quia ipse voluit.
Oportuit Christum pati, & ita, &c.

Si (Propheta teste vnà cum Euangelista) Christus sponte pro mundo passus est, cur post suam resurrectionem Apostolos increpans de incredulitate dixerat se pati debuisse? Non enim (vt cernimus) simul stare possunt præmissa, vt videlicet sponte oblatus dicatur, qui necessariò passus est, sed si diuinam prouidentiam conuenire velimus, omnis erroris caligo abscedet à nobis, claráque luce contemplabimur istam necessitudinẽ patiendi à sua primaria & spõtanea oblatione processisse, dum videlicet ante mundi constitutionẽ præuisa in verbo prothoparentis transgressione, decreuit mortalem sumere carnẽ crucísque mortem in illa subire, vt sic releuaretur homo. Idcirco sola clementia motus, tribunali iustitiæ tremebundo & irato sponte se offerens, ait conuersus ad patrem, Ecce ego mitto me, ad hãc supple releuandam naturã. Ob quod visa illa tam pia ac clemẽti oblatione, ac in illo triclinio diuino gratãter accepta,

Apo. 13

Esa. 6.

decretum fuit diffinito concilio, vt filius patri coæternus mitteretur in mundum, vt carne aſſumpta mortali, ſubiret mortẽ pro nobis: & ſi à miſerabili ſeruitute releuaretur homo, quam intellectus diuinus incurſuram nouerat infallibiliter. Quare, ſtante illa oblatione primaria & ideali, ſtante diuino concilio ſic ordinante & mandante, Chriſtum pati oportebat in tempore ab illa prouidentia præſignato ab exordio mundi. Vide ergo quomodo iſtam neceſsitudinem patiendi præceſſerat illa ſpontanea ac primaria oblatio, à qua ſuam traxit virtutẽ hæc patiendi neceſsitudo. Ob quod & Prophetæ vaticinio præuenti ipſam neceſsitudinem patiendi aliquando infallibiliter fore prænuntiarunt. Nec ſic intelligendum eſſe dicimus, quia ſic eam Prophetæ fore præuiderant ſpiritu, idcirco neceſſariò futura erat aliquando, quinpotius quia ſic ab æterno decretum fuerat ab illo diuino concilio, idcirco neceſſariò futura erat. Ex quibus pro ſolutione colligimus, quòd bene ſtat Chriſtum pati oportere, & quòd ſponte ſua oblatus fuerit ille, qui mortis imperium habere dicitur, & qui poteſtatem ſe habere dixerat ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam. Et ſic patet quid dicendum.

Chriſtum oportebat pati & quare.

Luc. 24.

Heb. 2.

CONTRAPO. CXXII.

Mat. 27. *Apo. 13.*

CHriſtum paſſum fuiſſe ſub Pilato præſide legimus. Agnus qui occiſus eſt ab origine mundi.

Si agnus iſte occiſus fuit ab origine mundi (vt Ioannes pręuiderat, dum præteritũ pro futuro poſuerat in ſuis Reuelationibus) quomodo verum erit, quòd tota catholica tenet Eccleſia, quę atteſtatur eundẽ ſub Põtio Pilato paſſum & occiſum? Nónne de immolatione ſpõtanea iſtius agni locutus Propheta clarè depoſuit dicens, quòd quaſi agnus coram tondente ſe debebat obmuteſcere? Idcirco has concordantes ſententias quas in nullo diſcordari cernimus, dicendum placuit, Euangeliſtas minimè fuiſſe contrarios Prophetæ. Nam quod de reali Chriſti oblatione locutus fuit Propheta, hoc de primaria & ideali eiuſdem oblatione locutus fuit Ioan-

nes, quæ in mente diuina prȩextiterat ab æterno, vt prȩmisimus, futurum accipientes pro præterito, vti scripturarum interdum moris est. Nam ab æterno Deus pater decreuerat, in illo & super illum ponere iniquitates omnium nostrûm, vt pro illis percussus & humiliatus vsque ad crucis ignominiam reportaret antidotum reconciliationis ac remissionem omnium delictorũ, vt sic peccatis mortui, iustitiȩ viueremus. Profectò agnus iste tanta cum charitate se obtulerat tribunali præmisso iustitiæ, vt sic accepta fuerit eius oblatio, ac si in suscepta mortali carne passus fuisset ab exordio mũdi. Nec aliud existimãda est eius realis oblatio in crucis stipite, quàm effectus primariæ eius oblationis, præuisæ ab origine mundi, quã necessariò sequi debebat ista realis, vti præfati sumus: aliâs frustra fuisset eius in verbo præuisio: quod & absurdum est dicere, & alienum à fide: cùm intellectus diuinus nec fallit vnquam nec fallitur. Stat ergo vt ab origine mundi præuisa & accepta fuerit ista agni oblatio, & quòd duntaxat in tempore præordinato à patre finem acceperit sub prȩsidentia Romani prȩsidis. Et sic patet quid fuerat dicendum.

Esa. 53. *1. Pet. 2.* *Christi mors quãdo præuisa.*

CONTRAPO. CXXIII.

Regnum meum non est de hoc mundo. *Ioan. 18.*
Rex regum & dominus dominantium. *Apo. 1.*

Si ante Pilatum prȩsidem cõstitutus Dominus dixerat regnum suum non esse de hoc mundo, cur regem regum ac dominum dominantium agnouit illum Ioãnes? Idcirco & huic sic placuit dicendum, quòd interrogatus à præside non negauit per illa verba se esse regem. Verumtamen ad tollendam occasionem calumniæ temperauit suam responsionem, ostendens se non appetere temporalem dominationem. Non enim dixit Pilato, Regnum meum non est in hoc mundo, sed, Non est de hoc mundo: dixit enim, Non est hinc, & non, Non est hîc. Hîc enim est regnum eius vsque in fine sȩculi, habens inter se commixta zizania vsque ad messem. Messis enim finis est sæculi, quando messores ve-

nient, id eſt angeli, & colligent de regno eius omnia ſcandala: quod vtique non fieret, ſi regnum eius non eſſet hîc: ſed tamen non eſt hinc, quia peregrinamur in mundo & incolæ ſumus. Vel dicamus, quòd per hæc verba oſtendit ſe non habere regnum in his qui viuunt ſecundum hunc mundum, carnalia deſideria ſectantes.
1. Pet. 2. Quippe iuxta Ioannis ſententiam, Quidquid in mundo eſt, aut eſt concupiſcentia oculorum, aut carnis, aut
1. Ioan. 2. ſuperbia vitę, in quibus Chriſtus dominium non habet,
Rom. 6. ſed diabolus qui per peccatum in huiuſmodi impiis regnat, & in quibus primatum tenet, cùm ſit Dominus omnis immunditiæ & petulantiæ: idcirco & huius mun
Ioan. 12. di principem illum appellauerat Dominus. In his ergo (vt præmiſimus) non vult Chriſtus habere primatum nec regnum, ſed duntaxat in his, qui carnalia abiicientes Deo ſoli placere cupiunt, qui per adoptionem gra-
Rom. 8. tiæ, filij Dei effecti ſunt. Vel dicamus ad primam, & forſan non ab re, quòd idcirco tale reſponſum Pilato dederat Chriſtus, vt per illud diſceret præſes aliud fore ſæculum quod ille non agnoſcebat, cùm eſſet gentilis & idolatra, Romanæ ditioni ſubiectus. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CXXIIII.

Pſal. 68. *ESca Domini fel fuiſſe dicitur, & potus acetum.*
Mat. 17. *Acetum cum felle mixtum potus duntaxat.*

Si (Saluatore teſte) neceſſe fuerat impleri omnia quę de illo ſcripta erant in pſal. cur non impletum fuit oraculum de ſe vaticinatum in pſalmo 68? nam ibidem conqueſtus dixerat, Et dederũt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Et tamen de eſca nullam fecit Apoſtolus mentionem, ſed duntaxat quòd illi dederunt acetum cum felle mixtum pro potu. Nec mirum ſi hanc nos tangimus difficultatem quæ non apparet eſſe niſi minima; quia ipſe dixit in Euangelio, quòd nullus apex præteribit à lege nec vnum minimum iota, donec omnia fiant. Idcirco pro reſolutione arbitramur
Mat. 5. ad hæc dicendum Euangeliſtam agnoſcentes minimè

contrarium fuiſſe Prophetæ, ſed potius dicas Chriſto per Prophetam loquẽti: nam alio ſenſu locutus eſt Propheta, & alio ſenſu Euangeliſta, enimuero propheta de Chriſto aduerſantibus figuraliter fuerat locutus. Hi quantum in ſeipſis fuit fel in eſcam præparauerunt Domino, dum illum in cruce poſitum deridentes in cordis amaritudine aiebant ad illum cõuerſi, Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas illud. Vtique hoc illi amarum fuerat, hoc ſibi fel erat, hoc acetum, amarũ quippe propter errorem, acetũ propter incredulitatem illorum. Verumetiam ſic accipiendum eſt & impletum quod in pſal. prænuntiatum fuerat, Et dederunt in eſcã meam fel, &c. Quod ergo fecerunt Iudæi propinantes acetum cum felle mixtum, hoc faciunt peruerſi Chriſtiani malè viuendo, non credentes in illum veraciter, ſed ſcandalum inferentes puſillis Eccleſiæ. Hoc pariter faciunt hæretici, amaricantes & dantes fel ſuper tam iocundum ac ſuauem cibum doctrinæ cœleſtis. Et ſic patet quid dicendum.

Mat. 16. *Pſal. 98.* *Chriſtiani malè viuẽtes propinãt acetũ Chriſto.*

CONTRAPO. CXXV.

Longè à ſalute mea verba delictorum meorum. *Pſal. 21.*
Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in illo. *1. Pet. 2.*

Si (teſte Petro) taliter Chriſtus ab omni peccato fuerat alienus, vt nec dolus fuerit inuentus in illo, cur in cruce conqueſtus nouerat longè fuiſſe à ſua ſalute verba ſuorum delictorũ, vti in pſal. dicitur? Idcirco & huic, quæ nullam prorſus in ſe continet contradictionem, dicendum placuit ad primam, agnoſcentes membra locuta in capite, & caput in illa loqui pro mẽbris. Nam quia nouerat nos fore in illo, idcirco dixerat delictorũ meorum. Sed quorum delictorum? niſi quia vetus homo noſter ſimul crucifigi debebat cum illo, vt ſic euacueretur corpus peccati, ne vltrà ſeruiremus illi. Vel potius dicamus, quòd prima non ſic in Hebræo ſe habet, ſed ſic cõtinet litera vt dicat, Longè à ſalute mea vox rugitus mei ſiue clamoris mei, quaſi dicat, verba clamoris quæ ego in agonia poſitus dixi tam in horto, vt calix videlicet à

Rom. 12. *Rom. 6.*

me transiret, quàm in cruce positus, longè fuere à salute
Mat. 26. mea vt liberarer à cruciatibus, quia à tribunali iustitiæ iudicante me, minimè exaudita fuerunt, quia iam fuerat
Esa. 52. decretum & stabilitum, vt tanquam mansuetus agnus immolarer pro omnibus, & sanguinem innoscentem effunderem pro reatibus omnium hominum. Quanquam stantes in nostra vsuali traductione possemus dicere adhuc ad primam, verba delictorum posse referri ad delicta suorum membrorum fidelium prophetarum in limbo commorantium & emittentium clamorosas voces, vt omnino pro omnibus pati deberet ille, qui spõte sua supra dorsum suum iniquitates omnium posuerat, offerens se hilariter tribunali iustitiæ seuerissimo, vt
Esa. 53. præfati sumus aliâs. Nam taliter peccata suorum fidelium sua fecerat, ac si ipse in propria carne commisisset illa. idcirco & pro illis pati debebat, quia iam sua sponte, sua fecerat illa. Et sic intellectis pręmissis in nullo cõtrariari cernuntur.

CONTRAPO. CXXVI.

Psal. 68. *Christo in cruce patienti non fuit qui secum cõtristaretur.*
Mar. 14. *Tristes erant Apostoli de nece Domini, alibi dicitur.*

Si dum Christus pateretur in cruce, non fuit inuentus qui secum compateretur, cur & de Apostolis dicitur, quòd dolentes & tristes de sua nece extiterant, vt referunt Euangelistæ? Et huic pariter dicendum nouimus, ꝙ de corporea tristitia prima est intelligenda, quam ipse duntaxat patiebatur in carne assumpta, licet sua pia mater suíque Apostoli de nece suæ acerbissimæ passionis valde contristarentur: non tamen dicendum est, quòd secum paterentur in carne corporaliter, cùm non fuerint cum illo in cruce confixi illo tempore. Et licet grauissimè paterentur interius, non tamen sic sicut & ille passus est, qui præter id quod patiebatur in corpore, passus fuit
Christi dolor maximus. quàm maximè in mente, profectò præuidens innumeros fore incredulos, expertésque suæ sanctissimæ passionis maximè tristabatur illorum perditionem. Et magis eum affligebat hæc mentalis cognitio talium, quàm sua

passio quam sustinebat patiebatúrque in corpore, & taliter quòd poterat cum omni veritate dicere omnibus viam hanc mortalem transeuntibus, O vos omnes qui transitis per viam attendite & videte si est dolor sicut dolor meus. Et sic patet quid dicendum. *Tren.1.*

CONTRA PO. CXXVII.

Deus Deus meus, quare me dereliquisti. *Mat.27.*

Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians. *2. Cor.5.*

Si Deus in Christo erat, dum sibi mundum recõciliaret (vt Paulus attestatus est) cur in sua passione conquestus fuit tanquam derelictus? Nam qui Deum secum habet derelictus non potest dici. Quibus respondẽdum arbitramur, dicentes non sic esse intelligendam sententiam Pauli, vt ex gloriosa sua præsentia Deus non sineret eum pati, nec minus vt liberaret illum à cruciatibus, *Apoc.13* qui iam diffinito concilio tradiderat eum mundo, vt crucis mortem subiret. Sed idcirco dicendum est Deum cum Christo fuisse, dum pateretur illa humanitas, vt sit sensus, quòd tota Trinitas assentiens huic neci, operata sit hanc redemptionem salubrem, tribuens Christo virtutem tollerantiæ opémq; ferens humanitati illi, nec citius deficeret. Nam cum ille esset corpore speciosus ac *Psal.44.* delicatus & optimè proportionatus, maximam patiebatur passionem, & talem vt super illam non esset maior. Sed Deus ei compatiens contulit illi virtutem, vt mors illius nõ esset citissima, vti membra eius delicata requirebant, sed distulit mortem eius vsque ad horam nonam sextæ diei: vt & nos discernimus illius exemplo, quanta nos oporteat pati, vt regnum æternum adipisci valeamus, si tot & talia passus est ille, qui super se omnium peccata posuerat, vt passus in carne offerret nos Deo patri suo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. *1.Pet.3.* Vel Theologicè loquentes dicamus, quòd diuina dispensatione actum fuit (vt piè credendum est) quòd per aliquam morulã passionis tempore fuerit derelictus in illa pura assumpta humanitate, quousque videlicet perfecto opere redemptionis spiritum patri red-

deret,aliter eripi nequiueramus ab illa miserabili seruitute, qua omnes per peccatũ Adę detinebamur captiui in manu diaboli,cui & pariter seruiebamus malè operando. Nam (vt aiunt) nouo miraculo actum fuit,vt ille qui in anima ab instanti suę cõceptionis fruebatur Deo, passus esset in corpore, in quo & gloria animæ non redundaret. Fuerat tamen Deus cum illo modo superius
Coloß.1. exposito, cooperans illi in recõciliatione huiusmodi supernorum, à quibus per peccatum tam originale quàm
1.Tim.2 actuale elõgati fueramus, vt sic idoneus mediator esset inter Deum & hominem.Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CXXVIII.

Esa.53. C*Hristus dum pateretur os suum non aperuit.*
Psal.68. *Christi fauces raucæ factæ sunt præ clamore.*

Si propheta longè antea præuiderat Christum tãquam agnum mansuetissimum coram tondente sine voce immolandum fore,quomodo verum erit quod dixerat alter, videlicet, quòd fauces eius præ nimio clamore raucæ factæ fuissent? Et huic pariter sic respondendũ nouimus,dicentes vtrunque fuisse verum.Nam dum ipse pateretur & duceretur tanquam agnus ad mortem, os non aperuisse fertur, nec minus cùm malediceretur ipse maledicebat.Nobis in hoc relinquens documentum sustinendi calumnias impiorum hominum ac huius mundi aduersa ,quibus probamur tanquam in fornace aurũ,
Sap.3. vt Sapiẽs nouerat. Idcirco & verbo prius docuerat beatos illos fore, quos patienter toleraturos nouerat conuicia & tribulationes pro sui nominis defensione, etiã cõ-
Mat.27. tra iustitiam illatas. Sed in agonia positus volens nobis ostendere quanta sua nos charitate dilexerit, taliter pro
Heb.5. in se credẽtibus clamauit ad patrem, vt illis misereri dignaretur, quòd præ clamore nimio spiritum exhalaue-
Mat.27 rit,in quo clamore raucæ factę sunt fauces eius arentes
Pœna Christi cõtemplãda à fidelibus. siti. Idcirco dixerat, Sitio. Hinc discat Christianus homo quanta & qualis fuerit sui redemptoris pœna, qualisque fuerit eius tolerantia acerbissimæ passionis. Et sic hoc sedulè contemplans, illum imitari studeat, quia

& ille sic pati voluit, vt nobis patientiæ suæ præberet exemplum. Idcirco dixerat Petrus, Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. Et sic patet quid dicendum.

CONTRA PO. CXXIX.

CHristus conquestus est se derelictum fuisse. Mat. 27.
Christus exauditus est pro sua reuerentia. Heb. 6.

Quomodo enim exauditus dicendus est ille, qui alibi ad patrem cõuersus nouerat se derelictum esse, vti in præcedentibus reliquimus? Idcirco ad illam Pauli sententiam placuit dicendum, quòd dum pro credẽtibus in se patrem deprecaretur, semper fuerat exauditus. Quod & liquidò designauit dum alibi patri gratias agens dixit, Gratias tibi ago pater quia semper me audis. Vtique Ioan. 11. in cruce positus dum suum preciosum effunderet sanguinem in redemptionem priorũ & futurarum præuaricationum, taliter sui oblatione tribunal iustitiæ fuit pacatum, vt perfecta redderetur recõciliatio. Quod & nouerat ille, qui in suis Epistolis deposuerat, dicens: Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quę in cœlis sunt, siue quę in terris sunt. Colos. 1. Idcirco in signum huiusmodi recõciliationis descendens iustitia de tribunali suo, pariter & misericordia, obuiantes se deosculatæ sunt in illa mensura quam & Cabalistæ thipheret nuncupant, vt vaticinium illud adimpleretur quod per Prophetam regium dictum fuit, videlicet: Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, &c. In isto enim loco (vti prænotati Cabalistæ autumant) incarnatus est filius Dei. Pro illis ergo exaudiri meruit Christus, quos & participes fore nouerat suæ sanctissimæ passionis, & hoc pro sua reuerentia, id est, pro sua voluntaria obedientia & perfectissima charitate, qua ab exordio mundi suos electos dixerat, vt sic omnibus in se credentibus esset causa salutis æternæ, ostendens quale & quantum lucrum fuerit eius passio, si eius obedientia omnibus in se credentibus sufficeret ad salutem. Ad aliam verò iam in superioribus diffusius dictũ fuit: & qualiter decens fuerat, vt in crucis

Locus incarnationis Christi.

Christi passionis lucrum.

ſtipite derelinqueretur in illa ſimplici & nuda carne aſſumpta, vt ſic in illa patiẽs, noſtram operaretur ſalutem. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CXXX.

Psal. 16. *Vias duras ſe cuſtodiſſe dixerat Chriſtus.*
Mat. 10. *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus leue.*

Si vias duras ſe cuſtodiſſe in Pſal. Chriſtus dixerat, quomodo poterat dicere iugum ſuũ eſſe ſuaue? Et huic, quæ nil prorſus contradictionis in ſe continere cernitur placuit dicendum, de via crucis primam intelligendam eſſe, quam ipſe prior omnibus perambulare dignatus eſt. Nam licet multi ante ipſum ob ſcelera ſua & flagitia crucis patibulum ſubiiſſent, ipſe tamẽ velut agnus innocens crucem paſſus eſt. Idcirco cõqueſtus in Pſalmo ritè poterat dicere, Quæ non rapui tunc exoluebam. Vt ergo hæc crucis ſemita cæteris ſe imitantibus ſuauis & lenis efficeretur, ipſam lenire voluit ſanguine ſuo precio-
Luc. 22. ſo, quem pro nobis effudit abundé. Quare huius viæ crucis ſuauitatem in ſe ſentiens beatus Andreas, crucem amplexatus dixerat, O bona crux diu à me deſiderata, ecce ſecurus & gaudens venio ad te. Et licet hæc crucis via ſpiritualibus non aſſuetis aliqualiter videatur dura, eſt tamen ſuauis & dulcoroſa guſtantibus cœleſtia. Quá & beatus Apoſtolus pariter perambulans aiebat conſtanter, Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri
Galat. 6. Ieſu Chriſti. Quæ quidem crux non lignea fore cernitur manu fabricata artificis hominis, ſed interior & intranea perſecutionibus ac anguſtiis plena. Quam ſi vt Dominus præcipit, non perambulabimus, minimè cum illo regnare poterimus. Hanc crucis viam perambulans
2. Tim. 2 ſancta Agatha lætanter ducebatur ad carcerem, tanquã ſi ad ſuaues epulas inuitata fuiſſet. Pariter & ſancti Apoſtoli hanc viam perambulantes, pro nihilo ducebant cõuitia & minas infidelium hominum. Idcirco gaudentes
Act. 5. ibant à conſpectu concilij, vt Lucas refert in actibus. Concludentes ergo dicimus, quòd licet Chriſtus vias cuſtodierit duras & aſperas pluſquam omnes homines

ſe præcedentes aut ſequentes, nihilominus hanc viã ſuo ſanguine liniens, taliter illam poſtmodũ reddiderat ſuauem & lenem, aut iugum ſuum ritè diceret ſuaue eſſe, & ſarcinam ſuam leuem, eam videlicet ferenti libenter & ſponte. Quanquam ad primam aliter reſpondentes poſſemus dicere, quòd de Dauid carnali poſsit intelligi, qui idcirco vias duras ſe cuſtodiſſe conqueſtus eſt vnà cũ cæteris priſcis patribus, quoniam ſub obſeruantia & cuſtodia 613. præceptorum legalium tenebantur. Quæ quidem via per iugum Chriſti ſic ſuauis & lenis fuit reddita, vt ad geminam duntaxat dilectionem fuerit deducta, Dei videlicet & proximi dilectionem, in qua (veritate teſte) tota lex pendet & prophetæ. Et ſic patet quid fuerat dicendum.

Via cæli lenis & ſuauis per Chriſtũ.

Mat. 13.

CONTRAPO. CXXXI.

MVlieres venerunt ad monumentum dum eſſent tenebræ. Mulieres venerunt ibidem orto iam ſole, alibi dicitur.

Ioan. 20. *Mar. 16.*

Si Lucas vnà cum Ioanne aſſerunt mulieres ad monumentum veniſſe valde diluculo, dum videlicet adhuc eſſent tenebræ, quid eſt quòd Marcus ab his diſſentiens dicit, quòd orto iam ſole venerunt? Nam & ſi orto iam ſole, quomodo tenebræ ſuper terram erant? Perſpicuũ enim eſt, quòd per ſolis radios tenebræ expelluntur ab hemiſpherio. Idcirco ſi ſeriem verborum ſcrutari velimus, proculdubio videbimus in nullo diſcordare præmiſſa. Ideo dicendum placuit, ꝙ illud quod dicit Lucas valde diluculo, & Ioannes mane, cùm adhuc eſſent tenebræ, hoc intelligitur Marcum dicere valde mane oriente ſole, id eſt cùm cœlum ab Orientis parte iam albeſceret, quod non fit vtique, niſi ſolis Orientis vicinitate. Eius enim eſt ille fulgor qui nomine auctoris appellari ſolet. Idcirco non repugnat illi, qui ait: Cùm adhuc tenebræ eſſent: die quippe ſurgente, aliquæ reliquię tenebrarum tanto magis extenuantur, quanto magis oritur lux. Nec ſic accipiendum eſt quod ait, Valde mane, tanquam ſol ipſe iã videretur ſuper terrã, quinpotius ſicut dicere ſolemus eis quibus volumus ſignificare tem-

Lucæ 14.

porius aliquid faciendum: Cùm enim dixerimus mane, ne putes iam ſole ſuper terram conſpicuo nos dicere: ad hoc plerunque addimus valde mane, vt illud quod etiam albeſcente ſole intelligant. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRA APO. CXXXII.

Mat.28. *Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſaeculi.*
Mar.vlt. *Dominus Ieſus aſſumptus eſt in cœlum, alibi.*

Si ante ſuam aſcenſionem allocutus Apoſtolos promiſerat ſe ſemper cũ illis fore, quid eſt quòd alter Euangeliſta atteſtatur illum in cœlum fuiſſe aſſumptum? Meminimus aliâs ad plenum explanaſſe primam, dicẽtes quòd de ſpiritali eius pręſentia intelligenda erat, qua ſuis fidelibus præſens eſt iugiter. Decet enim ſponſum ſemper eſſe præſentem ſuæ dilectæ ſponſæ, quouſque videlicet ſponſalitium permanſurum eſt. Sic ergo prima intelligenda eſt, vt ſponſus modo ſit cum Eccleſia, ſicut prius fuit cũ ſynagoga quouſque finiatur ſæculũ. Affuit nempe Moſi exeunti Aegytum, cui & dixerat, Angelus meus præcedet te: Affuit titubanti prophetæ, cui pariter dixit: Ne timeas, quia ego tecum ſum: Affuit & alteri cui labia per angelum mundari præceperat: Affuit pariter & Paulo, in cuius pectore reſonabat. Et ſic de pleriſque quibus iugiter affuerat, ſed nõ ſic prioribus affuit ſicut modò adeſt Eccleſiæ, nam illis in vmbra, modò in re ipſa: illis in figura, nobis in carne: illis in enygmatibus & caligine, nobis qui ſumus diei filij, in ipſa luce. Idcirco hæc fœlicia tempora prophetali vaticinio præueniens Deus, ait conuerſus ad animam: Ecce deſponſabo te mihi in fide, quod & locum habuit dum in Iordanis flumine fuit Chriſtus baptizatus à Ioanne. Tunc enim innouatum fuit hoc ſolenne & diuinum ſponſalitium. Idcirco ipſa ſponſa gaudens & iubilans cecinit in Regum feſto dicens de ſeipſa. Hodie cœleſti ſponſo iũcta eſt Eccleſia. Quod & longè antea fuerat præfiguratum in prima fœmina, quæ ſicuti ex latere dormiẽtis viri fuerat ſumpta, illíque poſtmodum copulata in coniugio, ſic & noua Eccleſia ſumpta fuit ex Chriſti latere,

Chriſtus ſponſus quomodo ſemper præſens Eccleſiæ.
Exod.23. *Hier.1.* *Eſa.6.* *2.Cor.13.* *Ioan.1.* *Geneſ.2.*

quiescentis in crucis stipite:demum per patrẽ illi in spiritali coniugio copulata per fidem. Ad alteram verò dicitur, quòd de corporali eius præsentia venit intelligenda, qua nisi ab illis fuisset absens non misisset spiritum, dicẽte illo: Nisi ego abiero, paracletus nõ veniet ad vos. *Ioan. 16.*
Et sic patet quid fuerat ad præmissa dicendum.

CONTRAPO. CXXXIII.

IEsum sedere à dextris Dei testatur Marcus. *Mar. 16.*
Iesum stantem à dextris Dei viderat Stephanus. *Acto. 7.*

Non enim sedere dicitur ille, qui vt pro nobis impetret stare dicitur ante thronum, apparens continuò vultui Dei. Sed si verborum ordinem contemplari placuerit, nil contrarij in præmissis reperiemus. Vtique vnigenitus Dei filius ab æterno genitus à patre, respectu suæ diuinitatis quam vnicam cum patre habet, à dextris eius sedere dicitur, cùm sit illi æqualis per omnia. Beatitudo enim Dei dextera esse dicitur, in qua filius vnà cum patre sedere dicitur. Nam si carnaliter acceperimus, quia *Mat. 19.* Iesus ad dexteram patris sedeat, ille ad sinistram erit. Nunquid fas est, vt sic illos componamus, filium ad dexteram, patrem verò ad sinistram? ibi enim omnis dextera est, quia ibi nulla sinistra. Vel dicamus quòd Iesus ad dexteram Dei dicitur sedere, vbi quisque habitat, vbi stat, vbi quiescit: nec mentiebatur Stephanus, dum eum vidisse stantem dixerat. Si vis ergo vt in dextera sedeat Iesus, esto bonus, esto iustus: quia scriptum est, Anima iusti sedes est sapientiæ. Tunc enim in te sedebit Iesus si ei locum dignum in te parabueris, si consciẽtiam tuam mundaueris, qui duntaxat in conscientia piorum ac humiliũ sedere dicitur: purga igitur te à terra, & Dei sedes efficieris. Vel adhuc si placet dicamus, ꝙ dum dicitur, Iesus sedet à dextris Dei, demonstratur quòd ipse homo quem Christus suscepit, potestatem acceperit iudicantis. Nam sedere iudicantis esse dicitur. Et quia Redemptor noster assumptus est in cœlum, & nunc omnia iudicat, & ad extremũ iudex omnium veniet, sedere idcirco scribitur. Sed stare illi cõuenit ratione naturæ assumptæ

in tempore,quam non habes cum patre cõmunem.Stat ergo,vt non pro se impetret, sed vt pro nobis obsecret. Stat inquam ante tribunal clementiæ, vt pro peccatoribus deprecetur, dicente Ioanne , Aduocatum habemus
1.Ioan.2. apud patrem dominum nostrum Iesum Christum,& ipse est propitiatio pro peccatis nostris,& non tantùm pro nostris,sed etiam pro totius mundi.Cabalistæ verò,non illi cæcutientes & increduli, sed qui lumine lustrati sunt fidei,dicerent,quòd etiam inquantũ homo sedet in pergot,id est in loco iudicij,vt vnicuique reddat vices.Nam
Mat.28. secundum quòd homo hanc potestatem iudicandi accepit à patre, non solùm exequendam in terris, sed etiam in cœlis,(quippe locus prænotatus,vt nonnulli opinantur,& forsan non ab re, quibusdam intelligẽtiis ante in-
Exo.21. carnationem huius verbi fuerat deputatus, quæ in executione tribunalis iustitiæ,dentem pro dente,oculũ pro oculo inuiolabiliter exquirebant à transgressoribus)sed illo ascendente glorioso in cœlis,locus ille fuit *sibi con-*
Mat.28. signatus,tanquam illi cui competit omnem potestatem in cœlis habere.Hæc autem secundum prçfatorum opinionem dicta sint.Sic ergo præmissis intellectis,in nullo prorsus contrariantur.

CONTRAPO. CXXXIIII.

Mat. 23. *MAgister nemo vocandus est super terram.*
Ioan.3. *Magistrum vocauit Christus Nicodemum.*

Si Christus de magisterio locutus in Euãgelio, liquidò interdixerat ne quispiam se sequentium auderet se vocare magistrum super terram,cur isdem Dominus allocutus Nicodemum,dixerat ipsum magistrum esse in Israël?Nónne decens erat,vt Dominus illam sequeretur doctrinam,quam se sequentibus seruandam decreuerat? Idcirco & huic quæ nonnihil contradictionis in se continere cernitur , arbitramur dicendum , quòd Christus suos allocutus discipulos,alia ratione prohibuit ne quispiam illorum auderet se magistrum super terram vocare,& alia ratione ipse vocauit Nicodemum magistrum: non enim credendum est,quòd ille, qui summa veritas dicitur,

dicitur, sibimet contrarius fuerit. Profectò dum Nicodemum magistrum nominat, ne de se nimis præsumeret, cautū facit. Idcirco ad suiipsius considerationē mittens præfatum, dixerat, Tu es magister in Israël, & hęc ignoras? quasi diceret Dominus, Qua facie seu qua frōte magisterij cathedram tibi vendicare conaris in Israël, si hęc spiritalia ignorare cōuinceris? Verè enim (vt cernimus) prudētis medici officio functus est, dum vulnus proprię iactantiæ prius in illo curare tentauit, vt sic postmodum veritatis discipulus effici mereretur, essétque de illorum numero quos allocutus Dominus, dixerat: Qui maior in vobis est, erit minister vester. Nec ob hoc putandum est, *Mat. 20.* quòd Christus interdixerit magistrum super terram dici eum, qui ingenio & doctrina pollēs, alios docet & instruit: sed idcirco hoc inditio se sequētes cautos reddere voluit, ne ob hoc, quia magistratus officium sibi vendicant, ignorarent illum quem principaliter magistrū vocari oportet, à quo tanquam à fonte suscipiunt illi qui postmodum magistri censentur ab hominibus: ab ipso enim omnis sapientia & doctrina emanat & fluit. Nam quemadmodum nemo principaliter pater est, præter illum, sic nec magister quispiam inuenitur principaliter præter illum, qui tam magistrorū, quàm patrum omniū causa est. Ipse enim in cathedra suæ maiestatis sedens, omnia docet, omnésque instruit, cùm & ipse sit sapientia patris. Et vt innueret, ꝙ duntaxat in se credētibus loqueretur, addidit eo in loco postquā præmiserat, Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus. Nec dixit, Ego, ne de se iactanter quærere videretur, sed *Mat. 22.* quemadmodū in superioribus quęsierat discipulos alloquens & interrogans, quid illis videretur de Christo: nec dixit, de me, sic pariter se habere voluit hoc in loco. Docuit enim hunc grauem morbū esse fugiendū à nobis, ne videlicet quispiam ob magistratus iactantiam nimis se extolleret super alios, gregémq; exiret humilem, quē Christus humilitate sibi aggregare curauerat. Idcirco se in exemplum præbens aiebat, Discite à me, quia mitis *Mat. 11.* sum & humilis corde. Et sic patet quid dicendum.

F

CONTRAPO. CXXXV.

Mat.16. Mat.23. *DOctrinam pharisaicam cauendam præcipit Dominus. Doctrinam eandem seruandam mandauit alibi.*

Si pharisaicam doctrinam sub ferměti nomine, tanquam falsam & erroneam cauendam mandauerat Dominus se sequentibus, cur infrà, vt isdem Euangelista testatur, hanc doctrinam seruandam præcepit, dum discipulos & turbas allocutus, ait: Super cathedram Mosi sederunt scribæ & pharisæi, omnia quæcũque dixerint vobis seruate & facite. Perspicuum quippe est, quòd de eadem doctrina fit in vtraq; locutio: sed cur in prima Christus spreuerit illam, & econtrariò in sequenti commendauerit, adhuc dubium remanet. Nec obstat, quòd sub eodem fermenti nomine, hypocrisim significari voluerit apud alterum Euangelistam, dum prænotatos Apostolos allocutus, ait: Cauete à fermento pharisæorum quod est hypocrisis, quia id egit sub alia significatione. Hanc ergo quæstionem conciliantes, dicimus, quòd nõ sicuti litera sonat, sunt intelligendæ præmissæ, est tamen sensus quo illas debeamus intelligere. Dum enim Christus doctrinam hanc commendatam facit, ad doctrinæ collatæ primordia recursum habuit: dum videlicet scribæ & pharisæi sedentes in Mosi cathedra primo tempore, non suspectam, nec erroneam doctrinam docebant, plebem instruentes, sed sicuti per temporum successionem hanc doctrinam à Mose receperant. Idcirco Christus priora tempora signans, vsus fuit verbo præteriti tẽporis, dum ait, Sederunt & non sedent. Licet postmodũ post multorum curricula temporum iam labentiũ, pharisæi corrupti auaritia & dolo, nisi sint hanc sanã doctrinam violare & corrumpere, quibusdam humanis traditionibus illam alterantes & vitiantes, addentésque nonnulla versantia circa mores & munditiam corporis, insuper adiicientes onera grauia & insupportabilia, quæ digito suo mouere nolebant, vt Christus in Euangeliis commemorat. Idcirco reddentes præmissa concordia placuit dicendum, quòd doctrina illa, quæ in Mosi cathedra priori tempore docebatur, non pharisæorum

Marginalia: Mar.8. — Luc.16. *Doctrina legalis à pharisæis corrupta.*

dicenda erat, ſed Dei, qui illam ſic ſanctam & bonam reddiderat mediatori Moſi, vt in obſeruantia legali inſtrueretur populus. Ob quod alio nomine doctrina hęc legalis doctrina dici poterat. Ipſa enim cùm à Deo optimo proceſſerit, non niſi bona & ſancta dicenda fuerat, cùm nullo eſſet errore corrupta. Licet poſtmodum recedentibus phariſæis ac ſcribis à recto tramite, cupiditatéque ducti (vt præfati ſumus) in magnam erroris ſyluam inciderint, doctrinam hanc alterantes ſuis ſuperſtitionibus & traditionibus. In quibus ſuam ſtatuentes iuſtitiam, niſi ſunt illam prorſus iuſtitiam Dei euertere & deſtruere, quæ ex legis obſeruantia debebatur. Quam & per poſticum mittentes nil curabant de illa. Idcirco Saluator noſter hos tanquam tranſgreſſores mãdatorũ Dei arguens & increpans, aiebat: Quare & vos tranſgredimini mandatũ Dei propter traditionẽ veſtrã? quam ſupple dominicis mandatis ſic anteponitis? Peruerſe enim facitis, cùm nõ liceat Dei mãdatis traditiones hominũ anteponere. Quod & facere nitimini, dum ignorantes Dei iuſtitiam, veſtram ſtatuitis. Et hoc fermentum meritò dicendum eſt, à quo & Dominus cauẽdum iubet, quia ſi ſeruus iubet & dominus non iubet, caueamus ne audiamus. Nec abſurdum videatur, ꝙ fermenti nomine doctrinam hanc ſic corruptam cauendã mandauerit Chriſtus, quia ſicuti modico fermento tota maſſa corrumpitur, ſic pariter doctrina legalis vitiata fuit ab huiuſmodi ſuperſtitionibus præfatorũ. Sic ergo intellectis præmiſsis, in nullo cernuntur contrariæ, quia in vna de doctrina illa fit mentio, quam ſanam & incorruptam tradiderat Moſes. Licet in altera de eadem doctrina fiat ſermo, prout alterata & vitiata fuerat à ſcribis & phariſæis, qui niſi ſunt peruertere veridicum ſenſum doctrinæ legalis. Et ſic patet quid dicendum.

Mat. 5.

1. Cor. 5.

CONTRAPO. CXXXVI.

Scandalum euenire neceſſe.
Scandalum euenire contingens.

Mat. 18.
Philoſo.

Si ſcandalum euenire, neceſſe fore apertè iudicauit

veritatis præceptor, quo pacto vel quo fauore ea euitare poterimus nos cæcutientes, aut quomodo ſcandalum poterit eſſe contingens, ſi neceſſariò euenire dicitur? Profectò iuxta Peripateticum, Quod contingens iudicatur, non eſt ad alteram partem determinatum, quia aliter ſe habere poteſt, aliâs contingens non eſſet. Idcirco vt præmiſſa reddamus concordia, arbitramur dicendum, quòd ſi recurſus habeatur ad liberam hominis voluntatem, à qua ſcandala ortum habent, & dari poſſunt, & non dari nulli dubium erit, quòd ſcandalum non ſitiu dicandum cõtingens. Sed ſi econuerſo reſpectus habeatur ad mentẽ hominis deprauatã malitia, ſic ſcãdala neceſſariò ſequi iudicamus, vtputa ex ſuppoſita malitia. Et ſecundũ hunc ſenſum, Chriſti ſententia eſt intelligenda, dum ait: Neceſſe eſt vt veniãt ſcãdala. Præuiderat enim Chriſtus Dominus multã malitiã hominum eſſe futurã in terris. Idcirco ſcandala neceſſariò ſecutura ex malitia deſignauit his verbis, Quibus non intendit tollere arbitrij voluntatem, nec minus per hanc ſententiam, neceſſitatem aliquam ſeu violentiam vitæ ſignificare voluit, ſed ob prauam hominum mentem, quòd neceſſariò futurum erat, prædixit. Nam ſi neceſsitatis eſſet euenire ſcandala, & nõ voluntatis eorum qui ea mouent, ſuperfluum videretur & vanum, quod ibidem præmiſerat, dicens: Væ autem homini illi per quem ſcandalum venit. Colligimus ergo ex dictis, quòd ſcandala neceſſariò eueniunt ex ſuppoſitione malitiæ, vel dicamus ſi placet, neceſsitate conſequentiæ (vt Dialecticè loquamur) ac ſi diceremus, idcirco neceſſariò homo mouetur, quia currit. Profectò ſicuti Apoſtolus ſcribens Corinthiis dixerat, Oportet hæreſes eſſe, vt boni probentur & mali cognoſcantur, ſic pariter dicendum nouimus in propoſito, oportere eſſe ſcandala, vt iuſti coronentur, & econtrà puniantur iniuſti. Nec ob hoc ſequitur, quòd de neceſsitate homines peccent, licet ſcandala ex ſuppoſita malitia neceſſariò ſequantur, vt præmiſimus. Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque vlla contradictione.

Scandalũ cur contingens dicitur.

1. Cor. 11.

CONTRAPO. CXXXVII.

IVgum Christi ferre suaue dicitur. *Mat.11.*
Iugum Christi ferre acerbum, dicitur alibi. *2. Tim.3.*

Quomodo iugũ Christi suaue dici potest, si tot persecutionibus vndique circundatum cernimus, cùm non sit aliud iugum Christi, nisi quidam aceruus persecutionum vndique toleratarũ pro eius nominis defensione? ad quem sensum Paulus Timothæum allocutus, ait: Omnes qui piè viuere volunt, in Christo Iesu persecutionem patiuntur. Ob quod sub iugo isto suam ceruicem sponte supponens, prompto animo ait, Ego non solùm *Act.21.* alligari, sed & mori paratus sum pro nomine Domini Iesu Christi. Quare Corinthios adhortatus ait, In om- *2. Cor.6.* nibus commendantes nosmetipsos, tanquam Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, &c. Ecce quàm suauiter iugum Christi portabat, vt pro nihilo duceret persecutiones! Nouerat enim quàm facilis esset tolerantia quarũlibet aduersitatum his qui Deum diligunt toto corde: idcirco Romanos allocutus aiebat, Non sunt condignæ *Rom.8.* passiones huius temporis ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ipse enim oculis interioribus ac fidelibus intuens, agnoscebat quanto precio temporalium futura vita emẽda esset. Omnia enim sæua & immania prorsus facilia, & propè nulla efficit amor. Ob quod spi- *Ibidem.* ritu inflammatus aiebat, Quis nos separabit à charitate Christi? Et si angusta apparet via non assuetis, est tantùm facilis omnibus diligentibus. Nihil enim tam facilè bonæ volũtati quàm ipsa sibi. Et hæc sufficit Deo. Nã vt eius iugum tibi suaue sit, ille tibi amorem inspirauit. Quare ergo dubitas iugum Christi ferre, cui ipse, vt tibi suaue esset, prius se supposuit? Non ergo oneratum te esse senties, si tanto capiti tanquam membrum te coaptare volueris. Audi enim ipsum dicentem, Qui vult venire post me, tollat crucem suam & sequatur me. Erit e- *Mat.10.* nim hoc iugum ferre suaue & sarcina lenis, si illum imitari volueris qui ait, Iugum meum suaue est, & sarcina mea leuis. Vtique hæc sarcina non est pondus onerati,

ſed ala volanti. Habent enim & aues pennarum ſuarum ſarcinas: portant quidem illas & portantur ab illis: portant illas in terra, & portantur ab illis in cœlo. Porta ergo pennas pacis & alas accipe charitatis, & ſic iugum Chriſti ad portandum ſuaue erit. Nec primæ obſtat altera, quia (vt præmiſimus) licet viam Dei initiãtibus, iugum hoc acerbum videatur, eſt tamen ſuaue & dulcoroſum Deum diligentibus. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CXXXVIII.

Mat. 5. ORandum pro inimicis Chriſtus docuit.
Apo. 5. *Animæ occiſorum coram Deo vlciſci petunt.*

Si etiam pro inimicis Chriſtus orandum eſſe mãdauerat, cur occiſorum fideliũ animæ, quæ inter Chriſti membra connumeranda ſunt vlciſci petunt, vt Lucas refert? Enimuero taliter mẽbra corporis capiti cõformari
Luc. 23. deberent, vt nulla inter hæc eſſet diſcrepantia, & tamen non eſt ſic: caput enim in cruce poſitũ rogat inimicis di-
Apo. 19. mitti, ſed membra ex aduerſo petunt vlciſci ſanguinem.
1. Ioan. 2. Nec obſtat, quòd caput hoc fecerit adhuc Chriſtus non mortuus, quia teſte Ioãne, & modo in cœlo eodem fungitur officio. Idcirco & hanc (vt moris eſt) conciliantes placuit dicendum, quòd ob hoc ſanctorum animæ vlciſci petunt ſanguinem, vt per hanc vocem oſtendatur, nil crudelitatis ſeu impietatis inultum remanere debere. Quia Deus per hanc legem quam dederat, vindicare ſe in diem iudicij repromiſit, vt hoc præceptum ad præſens dediſſe videatur, quod excuſat occiſorum animas, ſi illic iam poſiti diem vltionis depoſcunt. Et tamen vt verius dicamus, cauſam clamare intelligendum eſt: ipſa enim non tacet ſed ſemper vindictam flagitat, ſicut di-
Geneſ. 4. cit Deus de Cain, Sanguis fratris tui clamat ad me de terra: quid eſt hoc, niſi quia cauſa facinoris clamat vin-
Dan. 3. dicari cupiẽs? Sic enim dicimus propter opus laudat terra Dominum, cùm vtique neque vocem habeat & intellectu careat, ſed propter opera mala ſanguis effuſus clamare dicitur. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRA PO. CXXXIX.

Regnum Christi regnum fore æternum dicit scriptura. *Luc. 1.*
Regnum Christi tradendum patri in fine temporum. *1. Cor. 15.*

Si regnum Christi scriptura vetus cum noua testatur fore æternum, cur Paulus secretorum cognitor existimauit ipsum regnum fore tradendum patri in fine tẽporum? Non enim æternum dicẽdum est, quod aliquãdo finem est habiturum. Quod autem æternum esse deberet istud regnum testatus est Gabriel angelus, dum allocutus Mariã ait, Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Daniel verò ille sanctus longè antea de hoc regno locutus, ait: Tunc exurget regnum æternum quod nunquam corrumpetur. Cur ergo his contrarius se habuit Paulus? Dixerat enim de hoc regno locutus, Cùm tradiderit (supple Christus) regnum Deo & patri. Nam si illud patri traditurus est, nõ est Christus æternaliter regnaturus in illo. Quid ergo ad hęc dicemus, quæ maximè in se vidẽtur sensum continere contrarium? Elaborandum igitur nobis est, vt & istas pariter concordes reddamus. Dicamus ergo, quòd in causa patris & filij, id est Dei & Christi traditionis abolitio intelligitur. Considera igitur quomodo pater tradiderit filio regnum, ipso Domino hæc protestante, Omnia enim inquit, mihi tradita sunt à patre meo: si pater ergo desiit habere cùm tradidit, potest & de Saluatore dici, quia cùm tradidit, amisit. Nam filius postquam nouerat traditum sibi à patre regnum, dixit, patrem adhuc præferens: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Secundum hunc igitur sesum, & filius non amittit regnum cùm tradit, vt hæc vera sint: Et angelus & Daniel non discrepare ab hoc sensu dicuntur. Sed nunc videamus manentes in hac fide, quid sit filium tradere patri regnum, hoc enim quod inter cætera dicit Apostolus, Tunc & ipse subiectus erit ei, qui subiecit ei omnia vt sit Deus omnia in omnibus: subiectio igitur hæc, ipsa est traditio regni, cùm enim omnes potestates, omnes principatus & dominationes Christo

Dan. 6.

Mat. 6.

Ioan. 19

Regnum tradere patri quid sit.

genu flexerint, tunc filius manifestabit non se esse à quo sunt omnia, sed filium eius & illum in se videri. Hæc enim est subiectio & regni traditio. Et sic ex prædictis patet quid ad hæc dicendum fuerat.

CONTRAPO. CXL.

Luc. 22. *Gladium parandum Christus monuit.*
Ioan. 18. *Gladium auferendum infrà præcepit.*

Si Dominus, Luca teste, bellum Iudaïcum aduersum se futurum denuntians, mandauit discipulis suis vt gladios sibi pararent, quomodo postquam incœptum fuit bellum duce Scariota, iusserat Petro qui auriculam serui amputauerat, vt gladium in vagina reponeret? vt quid parari iusserat, qui prohibuit percutere reum, etiam *Mat. 26.* esse mortis dignum qui percusserit gladio? Sed prius quæramus quid opus erat illi qui spiritali munitus erat virtute gladios parari carnales, & qui prius iussit in via, vt nec peram ferri, nec pecuniam, nec virgam, nunc iuberet habere quæ prius prohibuit. Idcirco & has pariter conciliantes, placuit dicendum quòd si singula inspicias cautè, cuiusuis patefieri rationem inuenies & alia quæ requires his dictis. Dicamus igitur, quòd dum tempus quo se pati permisit, aduenit, propter quod rixa magis quàm bellum imminebat armatos iubet esse discipulos, non vt repugnaret qui sponte pati decreuerat, sed vt præscium se huius rei, & in potestate habere possessionẽ sui ostenderet. Noua enim res & mirabilis apparuisset, si is qui noua & inaudita signa faciebat, sic subitò humiliaretur, vt & verberibus subiiceretur & morti. Licet postquam bellum fuit incœptum, vt virtus & potestas ostenderetur in eo manere, nec indigere amplius carnalibus armis, & vt in vtroque vindicare se posse iniurias discipuli non ambigerent, dixit Petro inscio *Ibidem.* de mysterio, An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquã duodecim legiones angelorum? Colligimus ergo, quòd idcirco gladium prohibuit, ne quempiam percutientes occiderent, vt sic documento relinqueret, non fore licitum se sequẽ-

Cur Christus prohibuit gladium.

tibus(iudice excepto)occidere quempiam.In misericordia enim positis, lege iuris mundo crediti vti non licet aspere. Quanquam mysticum sensum secuti possemus dicere,quòd per gladium quem Christus parari iusserat, verbum Dei intelligēdum sit quo iuxta consilium propheticum accedens ad spiritale bellum committendum *Ephes. 6.* contra Spiritualia nequitiæ in cœlestibus muniri & accingi debet potentissimè,ne secus faciens,diaboli sagitta *Psal. 44.* percussus succumbat in prælio. Gladius verò quem Christus non permittit extrahi ex vagina iram latentem in corde viri nobis figurat, qua aliquando taliter more *Ira viri cur gladium dicitur.* gladij percutitur anima,vt lethaliter saucietur.Hanc pariter & si per impetum naturæ contigerit, extrahi iubet Christus & iterum in theca recondi. Quæ tunc ritè reponi dicitur,dum quis ante occasum solis iniuriæ sibi illatæ remittit offensam,ob amorem illius qui se sequentibus mandauit,dicens:Dimittite & dimittemini.

CONTRAPO. CXLI.

Ircuncisus est Christus vt nobis proficeret. *Luc. 6.*
Circuncisio in Christo nihil prodesse dicitur. *Luc. 1.*

Si baptizatus est Christus & pariter circuncisus,vt nobis esset exemplo, quare Paulus circuncisus, cæteros circuncidi prohibuit? Dixit enim,Si circuncidimini, Christus nihil vobis proderit. Cur igitur alterum nouit vtile,alterum autem fore damnosum iudicauit? Cur nō magis præceptorem sequi debemus, quem vt imitaremur,præbuit se in exemplum,dicens: Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci & vos faciatis? Nónne & Hieronymus de Christi imitatione locutus ait, Omnis Christi actio, nostra fuit instructio? vnde *Galat. 6.* igitur hausit diuus Apostolus,quòd circuncisio nihil valeret in Christo Iesu? Nónne idem debebat dicere de baptismo, quem pariter & pro nobis Christus susceperat à Ioanne baptista, cùm ipse baptizari non indigeret? non enim maior ratio est de vno quàm de altero. Cur ergo Paulus alteram abolitam nouerat, & alterum tanquam ex præcepto tradiderat faciendum? Quid er-

go ad hæc dicemus quæ ſic ad inuicem pugnare cernimus? Idcirco & huic præter id quod de circuncifione aliâs locuti ſumus, placuit modo dicendum, quòd circuncifio vſque ad Chriſtum dũtaxat indulta fuit. Abraham
Gen. 17. enim circuncifionem in Chriſto promiſſo acceperat, vt videlicet tamdiu circuncifio curreret, quamdiu Chriſtus naſceretur promiſſus Abrahæ, qui omnes gentes iuſtificare venerat per fidem, qua & Abraham iuſtificatum
Gala. 3. nouimus. Qua in re & Chriſtus circuncidi debuit, vt ipſe probaretur eſſe qui Abrahæ promiſſus fuerat, & ita vt de cætero circuncifio ceſſaret completa promiſsione.
Baptiſmus perpetuus. Baptiſmus verò ceſſare non debuit, quia forma renaſcibilitatis eſt à Chriſto incœpta, & non prius data, & curſum ſuum tenens vſque ad conſummationem ſæculi. Ad aliam verò ſæpius dedimus reſponſum, pariter & ad obiectiones ſuperius memoratas, & taliter, vt in præmiſſis nulla remaneat contradictio. Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

CONTRAPO. CXLII.

Mar. 8. *Opera Dei cælanda mandantur.*
Luc. 5. *Narra quanta tibi fecerit Deus.*

Si opera Dei cælanda mandantur à Chriſto, cur alibi præcepit manifeſtãda? Enimuero cęco ſanato mandauit, dicens: Si in vicum introieris nemini dixeris, ſed econtrariò præceperat homini, quem à dæmonio curauerat: dixit enim, Redi in domum tuam, & narra quan-
Ioan. 14. ta tibi fecerit Deus. Non enim credendum eſt, quòd ille qui ſumma veritas dicitur in abſtracto, cōtrarius ſe habuerit in huiuſmodi ſententiis, & quod in vna conceſſerit in altera negauerit. Idcirco vt has concordes reddamus, dicamus ipſum verũ dixiſſe in vtraque. Qua in re ſi diligenter attendimus, agnoſcemus dominum miſiſſe vtroſque in proprias domus, vt & familia in illis habitans, tanquam fidelis redderetur particeps tanti beneficij collati: addidit tamen illuminato cæco, ne vicum introiens alicui diceret. Cauſam autem ſi contemplari placuerit, dicemus id dominum feciſſe vt oſtende-

ret quòd opera Dei mirifica non omni homini indifferenter sunt aperienda, neque manifestanda, ne indignis & incredulis deliramentis similia esse videantur, sed domui fideli duntaxat reuelanda veniunt, quæ ob acceptũ beneficium Deo gratias agat. Et quod opera Dei magna & mirifica non omnibus sint referenda edocemur à Christo, qui de monte Thabor descendens, mandauit Apostolis, vt nemini palàm facerent visionem quam viderant, donec à mortuis filius hominis resurgeret. Idcirco regius Vates, cui incerta & occulta diuinæ sapientiæ nota facta fuerant, ne tanquam legis Dei transgressor haberetur, decreuit abscondere in scrinio cordis sui eloquia Domini, dicens in Psal. In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi: quem sensum secutus fuerat ille, qui filium adhuc tenellum erudiens, ait: Sacramentum regis abscõdere bonum est. Pariter & Esaias scriba, dum ea quæ reuelante angelo didicerat sacramẽtis plena, non nisi mandante Domino, aliquibus mundis & purificatis palàm fecit. Mandat igitur Christus ne in publicum deferantur opera per ipsum facta, forsan duplici causa, siue ne de se iactanter quærere videretur, vel quia refutauit testimonium haberi hominum commorantium in vicis & in plateis. Sic ergo præmissis intellectis, in nullo prorsus contrariari cernuntur.

Opera Dei non omnibus reuelãda.

Mat.17.

Psal. 50.

Psal. 118

Tob.12.

3. Esdra 8

Mar.8.

CONTRAPO. CXLIII.

Christi discipulus dicitur qui reliquerit omnia. *Luc.14.*
Christi discipulus dictus fuit Zachæus diues. *Marc.13.*

Si Christi discipulus solus ille dicendus est, qui omnia propter ipsum reliquerit, cur Matthæus inter Christi discipulos annumerauit pariter Zachæum diuitem, quẽ tantum commendauerat Christus, vt diceret eum filium Abrahæ esse? Et quod de Zachæo dicimus, hoc pariter de Cornelio, & de mulieribus Christum sequentibus ac illi ministrãtibus de suis facultatibus arbitramur fuisse dicendum. Idcirco & has conciliantes, placuit dicendum quòd Apostolus paucis hunc sensum absoluit, dum de his temporalibus locutus, ait: Qui habent, sint *1.Cor.7.*

quasi non habentes:& qui vtuntur hoc mundo,quasi nō vtantur:& qui emunt,tanquam non posidētes. Qui ergo hæc sic habet, quasi non habeat, reliquisse videtur. Qui enim non præsumit de his,neq; se iactat,sed humiliter incedit,non tantùm vita,& habitu, sed etiam mente & animo,dispensatorem & ministrum se harum rerū intelligēs, omnia sua reliquisse cernitur propter Deum. Hoc enim ritè relinqui dicitur quod recedit à desiderio. Nec quispiā ob hoc Christi discipulus esse desinit, quia diues est: quia si talis non fictè humilis factus est, inter huiusmodi pauperes annumerari potest.Nam Abraham opulentissimum fuisse legimus auro, argento, familia, pecore, & possessione:& tamen sic diues, quia humilis fuit,idcirco pauperis nomen non amisit. Vtique pauper sic dicendus est, qui licet opulentus sit, licet bonis & diuitiis affluat, facultatibus vndique abundet, nec ob hoc cor habet intentum ad illa,hic veri pauperis Christi nomen retinet. Qua in re vt tales essent diuites huius sæculi, talem sibi formā tradiderat Apostolus vt diceret scribens discipulo Timotheo,diuitibus huius sęculi præcipe non sublimè sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum suarum,sed in Deo viuo,qui præstat nobis omnia abundé.Pariter & Propheta regius diuites instruens, vt sic essent pauperes,ait in Psal.Diuitiæ si affluant nolite cor apponere.Hinc & Christus vt se in formam daret,cùm esset diues, pauper effectus est,& taliter vt nō haberet vbi caput suum requiei daret. Qua in re mortales citans ad sui imitationem,excitans dixit: Vulpes foueam habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Hūc ergo humilem imitemur, si discipuli eius effici cupimus.Hunc imitemur qui seipsum exemplo tradens, ait: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Et sic ex prædictis liquidò patet quomodo renuntiantes omnia illum sequi debeamus.

Diues quando pauper ritè dicatur. *Gene.13.* *1.Tim.6.* *Psal.61.* *2.Cor.8.* *Christi egestas.* *Luc.9.* *Mat.11.*

CONTRAPO. CXLIIII.

Ioan.1. GRatia & veritas per Christum facta est.
Rom.7. *Lex sancta fuit ac omni veritate plena.*

Si, teste Ioanne, gratia & veritas per Christum facta fuit, ergo ante ipsum gratia nō erat. Et si ante ipsum non erat, quomodo à Deo lex data est, in qua veritas nulla erat? Nam si vera non erat lex, cur Paulus sanctam eam dixerat & bonam? Idcirco conciliantes præmissa placuit dicendum, quòd licet lex manifesta haberet præcepta emanantia ab illa vnica veritate, nihilominus veritas in illa contenta non fuit apertè monstrata nec reuelata nisi per Christum, cui datum erat aperire librum, & soluere signacula eius, vti Ioannes in mysterio se vidisse attestatus est. *Apo. 5.* Nam ad ipsum tanquam ad finem se referebat lex: inquit enim Paulus, Finis legis Christus, fit ergo veritas per Christum, dum ea quæ in dubium veniebant, quid significent intelliguntur. *Rom. 10.* Nam licet lex per Mosen data reos constitueret præuaricatores, gratia tamen promissa in lege adueniens, donatis peccatis peccatores morte priuauit. Fuit autem data gratia, vt quod præceptum prius fuerat, ex Dei dono custodiretur, sed veritas facta, vt oblata obseruatione vmbrarum, quod promissum erat, ex Dei fide præsentaretur. *Gratia cur data.* Ipsa verò lex cùm impletur, gratia & veritas efficitur. Quarum altera ad charitatis plenitudinem, altera autem ad prophetiarum impletionem pertinere agnoscitur. *Lex quomodo gratia efficiatur.* Et quia vtrunque per Christum, idcirco ipse de suo aduentu locutus ait, Non veni soluere legem, sed adimplere. Nec sic intelligendum est, quòd per Christum adderētur legi quæ deerant, sed vt fierent quæ in illa scripta vel prophetata fuerant, quod & ipsa eius verba liquidò attestantur: Non enim ait, Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec addantur quæ illi desunt, sed ait, Donec omnia fiant. *Mat. 5.* Decens ergo erat primùm legem dare, postea misericordiam quæ tunc fit gratia, dum donat peccata. Veniet enim inquit, ex Syon qui eripiat & auertat impietatem ab Iacob. *Esa. 59.* Hæc ergo promissio, per Christum facta est gratia, dum donat gratis peccata. Quomodo ergo donaret peccata si non prius legem dedisset, per quā reis factis venia largiretur? Nam non daret, nisi quod sibi debebatur, deberi autem non poterat nisi præcederet

lex. Epilogãdo ergo quæ prætulimus, dicamus quòd nõ ob hoc sequitur, quin lex bona, sancta, & vera dicatur: licet sub cortice eius occultaretur veritas, contenta sub enygmatibus & figuris, quæ per Christum ad plenum fuerunt reserata & manifestata. Hinc non ab re contemnendus est error quorundam Talmudistarum dicentium in libro Hinebin, quòd magis existimanda sit auctoritas suorum sapientum quàm verba legis, addentes in fauorem huiusmodi erroris & dicentes, quia qui contra auctoritatem suorum sapientum aliquid commiserit morte plectendus est, quod nequaquam minatur lex, quæ duntaxat absque vlla pœna, aut præcipit, dicens: Fac hoc: aut prohibet, dicens: Non facias hoc. Et sic patet solutio.

CONTRAPO. CXLV.

Ioan. 17. *CHristus attestatus est se non rogare pro mundo.*
1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus qui rogat pro toto mundo.*
Cùm Saluator noster ascẽsurus ad cœlum acad patrem conuersus attestatus sit se non rogare pro mundo, cur oppositum sensit dilectus discipulus? vtique di-
Ioan. 17. xit, Aduocatum habemus apud patrem, deprecatorem pro peccatis nostris, & non solùm pro nostris, sed & pro vniuerso mundo. Idcirco si seriem huius apparentis cõtradictionis contemplari placuerit, clara luce videbimus quòd Saluator noster, dum cœlos scanderet, idcirco non rogauit pro mundo, quia adhuc non fecerat il-
Ioan. 1. lum dignum suæ precationis, causa autem, quia mundus
Lucæ 18. non cognouerat eum filium Dei esse, quinpotius eum persecutus, illuserat & flagellauerat. Rogat autem pro discipulis, quos verbo suo ab omni infidelitatis erugine iam purgauerat, & taliter vt eum verum Deum esse crederent & prædicarent populis. Ioannes verò, qui eum verum deprecatorem ac aduocatum nouerat pro omni populo, nõ fuit his oppositus: iudicauit autem eum esse deprecatorem pro peccatis omnium. Hoc autem duplici genere, aut duplici causa fieri dignoscimus, aut videlicet vt sui fideles tuti à diaboli infestatione præstentur,

qui(teste Petro) tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret,aut pro illis rogat qui in se non credunt, vt cùm à peccatis suis & perfidia semoti fuerint, bonitas & patientia illos expectet.Non enim postulat Christus vt istis diffidentibus ignoscamus peccata,sed vt dilationem accipiant longam, vt si se expugnauerint ab huiusmodi fæce incredulitatis, & crediderint in eum qui iustificat impium,dimittantur illis delicta.Nam dum in incredulitate sunt permanentes,nulla illis prodest deprecatio,quia fides reputatur esse fundamentum totius ædificij spiritalis,sine qua, vt Pauli sententia est, impossibile est placere Deo. Sic igitur intellectis præmissis ab omni contradictione illæsa seruantur.

1.Petr.5.

Galat.3.

Hebr.11.

CONTRAPO. CXLVI.

Discipuli omnes fugerunt relicto Christo.
Adolescens quidam sequebatur Christum. *Mat.26.*

Si(Matthæo teste)sic conturbati ac territi fuêre Apostoli in Christi captione,vt eo relicto omnes fugam peterent,quid est quòd Marcus,qui huiusmodi captioni non interfuerat, aliud sensit? asserit enim fuisse quendam iuuenem siue adolescentem qui cæteris fugientibus secutus est Christum.Vtique quod præfatus dixerat, hoc Petro referente audierat:cur ergo alteri fuit oppositus?Et quod magis est,etiam sibi ipsi contrarius fuit. Dum enim hanc captionem texeret,prænotatæ suæ sententiæ eo in loco præmisit, dicẽs:Tunc discipuli eius relinquentes eum omnes fugerunt. Et si omnes fugerunt, nullus fuit qui sequeretur eum : quî igitur dicemus ad hæc,quæ nonnihil contradictionis inter se continere videntur?Elaborandum ergo est,vt & has reddamus concordes eósque vera dixisse ostendamus. Idcirco arbitramur dicendum,quòd licet ille adolescens,quem nonnulli opinati sunt Ioannem Euangelistam fuisse non petierit fugam in initio illius furibundæ captionis, fugit tamen postea dum relicto sindone in manu cupientis se capere,nudus ab illo profugit,vt prænotatus Marcus eo in loco adiecit.Quo stante,seruatur litera vtrobique ab

Mar.14.

omni controuersia illæsa:stat enim quòd omnes discipu li sic perterriti in illa captione fugerent, & quòd Ioannes omnium nouissimus fugam peteret. Nam quia ardentius diligebat magistrum, idcirco Christum secutus vt videret finem, fugam suam distulit, quousque & ipse ab inimicis caperetur. Et sic locum habuit quod Christus in cœna dixerat, videlicet, Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Et sic patet quid dicendum.

Ioannis dilectio.

CONTRAPO. CXLVII.

Ioan.18. PHarisæus commendandus in Euangelio.

Ibidem. *Pharisæus culpandus eo in loco.*

Cur ille culpandus est qui templũ ingressus, conuersus ad Deum gratias illi egerat de bono peracto opere? Nónne Paulus in plerisq; locis suarum Epistolarum fideles monuit gratias Deo referre de acceptis muneribus? ait enim scribens Ephesiis: Gratias agentes semper pro omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi, Deo & Patri. Et ad Thessalonicenses pariter dixerat, In omnibus gratias agentes. Nónne & Euangelicus seruus præbuit se laudandum, dum conuersus ad patremfamiliâs suámque commendans industriam confidenter ait, Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum? Nónne & iusti etiam se laudaturos de bono opere introducuntur in die finali, dum coram iudice astantes dicturi sunt, Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus te? sitientem, & dedimus tibi potum? aut nudum, & cooperuimus te, &c. cur ergo de bono peracto opere reprehenditur pharisæus iste, qui econtrariò commendari debuerat? Nec obstat, quia iustitiã suã attendit facere corã hominibus, quia (vt refert Euangelista) ea quę dicebat, apud se dicebat, & in secreto cordis. Idcirco ne præmissæ tanquã discordes relinquantur, dicendum arbitramur, quòd pharisæus iste non ob hoc increpatur à Domino, quia Deo gratias egit de bono opere à se facto, sed quia veluti iustus nil addi sibi cupierat, quinpotius fumo tumescentis superbiæ obcæcatus, oculum rectæ mentis adeò fuscauerat, vt cæteris

Ephes.5.
1.Thess.5.
Mat.25.
Mat.6.

teris despectis specialiter bonus videri appetierit, dū videlicet sub quadam generalitate, omnibus(vt ita dicā) infra se positis suáque prępónderans merita omnibus se prætulerat,dicens: Non sum sicuti cæteri hominum, raptores,iniusti,adulteri,&c.Totum enim se habere putauerat qui nihil in se habebat nisi iactantiam, totū se habere iudicauit qui nihil tanquam egenus petiit. Meritò ergo tanquā superbus increpandus est, qui cæteros tanquā iniustos spernens seipsum duntaxat laudare curauit. Vnde ergo superbus, nisi quia se super alterum de ipsis bonis extollebat?Nam qui sic vult fortis esseveluti de se præsumens ac sua merita iactans qualiacunque illa sint, pharisaico nomine titubare censetur, qui quod à Deo receperat, suæ industriæ applicari curauit. Idcirco quisquis es ô homo,si aliquid boni in te esse cognoueris, nō ex te esse quod bonum est iudicabis, sed à Deo illud te accepisse profitere,qui illud absque meritis tuis tibi tribuit. Idcirco audi Paulum tibi dicentem, Quid habes quod non accepisti?Nam si secus feceris,& te super aliū non habentem donum extuleris, nunquid vanus laudator eris ac inter seruos nequam meritò nuncupaberis? Proinde licet hic pharisæus habuerit oculum ad referēdas gratias Deo,ad eleemosinas faciendas & ad ieiuniū, recusauit tamē habere oculum ad humilitatis custodiā: ob quod meritò increpādus erat.Nam Deus à nobis rogandus est,vt non solùm sua bona conferat nobis, sed etiam vt tanquam filiis dimittat noxam, iuxta illud, Dimitte nobis debita nostra. Quanquam præmissa ad spiritalem sensum deducētes possemus ad illa dicere,quòd illi duo homines,videlicet pharisæus & publicanus, typum gerunt duorum populorum.Pharisæus quidem de meritorum excellentia inaniter se efferēs,Iudaicum populum figuraliter exprimit, qui de acceptæ legis obseruantia tumuit,redemptorem suum superba mente suscipere detractans. Sed per publicanum, qui se humiliando suáque peccata confitendo exaltari meruit, populus gētilis designatus est, qui Apostolicæ prædicationis veritate suscepta, falsarū numina deseruit, suúmque crea-

Pharisæ⁹ superbus dictus.

Mat.18.

Deus cur rogandus à nobis.

torem condigna pœnitudine ſibi propitiare contendit, cui dignæ ſatis exaltationis contigit, vt qui prius fuerat mancipium diaboli, efficeretur filius Dei: qui quoniam conuerſus ad Deum peccata ſua recognouit & ſcelerum ſuorum perfectè pœnituit, idcirco non ſolùm veniam, ſed etiam vt populum Iudæorum fidei dignitate præcederet, accepit. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CXLVIII.

Lucæ 6. *1. Ioan. 2.*

Diligite inimicos veſtros, ait Chriſtus.
Nolite diligere mundum, dicitur alibi.

Si inimicos noſtros Chriſto mandante tenemur diligere, cur Ioannes qui cum Domino præceptore fuerat, prohibuit mundum diligere? per quẽ homines mundum inhabitantes intelligendi ſunt, continentem videlicet accipientes pro contentis, vt moris eſt ſcripturarum. Quem ſenſum iſdem Ioannes ſecutus eſt in exordio ſui Euangelij dum de hominibus Chriſtum non agnoſcentibus per fidem ſub mundi nomine locutus ait, *Ioan. 1.* Et mundus eum non cognouit. Idcirco & hanc conciliantes dicendum placuit quod de illis inimicis locutus eſt Dominus in primo, quos per noſtram patientiam & charitatem ad ſalutem poſſe conuerti non hæſitamus. *Inimicus magis diligendus quàm amicus.* Nam ſic plus diligendi ſunt inimici quàm amici. Qui enim ſic ſunt inimici, corpori aduerſantur, ſed animæ præparant æterna præmia. Qui autem amici ſunt, carnis noſtræ ſuauia nobis ſuadere contendunt, quæ animæ noſtræ præparant ſupplicia æterna. Idcirco magis ſunt diligendi illi quàm iſti. Et nemo dicat, quia aliquid minus faciendum nos monuit Ioannes, & plus nos monuit Dominus Chriſtus, quia Ioannes vt fratrem diligamus monuit, ſed Chriſtus inimicum pariter diligendum præcipit. Idcirco attende diligenter, quare te monuit Chriſtus vt diligas inimicos. *Inimicus quomodo diligendus à nobis.* Nũquid vt ſemper inimici remaneant? Si ad hoc te monuit vt inimici remaneant, odiſti non diligis. Sunt ergo diligendi inimici regno Dei lucrandi, & econuerſo ſunt odio habendi amici, & propinqui, ſi à regno Dei impediunt. Optare ergo

debes tuo inimico, vt tecum vitam æternam habeat, quē si sic dilexeris, non solùm amicus, sed & filius Dei esse mereberis. In ipso enim inimico, non quod est, sed quod in eo esse volumus diligamus, & sic ad vnguem Domini præceptum seruabimus. Opta igitur vt inimicus frater tuus efficiatur, vt postmodum vna cum illo possis dicere ad Deũ conuersus, Pater noster qui es in cœlis. Nã si sic illum dilexeris, fratrem scio te dilexisse. Quapropter perfecta dilectio in inimici consistit dilectione, quia perfecta dilectio est in dilectione fraterna. Manichæi verò & illi qui eos sequuti sunt, falso colligunt ex hac Christi sententia, quod non solùm homines, sed & dæmonia tenemur diligere, quia & illi inimici nostri sunt. Quod si ita est, quis non istam detestatur amentiã? Non enim diabolus, qui extra terminum merendi est, potest ad Deum conuerti, vt iterum bene sit illi. Epilogantes ergo quæ suprà memorauimus, dicamus quòd diligendus est inimicus homo, vt filij cœlestis patris efficiamur, qui solem suũ oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Sic igitur intellectis præmissis, nil contradictionis continetur in ills.

Inimico quid optãdum.

Mat. 6.

Perfecta dilectio.

Manichæorum error.

Mat. 5.

CONTRAPO. CXLIX.

EGo dormio dicit in canticis Dominus. *Cant. 5.*

Dominus non dormitabit neque dormiet. *Esa. 5.*

Quomodo dormire dicitur ille, qui semper vigilans spiritalē Israëlem, hoc est fidelem & iustã animam custodit continué? Nónne alias pluribus in locis præfati sumus quòd vigilare seu dormire Dei ac cætera his similia, quæ de Deo sacra scriptura narrat, non secundum literam sed figuratiua locutione accipienda sunt? Mos enim humanæ locutionis & vsitatus est, vt humanę infirmitati congruat, cui Deus cooptat locutionem suam. Quia omnipotens Deus in essentia suæ diuinitatis spiritus est non caro: inuisibilis enim est atque incorporeus, nullísque humanis membris compositus. Idcirco & prænotatus Vates de eo locutus dixit, Non est deficiens neque laborans, non dormitabit, neque dormiet.

Psal.119. Et alter in psamo dixit, Ecce non dormitabit neque dormiet custodiens Israël. Quanquam secundum alium sensum possemus dicere, quòd Deus tunc dormire dici- *Deus cur dormire dicatur aliquando.* tur, dum interdum sua nimia victus clementia, vindictam retardat super peccatorem hominem exequendã. Secundum quem sensum locutus est Apostolus in illa Epistola quæ ad Romanos directa est, ait enim pecca- *Rom. 2.* torem alloquens, An ignoras diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis eius contemnis? & rursus, Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? pariter & alter Propheta de huiusmodi retardatione vindictæ admiratus ait conuersus ad Deum, *Abac. 2* Quare non respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se? Proinde Vates regius ipsum *Esa. 43.* excitans ait in psalmo, Quare obdormis Domine, exurge & ne repellas in finem. Quem & nos imitati accedentes ad illum dicamus humiliter, Domine exurge & euigila & salua nos, quia te dormiente in corde nostro, *Mat. 8.* perimus. Nam sicuti Christo dormiente nauicula fluctuabat in medio mari, sic dormiente fide eius in corde nostro, agitatur fluctibus nauis nostra, & in peccatorum *Cor nostrũ nauis nostra dicitur.* profundum demergitur. Nauis enim tua cor tuum est. Deus verò in naui est fides sui vnigeniti in corde tuo. Si ergo memor eris fidei tuæ bene viuendo, nõ fluctuabit cor tuum: secus autem si fidei oblitus eris. Tũc enim in te Christus dormire dicitur, dum eius passionis obli- *Christus quando in nobis dormit.* tus eris. Idcirco si cupis vt ille in te vigilet, excita eum, & roga vt super te tanquam speculator vigilet. Dic ergo, Exurge Domine in adiutoriũ mihi, dic animæ meæ, Salus tua ego sum. Exurge quare in me obdormis Do- *Psal. 34.* mine? Nónne cernis, quia te dormiente mergor in peccatorum laqueum? Si ergo eum vigilantem in te habere cupis, habe firmam fidem penes illum, ne secus faciens tanquam incredulus ab illo arguaris, qui titubanti Petro ait, Modicæ fidei quare dubitasti? Quem si sic humiliter excitabis à somno, proculdubio surgens *Mat. 8.* in adiutorium tibi imperabit ventis & mari, & magna fiet tranquillitas in corde tuo, & taliter vt amplius

non fluctuet. Et sic patet quid fuerat ad præmissa dicendum

CONTRAPO. CL.

Qui viuit in æternum creauit omnia simul. Eccl. 18.
Ecce noua facio omnia, dicitur alibi. Apo. 21.

Nam si Deus (Sapiente teste) sic ab initio simul creauit omnia, vt nil nouum deinceps creare videatur, quomodo verum erit, quòd nouam creaturam in extremo tempore esse constabit, vti Ioãnes voce Dei attestatus est? Qua in re & hanc pariter conciliantes placuit dicere, quòd id quod in tempore nouum fieri dicitur, non est nouum apud Deum, qui cõdidit tempora, & sine tẽpore habet omnia, quæ suis quibúsque temporibus pro eorum varietate distribuit. Mutabilium enin dispositionem immutabilis ratio cõtinet, vbi sine tempore simul sunt, quæ in temporibus non simul fiunt, quia tempora non simul currũt. Ordo enim temporum in æterna Dei sapientia sine tempore est, nec aliqua (vt prætulimus) sunt apud Deum noua, qui fecit quæ futura sunt. Idcirco Sapiens dixerat, Nec valet quispiam dicere, Ecce hoc recens est. Iam enim præcesserũt in sæculis quæ fuerunt ante nos. Nihil enim fit visibiliter & sensibiliter, quod nõ de inuisibili & intelligibili summi Imperatoris aula exeat. Vel dicamus ad alteram, quòd trifariè (vt Augustini sententia vtar) noua creatura dici potest, quæ per Trinitatem ita disponitur, vt Deus pater omnem creaturam ex nihilo condiderit. Et hæc noua creatura nominatur. Idem Deus filius nouam dicitur creaturam facere, dum illam innouat per fidem, ad quem sensum Paulus locutus ait, Si qua in Christo noua creatura. Et alibi dicitur: Vt simus initium aliquod creaturæ eius. Deus quoque spiritus sanctus nouam facere dicitur creaturam, dum animam nostram ingreditur per gratiam, quam & innouans suo viuificat calore. Secundũ quem sensum pariter illa alia sententia intelligenda est, qua dicitur, Cœlum nouum & terram nouam faciet Dominus. Quod & locum habuit dum vnigenitus Dei filius

Gen. 1. *Ordo temporum in Deo sine tẽpore est.* *Ecc. 1.* *Nouũ aliquid dicitur trifarié.* *Sap. 2.* *2. Cor. 5.* *Iac. 1.* *Esa. 65.*

noſtram aſſumendo naturam, veterem hominem innouans, ſic purgauit, vt illum dignum Deo redderet, pacificans per ſanguinem crucis eius ea quæ in cœlis, & in terris ſunt. Vtique innouato homine, cætera omnia in-

Col. 1. nouata agnoſcuntur : cùm in illo tanquam in excellentiori & eminentiori omnia contineantur. Quod & illũ non latuit, qui de hominis perfectione & excellentia locutus, ait: Et dedit illi Deus virtutem continendi om-

Sap. 1. nia. In nomine enim ſic innouato per fidem cõtinentur cœli, continetur terra & omnia quæ in illa ſunt, & taliter vt hominem ſic innouans Deus dicere poſsit, Ecce ego

Eſa. 65. creo cœlos nouos, & terram nouuam, vt ſic innouati haberemus in ſpe, quod in re ad plenum habituri expectamus. Quanquam non ab re dicere poſſemus ſecundam intelligendam eſſe de nouitate extrema, qua innouanda ſunt omnia in fine temporum, quando videlicet hęc mundi figura tranſibit: quem ſenſum forſan fuit ſecutus

1. Cor. 7. Apoſtolus dum ait, Præterit enim figura huius mundi. Et hæc nihilominus noua creatura appellanda erit: ſecundum quem ſenſum & illa alia ſententia currit,

Eſa. 43. quæ voce eiuſdem Dei dicitur, Noua ego facio. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. CLI.

Luc. 11. *DAte eleemoſinam, & omnia munda ſunt vobis.*
1. Cor. 13 *Dare eleemoſinam nihil prodeſſe dicitur, alibi.*

Si tantę virtutis nouerat Chriſtus eſſe eleemoſinã, vt illam dantes à delictis omnibus mũdarentur, cur eius præco ſic paruifecerat illam vt diceret, nihil prodeſſe eam facienti? dixerat enim in illa poſteriori Epiſtola cui titulus inſcribitur ad Corinthios, Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, nihil mihi prodeſt. Idcirco has concordes curantes reddere, arbitramur dicendũ quòd Paulus his verbis nõ abſolutè dixerat

Charitatis efficacia. eleemoſinã nihil prodeſſe, quinimo charitatis virtutem innuens, oſtendit eleemoſinam nihil habere meriti ſine illa. profectò nec fides, nec quæuis virtus alia, aut opus ſine dilectione aliquid veritatis in ſe habere poteſt,

vti sanctus Gregorius iudicauerat: quo stante, nullatenus Pauli sententia verbis Christi apparet contraria: veruntamen moralem sensum in his secuti arbitramur dicendum, quòd de illa eleemosina potissimùm sententia Christi intelligẽda est, qua quisque sibi miseretur & parcit, demum compatiens in proximum donat iniuriam. Idcirco hanc ordinatè facere cupiens, à seipso incipiat, & eam sibi primò dare procuret. Nec enim alteri fructuose poterit misereri qui sibiipsi crudelis est. Hanc Augustinus diffiniens ait, Est enim eleemosina opus misericordiæ verissimæ, de qua dictum est, Miserere animæ tuæ placens Deo, redi ad conscientiam tuam quicunque malè viuis, & ibi inuenies animã tuam. Nam licet multa sint eleemosinarum genera, quæ cùm facimus adiuuamur, vt nobis dimittantur peccata, sed ea nulla est maior quàm cùm ex corde peccata dimittimus. Nam dare aliquid indigenti aliquando quæris & non habes, indulgere autem peccanti quantũ volueris tibi redundat, quia eleemosina cordis multo maior est quàm eleemosina corporis, & magis prodest. Profectò eleemosina charitatis sine terrena substantia sufficit: illa verò quæ corporalis dicitur, si sine corde benigno tribuitur, omnino nõ sufficit. Hæc autem primùm danda est iustis indigentibus, demum etiam peccatoribus, non quia peccatores, sed quia homines sunt. Idcirco Hieronymus ad hoc propositum locutus ait, Qui indigẽti eleemosinam tribuit, nec pro delicto spernit, misericordiam verè facit: natura enim respicienda est non persona. Qui enim dat indigenti peccatori, non quia peccator est, sed quia homo est, non peccatorem, sed iustum nutrit. Et infrà dixerat: Non memini me legisse mala morte mortuũ, qui libẽter opera charitatis exercuit. Habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri. Et sic patet quid fuerat ad præmissa dicendum.

Greg. *Luc. 11.* *Eleemosina vera quæ sit.* *Eccl. 30.* *Eleemosina maior quæ sit.* *Eleemosina cur peccatori etiã facienda.*

CONCILIATIO LOCORVM COMMVNIVM INTER SE PVGNANTIVM in Epiſtolis D. Pauli, & Canonicis.

TOMVS TERTIVS.

CONTRA PO. I.

Ephe.3. *GEntes fore hæredes Dei ignotum patribus.*

Gene.49 *Gentes fore hæredes prænotatis, notum alibi.*

Si Iacob Patriarcha, prophetico, euectus ſpiritu, dum morti proximus eſſet, prænuntiauerat gentes fore hæredes, quid eſt quòd Paulus eodem munitus flamine aliud dixit? An ne forſan ſcripturas non nouerat, quem ad pedes doctoris Gamalielis fuiſſe inſtructum minimè hæſitamus? Profectò Ephesios alloquens, ait: Aliis generationibus non fuit notum filiis hominum, ſicuti nunc reuelatum eſt ſanctis eius Apoſtolis & prophetis in ſpiritu gentes fore hæredes. Quibus ſic nouimus reſpondendum, dicentes nullã in præmiſsis eſſe contradictionem: non enim ab re ſuæ ſentẽtię Paulus inſeruit, filiis hominum: quia & his quibus dicit oraculum, Dij eſtis & filij excelſi omnes, non
Pſal. 81. fuit ignotum, ſed reuelatum in ſpiritu: licet non ita clarum, ſicut modo nobis qui ſpiritum filiorũ Dei accipere meruimus per Ieſum Chriſtum, cui & cohæredes regni cœleſtis effecti ſumus. Idcirco & hanc Pauli ſententiam ſic explanantes dicendum placuit, quòd ipſe non diffinitè dixerat aliis generationibus hoc omnino fuiſſe
Ephe.3. ignotum, ſed addidit, ſicut modò reuelatum eſt ſanctis eius Apoſtolis. Innuens ſic clarum non agnouiſſe Prophetas & Patriarchas. Vtiq; illis ſub quibuſdam figuris

& enygmatibus,nobis verò qui non noctis, sed filij diei 1. Thes.5.
sumus in ipso veritatis splendore,ac in ipso completo opere, vt gaudenter & confidenter possemus dicere cum Propheta regio,Nõ fecit taliter omni nationi:sed & clarius cum Euangelista,Et vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.Nam & Ioãnes Baptista,idcirco prophetis omnibus antefertur, quia quem cæteri aliquando venturũ prædixerant,ipse digito demonstrauit,dicẽs:Ecce agnus Dei.Et sic patet quid fuerat ad præmissa dicendum.

Psal.147 *Ioan.1.* *Ibidem.*

CONTRAPO. II.

Ecclesiam esse vnam testatus est Paulus. 1.Cor. 15.
Ecclesiis septem scripsit Ioannes *Euangelista.* Apo.1.

Si vnicam tantùm esse Ecclesiam, nouerat Paulus, quam & aliquando se fuisse persecutum commemorat, vnde hausit Ioannes septem fuisse Ecclesias in Asia,quibus se scripsisse attestatur?Nam & si vna tãtùm,quomodo septem? quòd si septem, quomodo vna est dicenda? vtique vna & non vna contradictoriè se offerunt. Idcirco vt has sententias faciamus concordes,arbitramur dicendum primam intelligendam esse vnam, vnitate (vt aiunt)generica, quam secum pati posse plures Ecclesias, specifica pluralitate distinctas minimè hæsitamus.Nam sicuti in vno corpore multa & varia membra contineri cernimus,sic in vna generalíque Ecclesia, multos ac varios fideles contineri nouimus, varia in se dona continentes. Nempe(vt Paulus ait) alij datur sermo scientiæ, alij sermo sapientiæ, alij fides, & cætera huiusmodi, quæ licet inter se distincta sint munera,sunt tamen omnia ab vno tantum collata spiritu,qui singulis membris tribuit prout vult,& quomodo vult.Nec locorum diuersitas hanc valet Ecclesiam separare, sic in spiritus vnitate adunitam, cui vnicum duntaxat est fundamentum,quod est Christus, præter quod aliud poni non potest (vti Apostolus nouerat) licet cum vnitate ista stet membrorum varietas, distincta meritis & muneribus (vt præmisimus)super quo fundamento septem columnas in titulum fuisse erectas non ambigimus, per quas

Logica. *1. Cor.11.* *Dona cœlestia distincta fidelibus.* *1.Cor.3.* *Prou.9.*

non ab re, ſeptem ſacramenta quibus fideles innouãtur ac coniunguntur Chriſto nobis repręſentantur. Vel dicas pariter, ſeptem dona ſpiritusſancti. quibus præ cæteris Chriſtus plenus fuit, vt ſic de eius plenitudine acciperent omnes in ſe credentes. Nec huic ſententiæ Pauli

Ioan.1. obſtat illa Ioannis, qui forſan & pluralitatem ſpecificam tangens ſeptem Eccleſiis ſcripſiſſe fertur, id eſt ſeptem nationibus fidelium, loco videlicet & patria diſtinctis & meritis. Quem ſenſum huiuſmodi pluralitatis Paulus

1.Cor.14 pariter ſecutus, aiebat: Sicuti in omnib⁹ Eccleſiis doceo. Et alibi hac vtens pluralitate dixerat, Mihi cura eſt omnium Eccleſiarum, id eſt populorum fidelium in vno ſimul ſpiritu congregatorum. Qui licet plura eſſent mẽbra diſtincta, erat tamen in illis cultu & fide vna tantùm

Act.4. Eccleſia, iuxta illud: Multitudinis autẽ fidelium erat cor vnum & anima vna, cuius caput & fundamentum Chriſtus erat. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. III.

Rom.8. *ADuerſarius quis, ſi Deus pro nobis?*

1.Pet.1. *Aduerſarium noſtrum eſſe diabolum, alibi legimus.*

Si nullum nouerat Paulus eſſe aduerſarium noſtrũ, dum nobiſcum deus adiutor eſt, cur Petrus nulla vſus exceptione, aduerſarium noſtrum eſſe dixerat diabolum? Nónne quod ambo dixerant ab vnico fonte ſuſceperant? Idcirco & huic dicendum placuit, quòd de illo aduerſario locutus eſt Apoſtolorum princeps, quem hoſtem antiquum fuiſſe nouerat ab initio tẽporum quod

Gene.3. in pleriſque locis Scriptura commemorat. Profectò hoſtis iſte ſtatim quòd ſuis exigentibus demeritis è cœlo eiectus eſt, paradiſum voluptatis ingreſſus inuaſit hominem, quem & ſuggeſtione ſathanica tentare curauit, vt creatore deſerto conſentiret vxori præuaricatrici, & ſic in certamine ſuperans, lethaliter ſauciauit, omnibúſque bonis priuatum, tãquam inermen & nudum dereliquit.

Apoc.13. Hunc igitur ſi nos fidei armis muniti, certantes vicerimus, regnũ iſtud ingreſſuri ſumus, quo ipſe eiectus eſt. Quod & facilè poterimus facere, ope & virtute illius

agni, qui vt nobis esset victoria cōtra hunc hostem oblatus & occisus fuit ab origine mundi, vt Ioannes in suis Reuelationibus fuerat attestatus. Nec Paulus negauit in prima illum non esse aduersariū nostrū, sed innuit illum nil contra nos posse, dum diuina protectione sumus muniti: cui & cōsonè dixerat alter, dū ait: Et quis est qui vobis noceat si boni æmulatores fueritis? Quāquam & de aduersatrice lege (vt alibi dicturi sumus) prima possit intelligi, quia nobiscum Deus esse dicitur, dum illam (vt decet) obseruamus & custodimus concordésque illi inuenimur in opere. Et sic patet quid dicendum.

Aduersarius quando nihil in nobis possit.

1. Pet. 3.

CONTRAPO. IIII.

Rom. 2.
Gala. 5.

Circuncisio legem custodienti prodest.
Circuncisionem nihil prodesse, dicitur alibi.

Si nihil proficere circuncisionem nouerat Paulus, quomodo poterat proficere custodienti legem? Non enim dicendum est Apostolum sibi mētitum fuisse contraria tangentem, cùm veritatis præco esset effectus. Idcirco & huic sic placuit dicendum, quòd Paulus ob hoc primùm Romanis scripserat, vt neuter populus offenderetur, qui ex Iudæis & gentibus quæ crediderant fuerat collectus, ostendens esse licitum vtranq; plebem suū priuilegiū possidere, vt nec gentiles circūciderentur, nec circuncisi adducerent præputium, sed ad Galatas qui ex gentibus duntaxat credentibus collecti erant, alio fuit vsus argumento. Vtique prænotatis circuncisionem nihil prodesse attestatus est, si post euangelium iterum ad legalia reuerteretur elementa. Vel dicamus si placet, & forsan melius, quòd de duplici circūcisione fit in præmissis mentio, de carnali videlicet & de spiritali. Quorum altera in abscisione pelliculæ præputij, altera verò in membris interioris hominis perficienda est: Nempe priorem patri nostro Abrahæ in signum sempiterni fœderis collatam nouimus. Ad quem nos qui Christi fidei ascripti sumus minimè teneri credimus, cùm simus per Christum ab illa soluti, nec stemus amplius ante tribunal iustitię seuerum & igneū, sed ante tribunal gratiæ

Circuncisio duplex.

Tribunal duplex.

pium & aqueum. Et de hac fit in secunda locutio quæ nihil in Christo proficere potest. Sed ad alteram in meliori perficiendam homine sub præcepto tenemur omnes qui sub principe Christo militamus. De hac enim le-
Deut. 10. gislator Moses præuētus vaticinio, populum crediturum
Spiritualis circuncisio. alloquens, ait: Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuũ, vt diligas ipsum ex toto corde tuo, & in tota anima tua. Quod & ad vnguem fuit adimpletum per Christum, qui huiusmodi spiritalis circuncisionis (Paulo teste) minister
Rom. 15. extitit. Idcirco tradens præceptum de huiusmodi circun-
Mat. 5. cisione dixit, Si oculus tuus scandalizat te, erue eũ: si pes tuus, abscinde eum. De hac pariter & Paulus Coloss. al-
Coloss. 2. locutus ait: Circuncisi estis circuncisione non manufacta: Qua circuncisione nisi (vt præcipit) circuncisi fuerimus nos qui crucem Christi portamus in fronte, minimè saluari valemus, quinpotius & nostra credulitas, tanquam inanis & vacua in præputium reputabitur. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

CONTRAPO. V.

Galat. 5. *Circuncisionem abolitam nouerat* Paulus.
Act. 16. *Circuncidit & ipse Thimotæum discipulum.*

Si nil vtilitatis attulerat circuncisio (vt iampridem præfati sumus) cur Paulus Thimotæum discipulum cir-
Circuncisio quãdo de cõsilio. cuncidit? Nónne ipse prius facere debebat, quod faciendum verbo docuerat? Quibus sic arbitramur dicendum, vtrunque de consilio fuisse in initio nascentis Ecclesiæ, videlicet circuncidi, & non circuncidi, cum non decuerit statim repelli circuncisionem, tanquam inanem & vacuam, ne in patrum (quibus fuerat collata) verteretur iniuriam. Nec minus licebat ea vti tanquam de præcepto, ne ob hoc scandalum esset pusillis venientibus ad fidem, sed paulatim illam deponere quousq; infirmi & adhuc in fide debiles, cibo solido apti essent vt deducti ad intellectum perfectum potuissent discernere inter
Circũcisio quãdo abolita. diem & diem. Quo ad plenum habito, eam fore inanem & vacuã ac absque merito liceret asserere omni volenti credere. Idcitco non fallaci simulatione, sed prudenti ac

ſalubri conſilio vſus fuit Apoſtolus circuncidens diſcipulum. Quanquam prænotatus liquidò cerneret nil beneficij circuncisionem conferre, quam iam præmonſtrauerat meritis fuiſſe mortuam cum ſynagoga, per aduentantem nouã Eccleſiam. Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

CONTRAPO. VI.

Deus quem vult indurat. Rom. 9.
Deus vult non omnes ſaluos fieri. 1. Tim. 2.

Si Deus cui vult miſeretur, & quẽ vult indurat, quomodo verum erit quod ex aduerſo dicitur, quòd videlicet omnes homines ſaluos fieri velit? Quem enim indurare dicetur, ſi omnes ſaluos facere intẽdit? Et huic ſic reſponderent moderni Theologi dicẽtes, ſecundam eſſe intelligendam de voluntate antecedente, & non conſequente, quæ mandatorum obſeruantiam ſecum neceſſariò videtur admittere. Quanquam & illos potiſsimùm Deum indurare fatemur, quibus intãtum parcit, vt mala talium increſcentia ad pœnæ terminum protrahantur, cùm illis non velit ſubitam inferre vindictam. Vel potius dicas, quòd illos dicitur indurare, quos ſua clementia mollire nequiuerat, ipſis ſic ex aduerſo ſe opponentibus. Nam ſicuti eadem caloris virtute, ſol quidem ceram ſoluit, limum verò arefacit & ſtringit, ita eodem inſtanti temporis alteri miſeretur Deus, & alterum indurat: cauſa autem nobis occultiſsima, ſed ęquiſsima. Nec ſine iuſta cauſa indurat quempiam, ſeu deſerit nolens illi auxiliari: ait enim Auguſtinus, Quærimus meritum obdurationis & inuenimus. Merito nanque peccati vniuerſa maſſa damnata eſt. Nec indurat Deus impartiendo malitiam, ſed non impartiendo miſericordiã: in eo enim cui miſeretur, eius agnoſce gratiam: in eo verò quem indurat, permitti eius demerita crede. Vtique hominem indurare non eſt duritiã in cor eius cauſare, ſed deſerere illum in ſui arbitrij libertate, non molliendo per gratiam: eos enim ſic indurauerat Deus ſeu deſeruerat, de quibus ore Prophetico dixerat locutus in

Quos indurare Deus dicatur.

Deus quãdo hominem deſerit.

Psal.80. psal. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorũ, ibunt in adinuentionibus suis. Quanquam forsan, & non ab re, possemus dicere quòd hæc induratio sit pœna impietatis ac incredulitatis talium, sicuti econuerso dicendum placuit, quòd præcedentis fidei meritis tribuendum venit quòd misereatur aliquibus. Nec locum querimoniæ apud Deum habent sic indurati, qui iustus iudex vbilibet in scripturis esse comprobatur. Licet ad illam Apo-
Psal. 118. stoli sententiam adhuc possemus dicere, sic illam intelligentes, vt sit sensus: Deus vult omnes, &c. hoc est dictu, Nullum hominum saluum fieri decernit, nisi quem saluum fieri ipse voluerit. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. VII.

Roma.8. *Filium Dei se fore expectabat Paulus.*
1.Thes.5. *Filium Dei se esse alibi dixerat idem.*

Non enim consecutũ dicitur illud, quod in posterum vt quis consequatur, expectat aliquando: Nam & per baptismatis lauacrum non tantùm Deo regeneramur, sed & filij illius efficimur: quid ergo amplius expectandum est, si iam illud consecuti sumus? Et huic quæ nullam in se contradictionem continere cernitur dicendum placuit, quòd illud idem quod per baptismatis sacramẽtum consecuti sumus per gratiam, illud idem per fidem speramus nos consecuturos per gloriam, licet alio modo. Nã hîc per fidem vnigeniti filij Dei, illic verò per speciem, quando videntes illũ transformabimur in eandem imaginẽ. De hac enim filiatione expectanda Ioan-
1.Ioan.3. nes in mysterio locutus, ait: Nondum apparuit quid erimus: nam licet regni cœlestis effecti simus hæredes, non tamen adhuc illud posidemus per gloriam, quam expectamus per reuelationem, vti prænotatus Apostolus subiũxit, dicens: Nam expectatio creaturę reuelationem filiorum Dei expectat. Nec sequens contradicit primæ, quia de filiatione acquisita per gratiã in baptismate fit mentio in vna, sed de filiatione per gloriam habenda fit locutio in altera quam expectamus futuram in patria. Et sic soluuntur præmissa absque vlla contradictione.

CONTRAPO. VIII.

Fides non operanti ad iuſtitiam imputatur. Rom.4.
Fidem ſine operibus mortuam eſſe legimus. Iaco.2.

Quomodo fides ſine operibus erit dicēda mortua, ſi etiā non operanti efficitur ad iuſtitiā, vbi Apoſtolus dixerat? Nam ſi fides ſufficiens cernitur eſſe ad iuſtitiā, quid illi proſunt opera? Et huic, quā prorſus ſine contradictione eſſe nouimus, dicēdum placuit, minimè credendum eſſe alterum Apoſtolorum alteri fuiſſe contrarium, nec minus Paulum ſibimetipſi fuiſſe oppoſitum, qui & alibi nouerat factores legis iuſtificandos & non auditores tantùm. Idcirco præmiſſa concordantes dicendum nouimus, quòd de operibus fidem præcedentibus locutus fuit Apoſtolus in prima: de quibus locutus pariter Auguſtinus ait, Opera quidem tua præterita antequam crederes nulla erant, vel ſi bona videbantur. Si enim nulla erant, ſic eras quaſi homo ſine pedibus, ambulare non valens: ſed & de operibus ſequentibus fidem Iacobus locutus fuit in altera. Nec credendum eſt, quòd homo poſt acceptam fidem ſi ſuperuixerit non indigeat bonum operari. Qui quēadmodum ſi carnis opera faceret moreretur in illis, ſic pariter ſi bonum opus non fecerit, ſaluari nequit ex lege. Licet non iuſtificetur per opera, ſed per fidem Ieſu Chriſti tantùm, quæ videlicet per dilectionem operatur. Poteſt tamen homo ſine operibus præcedentibus iuſtificari per fidem. Nec obſtat quia nil iuſtè fuerit antè operatus, quia ad fidei iuſtificationem non merito bonorum peruenitur, ſed gratia Dei, quæ in tali vacua eſſe nō potuit, cùm iam (vt præfati ſumus) per dilectionē bene operetur. Quod ſi cum crediderit mox ex hac vita deceſſerit, iuſtificatio fidei manebit cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, ſed gratia peruenit, nec conſequentibus, quia in hac vita eſſe non ſinitur: quanquam (vt præmiſimus) ſi ſuperuixerit ea facere teneatur. Nam licet Deus ſit omnium bonorum largitor, etiam tamen noſtræ induſtriæ quærit fructum. Non enim dormientibus prouenit regnum cœlorum, ſed in mandatis Dei la-

Homo ſaluari non poteſt ſine opere bono

Ad iuſtificationem quomodo venimus.

Deus quærit fructū noſtræ induſtriæ.

borantibus atque vigilantibus. Nã fides(vt ait Ambrosius)facit Deum proximum nobis,si bonis operibus approbetur: & alibi dicit,Bona est fides cùm pulchro operum tenetur ornatu. Sit ergo sensus primæ, quòd Deus conuertens impium,per solam fidem illum iustificat, & non per opera,quæ nulla in illo fuerunt:Sed illi qui iam in Christo prius crediderat & bonum operari renuit,proculdubio huic fides ociosa & inanis reputabitur. Et sic patet quid fuerat ad præmissa dicendum.

CONTRAPO. IX.

Iaco.2. *Rom.4.* *Fides nihil prodesse dicitur si quis non habet opera. Abraham sine operibus iustificatum legimus.*

Si fides nihil proficere dicitur sine opere, cur Abraham ex aduerso iustificatus introducitur sine operibus? Profectò & de illo dicit scriptura, Credidit Abrahã Deo & reputatum est illi ad iustitiam. Et huic quãquam in præcedenti satis fuerit dictum, nihilominus & illud superaddẽdum nouimus,dicentes alteram esse intelligẽdam de legis operibus,quæ hominem iustificare nequeunt. Nam finis legis Mosaïcæ ad nil aliud se potest extendere,quàm legis obseruatores ad Propheticam deducere perfectionem:sed illa iustitia,quæ est per fidem Iesu Christi sufficiens cernitur ad huiusmodi iustificationem, quam & iustitiam fidei Paulus appellauerat. Hac enim taliter iusti reddimur, vt regni cœlestis hæredes efficiamur. Qua & Abraham nõ caruit,qui & fidẽ habuit, & opera pariter in sua iustificatione,vt ex prænotato loco colligimus. Habuit nanque fidem dum credidit se ꝓlem generare posse ex seipso centenario, & cõiuge nonagẽtaria. Habuit pariter & opus,dum Isaac filium immolationi exposuit,nihil hæsitãs de promisso, nec infirmatus fuit in fide. Idcirco Abrahę exẽplo ostẽdit Paulus,nõ ita per eum decere iustificari hominẽ per fidẽ sine operibus,vt si quis crediderit non ad se pertinere bene operari,sed ad hoc potius vt nemo meritis propriorum bonorum arbitretur se peruenisse ad donũ iustificationis,

Finis legis Mosi qualis fuit.

Roma.3. *Roma.8.*

Gene.17.

quæ

quæ eſt in fide Ieſu Chriſti. Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

CONTRAPO. X.

L*Ex vbi non eſt, nec præuaricatio.*
Cain ante legem præuaricatum legimus. *Rom.4.*
Si (Apoſtolo teſte) vbi non eſt lex, ibi præuaricatio nulla eſſe poteſt, quomodo præuaricatores dicendi ſunt qui legẽ præceſſerant? Idcirco & huic, quæ nil in ſe cõtradictionis continere cernitur, dicẽdum arbitramur, quòd licet ante Moſen nullus dicendus ſit præuaricator legis collatæ ab ipſo, tamen multi peccatores extiterunt qui & ſine lege à Deo puniti fuerunt, vt Paulus dixit. Nã omnis pręuaricator peccator dici poteſt, ſed non ecõtra, quia pręuaricator in pluſſe habet, quã peccator. Idcirco ſtãte iſto intellectu, dicamus cum Auguſtino, quòd licet vbi non fuerit lex Moſi, nulla ibi pręuaricatio fuerit, ibi tamen poteſt aliquod eſſe peccatũ. Cain verò & alij peccatores ipſum ſequẽtes, licet puniti non fuerint per legẽ Moſi, fuêre tamen puniti per legem naturalem, quę ſedẽ tenet in mẽte, & hominem peccatorem iudicat. Ad quã non tenetur homo, niſi poſtquam rationis fuerit capax potens diſcernere inter precioſum & vile. Quanquã cęteris paribus, grauius puniendus ſit tranſgreſſor Moſaïcæ legis quàm legis naturalis ſolius: quia lex peccatũ auget, vt Paulus nouit: vtiq; vbi maior cognitio, ibi maior trãſgreſsio iudicatur. Ipſa vera Dei lex, aut tranſgreditur nõ faciẽdo ea quæ pcepta ſunt, aut faciendo quę vetita ſunt.

Gene.4. *Rom.2.* *Sedes legis naturalis.* *Hiere 15.*

CONTRAPO. XI.

L*Ex ſancta & iuſta à Paulo dicitur.* *Rom. 7.*
Lex robur ac virtus peccati eſſe dicitur alibi. *1.Cor.15.*
Si ſanctam ac iuſtam eſſe legem nouerat Paulus, cur alibi dixerat illam fuiſſe peccati robur ac virtutem? Hęc enim (vt cernimus) ſimul ſtare nequeunt: ſed ſi diligenter pręmiſſa contemplari placuerit, illa fuiſſe conſona ad inuicem clara luce videbimus: ipſa enim lex Deo *Iaco.1.*

comparata, à quo omne bonum procedere dicitur, sanctam, bonam, ac iustam esse dicendam nouimus, malum facere prohibentem, immo bonum volentem facere ipsam custodienti. Quæ idcirco ab ipso Deo collata fuit scriptis, quia non solùm illos qui aderant, sed insuper & quos futuros nouerat vsque in finem sæculi constringere intendebat ad obseruantiam sui. Profectò quidquid ipsa præcipit, aut ad corporis ornamentum pertinet, aut animæ: corpus enim ornatur moribus, sed anima intelligẽtia decoratur. Illud naturalis legis sensus demõstrat: hanc verò allegoricus seu figuralis intellectus insinuat. Lex verò inquantum delectationem peccati auget per inhibitionem, mala apparet esse, non in se, sed in exhibitione iustitiæ puniens transgressorem. Nam (vti præmisimus) inuenta est lex bona bonum volenti facere. Quã & implere dicitur qui vixerit vt ipsa præcipit, licet non se extendat ad iustificationem. Nam ipsa lex data fuit vt quæreretur gratia, sed gratia data est, vt lex impleretur, & saluus fieret totus homo, qui sola gratia saluatur, cui⁹ legis si quis transgressor inuentus fuerit, sibi imputandũ esse iudicet, si per illam punitus est. Nempe ipsa irã non infert nisi malum facienti, cùm ex se bonum facere intendat omnibus æquanimiter, vt præmisimus. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. XII.

Rom. 4. L*Ex vbi non est, nec præuaricatio.*
Heb. 2. *Peccato omnes obnoxios fuisse legimus.*

Quomodo omnes peccato fuêre obnoxij, si prę-uaricator non est qui legi non est subiectus? diximus satis latè in præcedentibus, qualiter bene stat, vt quis peccator extiterit & non transgressor. Idcirco vt veritas magis elucescat, & huic pariter sic nouimus superaddendũ, dicentes quòd de origioali altera est intelligenda, cuius transgressores extitimus omnes qui ab Adam originem traximus, licet inuoluntarij. Profectò duplex malum inter alia grauius causauit in nobis primi parentis noxa. Quorum primum fuit, quia ipse Adam, qui præ cæteris

mortalium debebat se exhibere mediatorẽ, factus præuaricator, seipsum & vniuersum genus hominum cœlesti orbauit parente & saluatore. Secundum malum fuit, quia totam posteritatem seruam fecit peccati, & huius mundi principis ditioni subiiciens, fecit eam exosam toti cœlesti curię, cuius reconciliatio non nisi per iteratam vnionem & nouã quandam populi cum Deo desponsationem futura erat, vt vaticinio præmiserat ille, qui Dei voce dixerat, Sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia & miserationibus: quod ad vnguẽ actũ fuisse nouimus per susceptionem carnis à verbo. Scire autem te velim, hominem ante legem peccatorem fuisse, data lege & transgressa præuaricator dictus est. Tu ergo qui in lege Domini proficere cupis, recede à malo & bonum fac: quia si à malo recesseris & non feceris bonum, eris transgressor legis. Quanquam & de veniali posset pariter litera intelligi, quod nec iustus homo cauere potest, nisi priuilegio fuerit præuentus, vti Christus & mater eius, licet aliter & alter: vtique Christus per naturam, sed beata virgo per gratiam. Altera verò (vt aliás prætulimus) tam de naturali quàm de scripta potest intelligi, quæ ex principiis naturalibus partim deducitur, & reliquum deduci potest. Idcirco præuaricatores eius puniendi sunt ab eadem, quę propter transgressionem posita fuit. Licet qui sine ista scripta lege peccauerint, Dei iudicium euasuri non sint, iuxta illud: Qui sine lege peccauerint, sine lege peribunt. Et sic patet quid dicendum.

Iustus homo nõ cauet peccato veniali

Rom. 2.

CONTRA PO. XIII.

Lex vbi non est, peccatum non imputatur. *Rom. 8.*
Multis ante legem peccatum imputatum fuit. *Genes. 4.*

Nam si peccatum imputãdum non est vbi lex non est, cur Zodomitis & aliis plerisque legem præcedentibus fuit imputatum peccatum? Et huic pariter sic nouimus respondendum, dicentes, aliud esse dicere, Vbi non est lex, ibi non est præuaricatio: & aliud, Vbi non est lex, peccatum non imputatur. Stat enim vt quis transgressor legis sit peccétque contra legẽ, & quòd illi non

Peccatum quomodo nō imputatur. imputetur peccatū, vt patet de puero cum matre ludente, & cultello illam occidente. Hic quidem peccare dicitur, quia contra legem facit, ſed tamen peccatum illi non imputatur, cùm non ſit adhuc voluntate liber. Vel dicamus, & fortè melius, quòd licet præcedentibus legem, peccatum non fuerit imputatum per legem Moſi, fuit tamen illis imputatum per legem naturalem. Nam *Gené.14.* & Cain poſt fratricidium dixerat, Maior eſt iniquitas mea quàm vt veniam merear. Profectò (vt aliàs præfati ſumus) quid aliud eſt lex Moſi, niſi naturæ lex, in lapideis deſcripta tabulis? Nam quod in corde non legebant homines, data fuit lex in tabulis lapideis, vt homo ad ſeipſum intrò reuocaretur, nō quia in cordibus non erat, ſed quia homo fugitiuus erat cordis ſui. Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

CONTRAPO. XIIII.

Rom.3. P*Eccati cognitio per legem habita.*

Rom.7. *Peccatum quod operor non intelligo.*

Si Apoſtolus taliter fuerat in lege inſtructus ad pedes Gamalielis, vt plenam cognitionem habere potuerit de peccato, cur alibi dixit, quòd non intelligebat peccatū quod à ſe operabatur? Et huic, quæ nil prorſus controuerſię in ſe continere cernitur, placuit dicendū, quòd idcirco dixerat ſe non intelligere peccatum quod operabatur, quia illud nō approbabat ratione: vel dicas ſynthereſi, quæ (vt fertur) ſemper remurmurat malo. Ob quod de concupiſcentia conqueſtus dixit, Quod nolo, illud ago, quaſi dicat peccatū quod non approbo ratione, illud coactus ſum lege carnis committere. Vel dicamus ſi placet, quòd idcirco peccatum per ſe operatū non intelligebat, quia illud nō agnoſcebat cōtineri ſub obiecto intellectus, quod (vt aiunt) eſt ens, in quātum ens. *Obiectū intellectus* Nam cùm peccatum nil ſit in eſſentia, ſed dūtaxat quędam carentia boni quod actui debebat ineſſe & non ineſt, idcirco ſub conſideratione huiuſmodi potentiæ cadere nequit. Quanquam forſan ſub alia relatione Paulus potuerit agnoſcere peccatum eſſe peccatum, vti.

que quia à lege prohibitum, quæ peccatum damnat, puniens illud, tanquam quoddam malum & Deo exoſum. Et ſic patet qualem cognitionem habuerit de peccato, & qualem non.

CONTRAPO. XV.

Peccatum non cognoui niſi per legem. Rom. 3.
Peccatum erat in mundo vſque ad legem. Rom. 5.

Si peccatum ante Pauli tempora per multos annos fuerat in mundo, quid eſt quòd præfatus ac ſi non fuiſſet ante ſe peccatum, dixerat: Peccatum non cognoui niſi per legem? Idcirco & huic, præter id quod aliàs nos dixiſſe recolimus, & illud pariter ſuperaddendum placuit, dicentes quòd licet peccatum fuerit cognitum ante legem, non tamen cognitum fuit quantũ malum eſſet, & quam vindictam expeteret, ſicuti per legem habitũ fuit: quæ liquidò oſtendit quomodo & qualiter tranſgreſſor puniri debeat, dicens: Si quis hoc vel hoc fecerit, occidatur: Nec legi imputandum eſt, quia operatur ad mortem, quia hoc non intuitu mandantis intelligendũ eſt, ſed ex immodeſtia & diſſolutione operis mandati. Diſſolutis enim & relaxatis carnis habenis, etiam nullo legis mandato interueniente, nihil niſi peccatum impietatémque operabitur homo. Quanquam etiam ad pręmiſſa poſſemus dicere, quòd ante legem fuerant quædam mala, quæ nõ agnoſcebãtur eſſe peccata, ſicuti cõcupiſcentia, de qua Paulus locutus ait, Nã concupiſcentiam neſciebam, ſupple peccatum eſſe, niſi lex diceret, Non concupiſces. *Rom. 7.* Sed ad aliam placuit dicendum quòd non ſic eſt intelligendum, Peccatum erat in mundo vſque ad legem, vt ſit ſenſus, quòd peccatum finem acceperit, illo tempore quo lex collata fuit, ſed potius vſque ad terminum ipſius legis, quando videlicet ſubintrante gratia, omne peccatum deletum fuit ab illo, qui omnes iniquitates noſtras debebat proiicere in profundũ maris, prout vaticinatum fuerat per Prophetam. Quod myſterium tetigit Paulus, dum ſcribens de Chriſto ait, Et *Mich. 7.* ideo noui teſtamẽti mediator eſt, vt morte interceden- *Hebr. 9.*

te in redemptionem earum præuaricationum, quæ erãt sub priori testamento repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis in Christo Iesu Domino nostro. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. XVI.

Rom. 5. P*Eccatum erat in mundo vsque ad legem.*
Peccauerunt multi post legem.

Si (teste Paulo) peccatum fuit in mundo vsque ad legem, cur de plerisque legimus peccauisse post legem? Et huic, præter id quod dictum fuit in præcedenti, placuit dicendum, quòd illa præpositio, VSQVE, hoc in loco non sic stat exclusiuè, vt sit sensus, quòd peccatum non affuerit etiam post legem, quia ibi, vsque, accipitur pro asiduè & perseueranter, stans videlicet pro quandiu, ac si diceremus, quandiu lex fuit in mũdo. Sed quia ipsam quò ad moralia nouimus permansuram vsque in finem sęculi, idcirco & peccatum per illam prohibitum, venit perpetuè imputandum transgressoribus. Nec peccatum aliud esse nouimus, vt Augustini verbis vtar, nisi prauum liberæ voluntatis assensum, cùm inclinamur videlicet ad ea quę iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere. Sic enim accipiendam docuerat istam præpositionem, vsque, ille qui in vna suarum Epistolarum quendam alloquens, ait: Mihi curæ vsque erit quid agas, hoc est asiduè & perseueranter: Pariter & alius qui dixerat, Nec vidisse semel satis est, iuuat vsque, &c. Et sic soluuntur præmissa absque aliqua contradictione.

Cicero.

Virgil.

CONTRAPO. XVII.

1. Tim. 1. P*Eccatorum primum Paulus se esse dixerat.*
Scriptura *Peccatores multos nouimus ante Paulum.*

Quomodo enim primus dicendus est ille quem tot millia præcesserant peccatores? Nónne & Propheta longè antea in psal. dixerat, Præuaricantes vidi omnes peccatores terræ? Quibus pro solutione placuit dicendum, quòd illud quod Apostolus dixerat, non sic accipiẽdum est, vt prius tempore ipse dicatur peccator, sed grauitate

Psal. 118.

iudicauerat se omnes alios superare siue præcedere: in hoc imitatus humiles ac mansuetos corde, quibus moris est, seipsos super alios accusare de delictis. Hoc quippe documentum ab illo forsan didicerat, qui suos instruens discipulos dixerat, Cùm hæc omnia feceritis, dicite serui inutiles sumus. Et alibi seipsum in formã tradens dixit, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Hanc obiectionem sui quantæ esset virtutis, nouerat ille qui in suis Prouerbiis de illa locutus ait, Iustus est prior accusator sui. Idcirco & prænotatus Apostolus qui humilior & mitior super alios esse didicerat, maximum peccatorem se esse attestatus est: Nouerat enim Deum suam conferre gratiam duntaxat humilibus: qui & humilia dignatus est respicere in cœlo & in terra. Ob quod tanquam minus sapiens aliis, in infirmitatibus ac calamitatibus solummodo didicerat gloriari, licet vas effectus fuisset perfectionis refertum omni sanctitudine.

Luc. 17. Mat. 10. Psal. 112. 2. Cor. 11

CONTRAPO. XVIII.

IVdæi ac Græci omnes sub peccato fuère. Rom. 5.
Peccatores non omnes, sed multi facti per vnum hominem. Ibidem.

Si omnes sub peccato esse Apostolus nouerat, quid est quòd in altera multos dixerat fuisse constitutos peccatores per vnum hominem? Non enim multi inferunt omnes, licet bene omnes, multos contineant. Huic quoque, quæ nil prorsus contradictionis in se continere cernitur, nouimus dicendum, aliud esse peccasse quempiã, aliud peccatorem esse. Profectò peccator is dicẽdus est, qui multa delinquendo commisit, & in consuetudinem (vt ita dicam) ac in studium peccandi iam vertit. Sed peccauisse dicitur ille, qui quamuis aliquando commiserit aliquid quod non licuit, non tamen ob hoc peccator appellandus est, quia peccandi vsum seu consuetudinem adhuc non habuit. Sicuti & medicus non est dicendus ille, qui leuiter ruptæ capitis cuti scit imponere araneam, quamuis etiam hoc medicinæ esse videatur, sed ritè medicus dicendus est ille, qui studium, artem, & disciplinam habet medendi. Idcirco in proposito dicẽdum iu-

Iob 25. dicauimus, quòd bene ſtat, quòd omnes homines peccauerint, quia nemo mundus à ſorde: ſed peccatores duntaxat nuncupandi ſint illi (vt præmiſimus) qui multum delinquendo in conſuetudinem deuenerunt. Nec huic obſtat illa prima obiectio, quia & aliquando multi accipiuntur pro omnibus in polyticis, vt patet de viſitantibus aliquando Eccleſiam in die feſto: nam licet dicatur, quòd omnes vadunt ad illam, ſunt tamen multo plures remanentes in domibus quàm euntes. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. XIX.

Rom. 7. *Legem commendat Paulus ac laudat.*
2. Cor. 3. *Legem Paulus calcat ac deſtruit, alibi.*

Mirum quippe videtur, vt ille qui legem ſanctam & iuſtam eſſe dixerat (vt totiens ſuprà memorauimus) illam contemnere videatur aliquando: ſed ſi diligenter cauſam velimus inquirere, proculdubio videbimus primum non eſſe contrarium alteri. Nam Apoſtolus dum legem contemplaretur ſe continentem Dei voluntatem, decenter illam commendat & laudat, tanquam mittentem ad gratiam: dum vero cernit illam per ſe nõ valentem iuſtificare hominem, noſcítque peccatum augentem ac inferentem iram tranſgreſſori, illam eſſe degentem ac inferentem iram tranſgreſſori, illam eſſe debilem & vacuam iudicauit. Nouerat enim illam inſufficientem ad conferendam ſalutem, cùm non valeat ſe ad illam extendere: quod & alibi ipſe Paulus conſiderans, ait: Si data eſſet lex, quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia. Idcirco non ab re illam aliquando contemnit & calcat, vacuámque eſſe meritis ſine gratia exiſtimauit. cùm (vt præmiſimus) nil aliud faciat niſi adgere peccatum illúdque punire, manétque tanquam mortua in ipſa litera. Sed diceres, ſi ergo non eſt data lex quæ poſſet viuificare, cur data eſt? Dicimus quòd idcirco collata fuit in adiutorium homini, ne ſe ſanum putaret ſine illa. Nam, vt Cyprianus, ait: Sine iuſsionibus diuinis nullum poteſt eſſe præſidium. Et ſic patet quid dicendum.

Legis infirmitas.

Gala. 3.

Legis officium.

CONTRAPO. XX.

P*Aulus sine lege vixisse dicitur aliquando.* Rom.7
Paulus enutritus ad pedes Gamalielis. Philip. 3.

Quomodo sine lege vixisse dicitur ille, qui ad pedes Gamalielis fuerat enutritus? Idcirco & huic pariter dicendum nouimus, agnoscẽtes æquiuocationem in huiusmodi latere. Nempe de naturali lege in prima fieri mentionem nullatenus dubitamus, quæ non solùm homines, sed & angelos videtur stringere, cui (vt aliâs prætulimus) non tenemur, nisi postquam ad id ætatis peruenerimus, vt cognoscamus quid intersit inter bonum & malum, ad quam Apostolus minimè tenebatur, dum infantilia ageret. Idcirco hanc suam teneram citans ætatem, dixerat: Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus: sed postquam se legi constrictum agnosceret subiungẽs, ait: Cùm autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli: Qui peccatum videlicet quod prius in se fuerat mortuum per cognitionem diuinæ legis reuixisse attestatus est, dum videlicet ad id ætatis peruenerat vt peccatum agnosceret esse peccatum, quem gradum nondum attigerat, dum esset in infantilibus. Et sic patet quomodo de naturali lege sit mentio in prima, sed de scripta facta fuit locutio in altera, vt satis fuit expositum.

Legi naturali tenemur.

1.Cor.13.

CONTRAPO. XXI.

R*Edemptorem futurum expectabat* Paulus. Rom.9.
Christum redemisse nos omnis Scriptura fatetur. Ephes. 1.

Cur enim expectare se dixerat redemptorem, si eũ iam venisse pręnuntiauerat alibi? Et huic, præter illa quę nos dixisse recolimus, & illud pariter adiiciendum nouimus in proposito, dicentes quòd de alia redemptione sit in prima locutio, & de alia in altera: per primã enim redemit nos Christus ab omnibus reatibus per sanguinis sui effusionem, dum nos eripuit de tenebrarum potestate, qua captiui tenebamur per peccatum. Et deducens nos in regno dilectionis suæ sic egit, vt filij cœlestis patris efficeremur ac cohæredes prænotati regni. De

hac enim fœlici redẽptione longè antea vaticinãs Propheta regius in psal. dixerat: Redemptionem misit Dominus populo suo, ponens pręteritum pro futuro, prout moris est aliquando scripturarum: sed de redẽptione sui corporis locutus est Paulus in altera, quam & pariter esse futurã expectabat indubitãter, quando videlicet mortalia corpora nostra viuificans Christus in finali iudicio reformabit glorificabítq;: idcirco dixerat, Saluatorem expectamus dominũ nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ: tũc enim ad plenum liberati in vtroque homine, deducemur per illum in libertatem gloriæ filiorum Dei, vt vnum simus cum illo in gloria, & ipse sit vnum in nobis, sicuti per gratiam prius extiteramus membra de corpore suo. Sic ergo intellectis præmissis, in nullo prorsus discordare noscuntur,

Psal.110. *Ephe.5.*

CONTRAPO. XXII.

Rom.3. *1.Cor.6.*

NOn iustificabitur omnis caro coram illo.
Iustificati ergo in Christi nomine

Quomodo per Christũ iustificati fuêre Corinthij, si præmiserat alibi non fore iustificandam corã illo omnem carnem? Quibus dicendum nouimus, nil contradictionis cernentes in prænotatis: Nam ante primã prætulerat, dicens: Ex operibus legis, &c. Non enim lex toto suo conatu quempiam hominum iustificare poterat, cũ non valeret ad perfectum deducere, vt ipsemet Apostolus in plerisque locis aperuerat. Nec huic obstat altera, quæ Corinthios videtur iustificare, quia præfati non per legis opera hoc adepti fuêre, sed per fidem Iesu Christi, in quem crediderant, sicuti & circunstans litera videtur innuere. Itaque si quis iustificationem hanc irritam fecerit (iniustè agens) sine dubio hanc iustificationis gratiam spreuit. Neque ob hoc quis veniã peccatorum accipit, vt rursum sibi putet licentiam peccandi datam, vt Origenes docuit. Quanquam aliter respondẽtes ad primam, confidenter possemus dicere, quòd de iudicio finali intelligenda sit in quo nullus ex se venit iustifican-

Heb.7.

dus coram illo:qui licet vnicuique redditurus sit secundum opera,nihilominus non nisi sua dona in electis coronaturus est,vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Qui si opera cuiuscunq;,exuta sua gratia, vellet respicere,nunquid omnes ad æterna supplicia deputādi essent?Idcirco humiliter cum Propheta dicamus:Non intres in iudicium cum seruo tuo domine,quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, hoc est per se, & sine tua gratia,quę taliter opera nostra induit, vt Deo grata efficiantur.Et sic patet quid fuerat dicendum. *Mar.25.* *Diuina dona sola coronantur in homine.* *Psal.124*

CONTRAPO. XXIII.

Romani effecti iustitiæ serui. *Rom.6.*

Liberos eosdem fuisse iustitiæ,ibidem dicitur. *Ibidem.*

Si Romani iam erepti à peccato per fidem Iesu Christi liberi pariter effecti fuerant iustitię,cur eo in loco,ac si liberi non essent subiungit Apostolus, dicens: Serui facti estis iustitiæ? Vtique qui iustitiæ liberi fuerant,non amplius dicendi sunt esse iustitiæ serui. Idcirco & huic, quæ nil prorsus oppositionis in se continere cernitur, placuit dicendum alteram sic esse intelligendam, vt illius talis sit sensus,Liberi fuistis iustitiæ,id est,caruistis dominio iustitiæ.Profectò quandiu quis peccato seruit,iustitiæ liber dicitur,id est,alienus à iustitia.Nam liberum esse iustitiæ,crimen est, seruum verò esse honestum & laudabile. Vtique per hoc quod Apostolus ait: Cùm essetis serui peccati,liberi fuistis iustitiæ,ostendun tur peccato non potuisse seruire nisi alia libertate . Profectò sicut docuerat alibi,sapientiam carnis legi Dei nō esse subiectam,sic seruientes peccatis liberos illos esse iustitiæ attestatus est,id est,iustitię dominio carere.Et hoc est quod ibi dicit: Sicuti enim exhibuistis membra vestra seruire iniustitiæ & iniquitati,sic nunc exhibete mē bra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Et sic pàtet quid dicendum. *Liberum esse iustitiæ quid sit.* *2.Cor.1.*

CONTRAPO. XXIIII.

Spe salui facti estis,dixit Paulus. *Rom.8.*

Gratia saluati estis,dixerat alibi. Ephe.2.

Si scribens Romanis Paulus dixerat illos fuisse saluos spe, cur aliud innuit Ephesios alloquens? Profectò si spe saluantur, hoc non erit tribuendum gratiæ. Et huic pariter sic nouimus respondendum, dicentes quòd licet prout in Deo sunt spes & gratia nõ intelligantur distinctæ, tamen prout sunt in nobis, cernũtur distinctæ, cùm sit aliud officium vnius & aliud alterius, licet ambo necessariæ sint viatori, sine quibus nullatenus potest saluari. Per spem enim hæredes efficimur æternæ patriæ, cùm spes quam de Deo habemus aliud non sit, nisi ara quædam, id est capara (vt vulgò dicitur) quã habemus de regno, & hoc per Iesum Christum, qui illud nobis acquisiuit suo precioso sanguine. Hæc enim spes tam certa nobis est, quasi res iam perfecta sit. Ipsa enim ouo cõparatur. Vtiq; licet ouum sit, nõdum tamen pullus est. Nam & illa nos hortatur vt præsentia omnia cõtemnamus, si cœlestia adipisci cupimus. Reliquimus enim præsentia, vt futura cõsequamur, ea quæ sunt retrò obliuiscẽtes, vt illa quę nec oculus audiuit, nec in cor hominis ascẽderũt, adispiscamur: scientes nihil esse tam inimicũ spei quàm retro respicere, id est in illis rebus quæ præterlabũtur & transeunt, ponere spẽ. Per gratiam verò non solùm peccatum omnino deletur in nobis, sed & iustificamur efficimúrq; Deo digni. Hæc enim per Iesum Christum superabundauit in nobis. Et sic ex præmissis patet quomodo per gratiam saluamur non minus quàm per spẽ, quia spes vires ministrat, sed gratia iustificationẽ confert. De his enim virtutibus Origenes locutus, ait: Puto quòd prima salutis initia & ipsius fundamenta fides sit: profectus verò & augmenta ædificij spes est: perfectio autem & culmen totius operis charitas est. Pariter & Augustinus de huiusmodi virtutibus locutus, ait: Pia fides sine spe & charitate esse non vult. Sic ergo homo fidelis debet credere quod nondum videt, vt visionem & speret, & amet.

Spes & gratia viatori necessariæ.

Quid sit spes.

Spes cõparatur ouo.

Spes quẽ inimicum habeat.

CONTRAPO. XXV.

Rom. 3. *Rom. 5.*

I*Vstificatos per gratiam Paulus nos nouerat. Iustificatos per fidem nos prædicat, alibi.*

Si per gratiam iusti reddimur apud Deum (vt in præcedēti satis fuit declaratum) quomodo hoc fidei erit tribuendum? Nam si ex fide, ergo non ex gratia? Et huic, præter id quod aliâs nos dixisse recolimus, & illud nouimus superaddendum, dicentes & negantes illationem illam, qua dicebatur, si per gratiam, ergo non ex fide, immo ex fide pariter, sine qua minimè iustificari possum⁹, nec minus Deo placere, vt Paulus nouerat. Quę quidem fides, idcirco è cœlis à Deo confertur, vt illi fideles sim⁹. *Heb.11.* Per hanc enim de impio quispiam pius efficitur, & de inimico amicus Dei constituitur, illam tamen nobis proficuam Deóque gratam esse nouimus, quæ per dilectionem operatur (vt prænotatus Apostol⁹ dixerat alibi) sed per gratiam, non dico gratis datam, quæ & cum infideli pariter stare potest, sed per illam, quam gratum facientem vocant, Deo digni efficimur. Per hanc enim de peccatore iustus efficitur homo. Cui enim Deus perfectam tribuit fidem, eidem pariter & gratiam cōfert, fidei correspondentem? Sit ergo præmissarum solutio, quod sicut per fidem Deus iustificat hominē, sic pariter & gratiam confert iustificato, vt nequaquam sine altera inueniatur. Vtranque tamen sine vllis meritis nostris nobis collatam esse nouimus. Et sicuti ante fidem non debebatur homini nisi malum pro malis, sic pariter & ante gratiam iniusti eramus omnes, cui & omnia debebantur. De vtraque verò locutus Cirillus ait, Fides salutē affert, & gratia iustificat. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

Fidei dignitas. *Gala.5.*

Deus iustificat hominē per fidem.

CONTRAPO. XXVI.

Neminem sibi viuere Paulus nouerat. *Rom.14.*
Neminem sibi mori, ibidem subiunxit. *Ibidem.*

Si neminem sibi viuere Apostolus dixerat, quomodo verū erit quod ex aduerso dicitur, quòd videlicet nemo sibi moritur? Viuere enim & mori (vt liquidò cernimus) sibi inuicē contrariantur. Idcirco & huic pariter nouimus dicendum, literam sic intelligendam esse, vt eius talis sit sensus. Nemo sibi viuit (supple) volūtati suę:

qui enim lege frenatur non ſibi viuere dicitur, ſed Deo, qui legem ſibi tribuit, vt ſecundum illam viueret. Quæ lex ſi non eſſet, forſan quiſque ſibiipſi viueret carnis deſideria ſequens. Pariter ad aliam nouimus dicendum, videlicet, Nemo ſibi moritur, quia non ſibi, ſed ſuis vitiis moritur. Dum enim ad baptiſma venit quiſpiam, vitiis mori dicitur, ſed non natura, cùm idem remaneat in ſubſtantia. Moritur inquam vt Deo viuere incipiat, qui niſi moreretur vitiis, Deo viuere nõ poſſet. Et verè nemo ſibi viuit nec ſibi moritur, quia ſiue viuimus vita virtutum, Domino viuimus vt illi ſoli placeamus, & cæteris propter ipſum: ſiue morimur peccatis & vitiis, Domino morimur, id eſt ad ſimilitudinem Chriſti, in cuius morte baptizati, vitiis morientes, Deo viuere incipimus. Et ſic arbitramur intellexiſſe Apoſtolum, dum Romanos alloqueretur. Vel adhuc dicamus aliter exponentes præmiſſa, vt ſit ſenſus, Nemo ſibi viuit, videlicet animæ & corporis coniunctione, aut ſibi moritur diſſolutione eorũdem, id eſt ad laudem ſuam, ſed Dei. Et ſic patet quid dicendum fuerat ad præmiſſa.

Vitiis morimur vt Deo viuamus.

Rom.14.

CONTRAPO. XXVII.

Rom.12. *1.Pet.4.*

P*Rudentes non eſſe interdictum à Paulo.*
Prudentes nos fore præceptum à Petro.

Mirum quippe videtur, vt ad inuicem diſſentiant qui ab vnico hauſerunt fonte id quod dixerãt. Sed ſi cauſam contẽplari placuerit, clara voce videbimus quòd nõ de eadem prudentia ſit mentio in præmiſſis. Vtique de carnali locutus eſt Paulus, de qua alibi dixerat. Prudẽtia carnis mors eſt, quam homo ſecutus nõ authori omniũ deputat quod habet, ſed ſuis meritis vendicat. Et quod de iſta ſit in primo locutus, patet per illud quod eidem ſententiæ addidit, dicens: Apud voſmetipſos: quo vitio laboraſſe antiquos Philoſophos nemo noſtrûm eſt qui hoc dubitet. De hac enim & Sapiens pariter locutus ait, Ne innitaris prudentiæ tuæ. Hæc enim quandiu carnis eſt, legi Dei non dicitur eſſe ſubiecta, quemadmodum ſi diceretur glacialem niuem calidam eſſe non poſſe:

Roma.8.

Roma.1.

nullo enim modo quãdiu nix eſt, calida poteſt eſſe. Hæc enim veterem hominem imitans vindictámque expetens, ſuas iniurias vlciſcitur. Sed de illa prudentia ſit locutio in altera, quam vbilibet Scriptura cõmendat. Quá & Auguſtinus diffiniens, ait: Prudentia eſt appetendarum & vitandarum rerum ſcientia: Macrobius verò dixerat, Prudentia eſt, qua nihil præter rectum, aut laudabile fit. Sed Plato omnium virtutum ductricem nouerat eſſe prudentiam. De hac enim locutus Sapiens ait, Prudentia ſeruabit te: ſed & Socrates putabat omnes virtutes eſſe prudentias. Ipſa etiam duntaxat noſcimus inter bonum & malum quid interſit, docétque quid tenendum ſit & quid fugiendum. Hanc ſemper apud nos haberi præceperat ille, qui in Euangelio ſuos allocutus diſcipulos ait, Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Hanc *Mat. 10.* & prudentiam ſpiritus appellandam Apoſtolus nouerat, quam & aliud non eſſe dixerat, niſi quandam vitam & pacem animæ cum Deo: ſicuti econuerſo dicitur de carnis prudentia, quæ ſemper Deo aduerſari dicitur: De hac Hierocles Pythagoricus locutus ait, Prudentia temeritatem ex ignorantia & ſuſpitione ortam ſcindit, atque repellit.

CONTRAPO. XXVIII.

VNuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.
Non plus ſapere quàm oportet ſapere.

Si plus ſapere non debemus quàm ſapere oporteat, cur vt abundemus in proprio ſenſu nos hortatur in altero? *Rom. 12.* *Rom. 14.* An forſan dicens ſecundum pœnituit quòd illud dixerit? Idcirco vt præmiſſa vera ſeruemus, dicendũ arbitramur ad ſecũdam, quòd id quod Apoſtolus dixerat, id fecit ne offendiculũ poneretur infirmis in fide, qui adhuc non valebant diſcernere inter diem & diem: ſed proficientes allocutus, poſtea aliud dixit: Hortatus enim fuit illos vt potiora expeterent, hoc tamen ſecundum menſuram fidei docuit faciendum, videlicet ſecundũ propoſitũ illius, qui cœlos aſcendens tribuit dona hominibus, iuxta illorum captum, vel potius dicas, prout ei placuit. *Dona quo modo hominib⁹ diſtributa.* *Ephes. 1.*

Quanquam ob huiuſmodi donum acceptum non debet homo ſe ſuper alios eleuare. Quod & pro documento reliquerat ille, qui de ſeipſo locutus, ait: Parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt aut audit aliquid in me. Idcirco (vt alter docuerat) tanto humilior debet homo ſe habere corã Deo, quãto maiori dono ſe fuiſſe decoratum ab illo nouerit, ne ſuper alios ob donum receptum ſe exiſtimans illorum deteſtabilem incurrat errorem, de quibus dicitur, Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Stet ergo vnuſquiſque in eo gradu & ſtatu, quo à Deo vocatus fuit, nec curet plus ſapere quàm oporteat, ſed ſapiat ad ſobrietatẽ. Et ſic patet quid dicẽdũ.

2. Cor. 2.

CONTRAPO. XXIX.

SPiritu ſancto clamamus, Abba pater.
Spiritu filij clamamus, Abba pater.

Rom. 9.
Galat. 4.

Si Spirituſancto clamamus Abba pater, quomodo verũ erit, quòd illud faciamus ſpiritu filij? Nõne alia perſona eſt filius, alia ſpirituſſanctus? Idcirco & huic placuit dicendum ad ſecundam, quòd in illa paſsiua locutio cernitur eſſe. Nam poſtquam Apoſtolus allocutus Galatas, dixerat: Quoniam enim eſtis filij Dei, ſubiunxit ſtatim, Miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamãtem, Abba pater, quaſi dicere voluiſſet, Dum in vobis cœperit habitare iſte ſpiritus filij, faciet vos clamare Abba pater. Sed nõ incipiet iſte ſpiritus habitare in vobis, niſi & nos incipiamus diligere. Diligam⁹ ergo vt in nobis habitet. Amemus ipſum, qui idcirco in nos habitare cœpit, vt ꝑfectius habitando faciat nos perfectos. Et vnde nos cognoſcimus, quia in nobis habitat, niſi quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris? Sed vnde hoc cognoſcere poſſumus, niſi interrogando viſcera noſtra, quæ ſi plena ſunt charitate, certi ſumus quòd in Deo manemus, & Deus in nobis, vti Paulus docuerat? Et ſic ſoluuntur pręmiſſa abſque contradictione aliqua, cùm idem ſit ſpirituſſanctus cum ſpiritu filij.

CON-

CONTRA PO. XXX.

Spiritum Domini ingemiscentem Paulus nouerat. Roma. 8.
Spiritum Domini consolatorem, alibi legimus. Ioan. 14.

Si Spiritussanctus ingemiscere dicitur, quomodo alium poterit consolari? Nemo dat enim (vti Philosophi sententia est) quod non habet. Huic quoque, quę nil oppositionis in se continere cernitur, placuit dicendum, vtranque proprietatem continere hunc spiritum. Ex eo enim quòd mœstam animam facit lætantem atque gaudentem consolator dicitur: ex eo verò quòd peccatorem hominē interna inspiratione monet & docet, vt ad Deū toto corde conuersus redeat clamoribus & gemitibus pulset pro impetranda & obtinenda venia, ingemiscens dicitur, prior ipse faciens quod faciendum animam docet. Ipse enim tanquam diligens pædagogus, docet animam alphabetum spirituale, vt ipsa postmodū sic ab illo edocta, gemitibus effusis coram Deo illud recitet. Nam (vt prænotatus Apostolus eo in loco subiunxerat) quid oremus vt oportet nescimus, sed ipse spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus. Idcirco nō ab re columbæ figuram se induit, dum super Christum baptizatum è cœlis descendit, quæ suo amisso coniuge continuè ingemiscere dicitur, animam ipsam figurās, quæ per peccatum amisso sponso suo Christo ingemiscere ac lachrimari debet continuè, quousque veniam ac remissionem obtineat. Hîc ad propositum non incongruè nouimus deducendum deliramentum quorundam insipientium Talmudistarum, asserentium in libro Gagliga, & dicentium, Deum ter in die tristari ac lugere in quodam occultó loco, dum meminit filios suos Iudæos vagantes per mundum. Et sic patet quid dicendum.

Spiritus quando consolator dicatur.

Spiritus quomodo pro nobis roget.

Ioan. 1.

CONTRA PO. XXXI.

Placere per omnia omnibus docuerat Paulus.
Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.

Mirū quippe videtur, vt veritatis pręco vnum doceat faciendum, & aliud huic contrarium ipse faciat. Nōne ipse fuit discipulus & verus imitator illius de quo

Rom. 15.
Galat. 1.

legitur, Cœpit Iesꝰ facere & postea docere? Sed si verborum ordinem contemplari placuerit, videbimus illum vtrunque fecisse ritéque docuisse. Nam cùm esset charitate plenus, docuit vnicuique placere, sed in bonum & ad ædificationem, vt præmissæ sententiæ subiunxerat, vt sic verbo & exemplo edocti & instructi hi qui adhuc infirmi cernebantur in fide, spirituale emolumentum huiusmodi reportarent, ac per hoc & nos filij efficeremur illius patris, qui bona sua absque vlla discretione æquanimiter omnibus impartitur. Idcirco Deũ imitatus prȩnotatus Apostolus non ibi finẽ posuit suæ sententiæ, vti in primo refertur, sed addidit, Sicuti & ego omnibus per omnia placeo, per charitatem supple, non quærens quod sibi vtile erat, sed quæ multis salus erat vt salui fierent. Solus ergo securus placet qui Deo sic placet, sed tibi ille placere non poterit, nisi tu tibi prius displicueris. Mandat ergo Apostolus vt vnusquisque suo in bonum placeat proximo, ne videlicet per hoc quod hominibus placere cupit, displiceat Deo, cui primùm placere tenemur, iuxta illud adagiũ, Amici causa vsque ad aras, quasi dicat, sic pro amici causa te debes exponere vt nõ displiceas Deo. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

Mat. 5. *Homo qui verè Deo placet.*

CONTRAPO. XXXII.

Rom. 12. *1. Cor. 7.*

Volo vos sine solicitudine esse.
Solicitudine non pigri, alibi dixit.

Si omnem solicitudinẽ Apostolus prohibuerat, cur in altera, ne pigri sint, Corinthios monet. Quibus nos uimus respondendum, dicentes ipsum locutum fuisse alio sensu in prima, & alio in alia. Nam primum dixerat imitatus præceptorem suum, qui euangelizantibus verbum Dei nimiam solicitudinem rerum temporalium interdixerat, dicens: Nolite cogitare de crastino. Idcirco vt Apostolus aliis se præberet in exemplar, hanc sibi & sociis statuerat regulam, vt diceret: Habentes alimenta & quibus tegamur, his cõtenti sumus. Non enim verbum Dei disseminantibus conceditur nisi paucissimus vsus terrenarum rerum, ne aliis deteriores effician-

Mat. 6. *1. Tim. 6.*

tur: illam verò econuerso solicitudinem habere iubemur, hortamúrque quam ad Dei cultum pertinere agnoscimus. Profectò hæc omnibus temporalibus præferenda est, cùm nil aliud respiciat, nisi Deum pro obiecto: idcirco primò qųerenda est. Quod & designauit prænotatus Apostolus, dum eo in loco subiunxit, dicens: Spiritu feruentes Domino seruientes. Qui & alibi de hac solicitudine scribens Hebræis ait, Vnumquęque vestrûm cupimus eandem solicitudinem ostentare. Et sic soluuntur præmissa absque contradictione. *Mat.6.* *Heb.6.*

CONTRAPO. XXXIII.

Factores legis iustificabuntur. *Rom.2.*
Ex operibus legis non iustificatur homo. *Galat.2.*

Si ex legis operibus nequit homo iustificari, vt in plerisq; locis disseruimus, vnde iustificari poterit factor legis? Idcirco huic dicendum nouimus, quòd si huiusmodi Apostoli verba contemplari velimus, nil contrarietatis reperiemus in illis. Nam in prima eius fuit intentio increpare Iudæos qui nimium tumescentes superbia, quia filij Abrahæ fuerant insurgentes contra gentiles conuersos, Romam inhabitantes, gloriabantur in lege super prænotatos. Idcirco Apostolus tanquam pius & modestus præceptor præfatis dixerat, Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur, legis inquam fidei & non legis operum, vt infrà sequens litera liquidò innuit. Conspiciebat pariter quosdam inter illos esse innumeris vitiis obnoxios, & taliter vt alios spernentes tanquam iniqui iudices sententiam temerè inferrent in proximum, dicentes: Hic illo melior, hic illo inferior, hic illo præstantior. Et sic peccatorum suorum dolore abiecto, aliorum fiebant iudices. Et hac causa disseminabant discordias. Idcirco hunc morbum prudenter tollere cupiens, ostendit hanc vanam esse iactantiam, & illos temerè agere. Insuper addens, quòd soli legis factores iustificandi erant apud Deum, & non illi qui temerariè super alios se eleuantes, iudiciũ inferebant in proximũ dicentes cũ Pharisęo, Nõ

ſum ſicuti cæteri hominum raptores, adulteri, &c. Idcirco hos corripiẽs prudentis medici fuit officio functus. Vel dicamus (vt Auguſtino placet) literam ſic explanandam eſſe, vt non iuſtificatio factoribus accedat, ſed potius factores legis iuſtificatio antecellat, ac per hoc tantundem eſſet, ac ſi diceremus, Factores legis creabũtur, non quia erant, ſed vt ſint. Alteram verò iam pluries expoſuimus, dicẽtes eam eſſe veram, ſi cum præciſione intelligatur. Nam ſicuti Iacobo atteſtante, fides ſine operibus mortua dicitur, ſic pariter opera mortua dicuntur ſine fide. Profectò & ſi ſanam quiſque doctrinã teneat, vitam autem negligat, nihil ſibi proderit doctrina. Rurſum ſi vitę curam diligenter geſſerimus, fidei autem placitis claudicauerimus, nihil lucri nobis erit. hæc Chryſoſtomus. Licet ex operibus legis fide firmatis ſit homo iu-
Galat.5. ſtificandus. Quod myſterium ipſemet Apoſtolus alibi aperuit, dum hanc fidem eam eſſe dixerat, quæ per dilectionem operatur. Et ſic patet quid dicendum.

CONTRAPO. XXXIIII.

Rom.14. B*Eatus qui non iudicat ſemetipſum.*
1.Cor.11. *Commendatur quiſpiam iudicans ſeipſum.*

Si ſeipſum iudicans amplius iudicandus non eſt à Domino, cur econtrariò commẽdatur quiſpiam qui ſeipſum non iudicat? non enim (vt cernimus) ſimul ſtare poſſunt præmiſſa. Quibus ſic reſpondendum nouimus, dicentes ad primam, non illic eſſe terminatam ſententiam, ſed illi additum, In eo quod probat. Innuens ꝙ homo qui verè & nõ fictè humilis eſt ſcrutãſque diligẽti diſcutione ſuã conſcientiam, & nihil accuſationis dignũ in illa reperiens, non ob hoc extollentia ſuorũ operum eleuari debet, ſeipſum tanquam iuſtum iudicans, ſed adhuc pauidus dicat cum humili Paulo, Nihil mihi conſcius ſum, ſed nõ in hoc iuſtificatus ſum. Deinde veritus diuinæ iuſtitiæ examen, pręfatæ ſententiæ adiecit, dicẽs: Qui autem iudicat me, Dominus eſt, ſuo videlicet recto iudicio, quaſi dicat ſanctus Apoſtolus, licet in nullo me remordeat conſcientia mea, tamen nõ ob hoc me iuſti

arbitror apud Deum qui cordis inſpector eſt, quia neſcio an mea ſeruitus ſit illi grata: meminerat enim fuiſſe ſcriptum, Neſcit homo an amore vel odio dignus ſit. Non ergo iuſtum ſe eſſe putauit qui ſe redditurum rationem iuſto iudici exiſtimauerat alibi: nec hoc in loco auſus fuit iuſtis ſe annumerare, quinpotius ſe non eſſe mundum à peccato oſtendit. Etenim alio loco ait, Qui autem moritur iuſtificatus eſt à peccato, hoc eſt, liberatus. Quod & ſi Paulo qui vas electionis ac ſanctitudinis iam fuerat effectus hæc contingebant, quid de nobis dicendum eſt, qui vndique peccatis pleni ſumus & ſicut aquam iniquitatem bibimus? Quanquam præmiſſa cōſcientiæ diſcuſsio ſi lachrymabili ac contrito corde perficiatur, taliter mundat & purificat hominem ab omni fæce peccati, vt ſic contritus & pœnitens amplius non eſſet à Domino iudicandus. Et talis videtur eſſe ſenſus alterius: ait enim, Quòd ſi noſipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Cùm enim quiſque in memori mēte, tanquam in libro, quæ fecerit, legit, tunc ad legem quaſi ad exemplum quoddam intendēs, diiudicat ſe aut honore dignum aut dedecore. Quicunque ergo tali exercitio vſus fuerit, Deo ſimilem imaginem accipit, ſéque aut addendo aut diminuendo pulchritudinem virtutis corrigit & adducit, & quantum bono viro facultas datur, conficit. Et ſic patet quid dicendum fuerat ad præmiſſa.

Rom. 14.

Conſcientiæ diſcuſſio quātū proficua.

CONTRAPO. XXXV.

Bonum in me non habitat. *Rom 7.*
Viuit in me Chriſtus. *Gala. 2.*

Quomodo poterat Paulus dicere bonum in ſe nō habitare, ſi in ſe nouerat Chriſtū viuere? Nam vbi Chriſtus viuit ac habitat, ibi omne bonum inuenitur collectum. Et huic, quæ in ſe nullam prorſus continet oppoſitionē, dicendū nouimus, quòd ad veterem hominem prima referenda eſt, propter id quod in illa incertū eſt: ſic enim continetur in litera, Scio enim quia nō habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonū. Nouerat enim in illa

ſic vitiata & infecta Chriſtum non poſſe habitare, quam iam ab alio, hoc eſt à diabolo, per peccatum poſſeſſam videbat ipſe qui princeps dicitur omnis petulantiæ. Idcirco ſentiens ſe coactum à deſideriis carnis, legi Dei ſe opponentis, aiebat, Quod nolo malum hoc ago. Altera verò non eſt huic contraria, quia non de ſua carne locutus eſt in illa, dum ait, Viuit verò in me Chriſtus, ſed de interiori homine quem informabat Chriſtus per fidem locutus eſt, de quo alibi dixerat: In interiori homine habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris. Viuit ergo in nobis per gratiam: & nos in illo pariter viuere dicimur, cùm nobis morimur, hoc eſt cùm carnis deſideria non perficimus. Nec aliter illi viuere poſſumus, niſi carni moriamur: Nam ſic Chriſto viuebant illi, quibus Apoſtolus ſcribens aiebat, Mortui enim eſtis & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Et ſic patet quid dicendum.

Ephe. 3.

CONTRAPO. XXXVI.

Rom. 11
Coloſſ. 3.

Altum ſapere à Paulo prohibitum.
Quę ſurſum ſunt ſapite, alibi.

Si quæ ſurſum ſunt, ſapere iubemur ab Apoſtolo, cur in altero altum ſapere prohibuerat, tanquam ſi hoc ſapere malum eſſet? Huic itidem nouimus reſpondendum, dicentes aliud eſſe quę ſurſum ſunt ſapere, & aliud altum ſapere. Nã ſapere quæ ſurſum ſunt, eſt ſcrutari & contemplari cœleſtia, & illam æternam patriam, quam per peccatum Adæ amiſſam, nobis rurſus acquiſiuit redemptor. Hanc & matrem noſtram Paulo placuit appellandam eſſe. In his ergo animum figere, eſt fœlix ſurſum ſapere. Sit igitur ſic ſurſum mens noſtra, & hîc in terris erit nobis requies, ſit mens noſtra ſurſum vbi eſt ille qui expectat nos, vt perpetuò ſimus cum illo qui & nomina noſtra iam ibi ſcripſit. Non ergo ſit amplius cor noſtrum in terris, qui portionem expectamus in cœlis habere. Sed altum ſapere eſt ſuper alios ſuperbire, vel velle ſcire ea quæ ſcire non licet. Quod & alibi prohibens Apoſtolus dixerat, Non oportet ſapere

ſuſquam oportet,ſed ſapere ad ſobrietatem Sed & clarius dum præfatos Romanos infrà allocutus ait, Non alta ſapientes,ſed humilibus conſentiẽtes: Ex hoc enim quod ait, humilibus conſentientes, oſtendit ſe nihil aliud dicere voluiſſe,quàm non ſuperbire in aliis,ſed humilem imitari Chriſtum,qui formam tribuens ſe ſequẽtibus ait, Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum. *Rom.12.*

CONTRAPO. XXXVII.

Carnalem ſe dixerat eſſe Paulus. *Rom.8.*
Carni non viuere ſe dixerat alibi. *1.Cor.10*

Si carnalem ſe eſſe Apoſtolus confeſſus eſt,cur ex aduerſo dixerat alibi ſe non viuere carni? Quibus reſpõdendum arbitramur,dicentes aliud eſſe carnalem ſe dicere, & aliud eſſe ſecundum carnem non viuere. Stat enim vt quis hanc carnem mortalem inhabitet tãquam viator, & quòd non viuat ſecundum carnem. Nam ſecundum carnem viuere mori eſt ſecundum Deum. Idcirco ſtante hoc ſenſu ad primam dicendũ placuit, quòd licet Paulus qui vinculo carnis adhuc inuolutus, carnalis dici poſſet, tamen quia diſſolui cupiebat ab illa, vt cum Chriſto eſſet, non ſecundum carnem viuebat, ſed *Phil.1.* ſecundum ſpiritum.Nouerat enim quòd hi qui ſecundũ carnem viuerent:Deo placere non poſſent.In qua carne ſe aliquando fuiſſe confeſſus eſt:ob quod dixerat, Dum paſsiones peccatorum operabatur in membris noſtris vt fructum ferrent mortis.Sed quia gratiam ſe conſecutũ eſſe agnouerat,idcirco ſubiungens atteſtatus eſt non amplius ſe conſenſum præbere legi membrorum. Ob quod ritè dicere poterat,Carni non viuo. Qui enim ſe- *Rom.7.* cundum interiorem hominẽ viuere dicitur,non amplius *Ephe.3.* concupiſcentiis carnis cõdelectatur, ſed legi Dei, quod eſt viuere ſecundum ſpiritum,ſi ſpiritus Dei in tali habi *Galat.5.* tat.Idcirco iuxta conſilium prænotati Apoſtoli, crucifigenda eſt caro iſta cum vitiis & concupiſcentiis,ſi Chriſto capiti tanquam idonea membra coaptari deſideramus.Et hoc non erit amplius viuere ſecundum carnem. *Rom.12.*

CONTRAPO. XXXVIII.

Rom.7. *VElle adiacere nobis Paulus nouerat.*
Philip. 2. *Deum in nobis operari velle, alibi dixerat.*

Si velle hominis taliter naturę agnoſcitur eſſe munus, vt ſibi congenitum eſſe dicatur, quomodo verum erit quod ex aduerſo dicitur, quòd Deus videlicet illud in nobis operetur? qui ſi illud in nobis operaretur, non eſſet homo dominus ſui actus nec liber: quod & abſurdum eſt dicere. Nam (vti Ambroſij verbis vtar) ſic Deus adminiſtrat res quas condidit, vt illas proprios motus ſinat agere. Idcirco & huic vt moris eſt, ſic reſpondendum nouimus, ad primam dicentes, cuius ſenſum talem fuiſſe nouimus, Velle adiacet mihi, id eſt voluntas mea indifferens eſt ad bonum & ad malum. Naturam enim vnuſquiſque ſortitur propriam: quòd verò velle quod quiſpiam ſortitus eſt bonum ſit, hoc à Deo efficitur, qui hoc præſtat homini, vt bonũ ſit illud quod homo vult. Quod & deſignauit prænotatus Apoſtolus in eo quod primæ ſubiunxerat. Dicit enim, Perficere autem non inuenio, quod ad meritum pertinet originalis peccati: non enim hoc eſt prima natura hominis, ſed pœna delicti. Nam quid facilius eſt homini conſtituto ſub lege quàm velle bonum & malum facere? Nempe & illud ſine difficultate vult, quamuis non tam facilè faciat quàm facilè vult. Dicat ergo humana fragilitas ſupplex & humilis ad Deum conuerſa, O mi Creator domine licet velle mihi adiaceat, tamen illud ſic mihi adiacere noſco, vt minimè opus bonum perficere queam niſi tu adiuues, qui ſolus facis vt bonum ſit quod vult mea volũtas. Sic ergo intellectis præmiſsis, in nullo prorſus contrariaſi cernuntur.

CONTRAPO. XXXIX.

2.Cor.11. *SVſtinendum dum in faciem cædimur.*
Act.23. *Cæſus Paulus conqueſtus eſt de cædente.*

Si Apoſtolus ſuſtinendum eſſe docuerat, dum quis pro Chriſti nomine ab altero cæditur, cur ipſe cæſus coram principe ſacerdotũ id ægrè tulerat, & idcirco de cæ-

dente cõquestus est? Nónne exemplo firmare debuerat quod verbo prius docuerat? Et huic sic pariter respondẽdum iudicauimus, dicentes vtrunque rectè fecisse & docuisse Apostolum, cùm in huiusmodi non extiterit suo præceptori contrarius, sed conformis. Qui pariter quod reliquerat verbis, firmauit exemplis, verbis dico, dum se sequenti dixerat, Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe illi alteram. Docuit pariter & exemplo, quia dum pateretur ab impiis non comminabatur. Idcirco & præceptoris & discipuli doctrinam sectantes, placuit ad præmissa dicendum, quòd prænotati per primam nisi sunt ostendere qualis & quanta debeat esse sufferentia Christiani hominis, vt etiam ad euitandam aduersarij hominis iram & impetũ præceperint, vt percussus quispiam in vnam maxillarum, patienter tollerans præberet & alteram percussori. Et quod magis est, in tantùm præceperat non irasci aduersario, vt etiam quærenti nostram aufe[illegible]re tunicam, pallium sibi etiam dimitti præcepit: non enim diabolus tantum de vulnere humani corporis gaudet, quantum facit de vulnere animæ. Nam idcirco aliquem excitat qui te percutiat, vt dum excitatus repercutis eum, pecces, & vno ictu vulneret ambos, Vtique vltionis exactio iram ad maius inflammat incendium, vt præmisimus. Prima quidem facie illum vicisse videris, sed reuera à diabolo tu victus es. Ad alterã verò dicendum placuit, quòd aliquando ad Dei honorem & gloriam ac ad percutientis instructionem, dum absunt alij qui hoc correptionis officio fungantur, licet respondere per verbum, sicuti & Christi documento edocemur, dum se percutienti, ait: Quid me cædis? & Pauli pariter dum conuersus ad principem illum dixerat, Percutiet te Deus paries dealbate. Et sic patet quid fuerat dicendum.

Ioan. 15. *Luc. 6.* *Ioan. 15.* *Act. 23.*

CONTRAPO. XI.

G*Loriatur Paulus in infirmitatibus.* 1. Cor. 10.
Gloriandum in cruce, alibi docuit. Galat. 5.

Si Paulus docuerat in cruce Domini nostri Iesu

Christi gloriandum duntaxat, cur in suis infirmitatibus gloriabatur pariter? Et huic, quæ nil contradictionis in se continere cernitur, placuit dicendum, quòd tota illa sua gloriatio qua in suis infirmitatibus gloriabatur, tota ad crucem Christi referenda est: gloriabatur enim tanquam membrum de corpore. Idcirco quidquid pœnale, quidquid persecutionis, quidquid exilij patiebatur pro Christi nomine, hoc totum ad crucem Christi, tanquam ad prothoticon referre didicerat, pręter quam nulla erat ei alia gloriatio. Ob quod & confidenter poterat dicere, Mihi absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi: hoc enim sibi peculiare erat, hunc sibi thesaurum elegerat. Meminerat enim Christum pro se fuisse passum & crucifixum. Idcirco vt membrum eius fieri mereretur, patienter sustinebat quidquid aduersi quoquomodo sibi illatum esset. Nam in infirmitatibus cōstitutus, constanter aiebat, Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi, extra quem omnem aliam gloriam velut stercora reputabat. Nouerat enim in illo contineri omnia, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt. Et sic patet quid fuerat ad pręmissa dicendum.

Gala.6.

CONTRAPO. XLI.

2. Cor. 11
Ibidem.

GLoriantes in carne increpat Paulus.
Gloriatur idem in carne sua, alibi.

Si pręnotatus in propria carne gloriabatur, cur durè Corinthios gloriantes in carne increpauit? Nónne vt Christi verus discipulus, quod ipse faciebat, alios vt sic facerent docere debuerat? Et huic, quæ nullam in se controuersiam continet, placuit dicendum, quòd dum Paulus gloriaretur in carne, non id egit, vt in illa tanquam de suo gloriam quæreret, sed id egit vt Iudæos confunderet Corinthum & Romam inhabitantes. Hi enim spem suam ponentes in carne insurgentes contra Gentiles conuersos aiebant, Nos semen Abrahæ sumus filij

Ibidem.

Patriarcharum & Prophetarum. Idcirco Paulus tanquā sagax & cautus præceptor hos quasi alios alloquens aie-

bat: Si semen Abrahæ sunt, & ego. Israëlitæ sunt, & ego, quasi dicat: Non enim super me causam gloriandi habent, quia semen sunt Abrahæ, quia & ego pariter ex Abrahæ semine oriundus sum. Hæc enim gloriatio vana est & sine fructu nil meriti secum portans. Sed illam veram gloriationem esse existimabat, qua quis domum conscientiæ lustrans, & nil lethale seu dignum morte cernens in illa, dans laudem Deo dicit, Nihil mihi conscius sum. Hanc enim gloriam testimonium bonæ conscientiæ vocauerat, secundum quam se conuersatũ fuisse aliquando coram domino attestatus est. Quamuis & gloriam hanc non sibi, sed domino finaliter tribuendam nouerat, danti sibi vt bonam conscientiam haberet. Sic enim didicerat fieri ab illo qui omnem gloriam domino referendam nouerat: idcirco in psalm. dixerat: Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam: nouerat enim iste Propheta nil boni contineri in homine, ob quod gloriandum sibi esset tãquam de suo, sed omnem gloriam dandam illi à quo omnia bona creaturis collata, tanquam à fonte procedunt. Et sic patet quid dicendum. *Psal.113.* *Iac.1.*

CONTRAPO. XLII.

Gloriandum in Domino Paulus docuit. *1.Cor.1.*
Gloriatur idem in seipso, alibi. *Gala.6.*

Si Apostolus scribens Galatis, concesserat vt in seipsis gloriarentur, cur aliter se habuit dum Corinthios allocutus est? Et huic, præter id quod in præcedẽtibus dictum fuit ad plenum, & isti pariter superaddendum iudicauimus, dicentes Paulum non sic intellexisse gloriãdum homini in seipso, vt illa Dei gloriatio euacuetur, sed vt magis aucta sit, qui id tribuit homini, vt de accepto dono gratias Deo referat. Nam vera gloriatio illa dici meretur, dũ pro bono quod agit homo fauore Dei, gloriatur in domino, quem commendat laudando de dono sibi misericorditer collato, & ita agit in publico, vt boni facti intentio intus remaneat in occulto, illi dũtaxat placere cupiens, qui sibi hoc tribuit, vt bonum *1.Cor.4.*

ageret, à quo & boni facti mercedẽ expectare debet, dicens cum Paulo, Et gloriamur in spe filiorum Dei. Nã quæ maior gloriatio potest esse homini Christiano quã ista, qua expectamus non solũ Dei inimicos nos esse, sed & filios illius qui super omnes est? & quanto ille sublimior est in omnipotentia & virtute, tanto nos maioris esse debemus diligentiæ in sanctitate, iustitia, humilitate, ac obseruantia mandatorum eius. Nam vt suam
Rom. 5. gloriam nobis Deus daret, nostram penitus abstulit, quæ tunc in puluerem deducitur cùm in Deo gloriari didicerimus. Concludentes igitur ad primam, dicimus quòd Paulus non sic in seipso gloriabatur, vt finem glo-
Rom. 7. riationis locaret ibi, cùm alibi dixerit, Scio enim quòd in me bonum non habitat, sed totam suam gloriam domino tribuebat.

CONTRAPO. XLIII.

1. Cor. 2. *Imitatores mei estote, dixerat* Paulus.
Ephe. 5. *Imitatores Dei estote sicut filij charißimi.*

Si Deum patrem, qui æquanimiter omnibus bona tribuit imitari debemus tanquam boni filij, cur Paulus seipsum in exemplar imitandum tradiderat alibi? Nónne sciebat præceptorem suum dedisse regulam suis fidelibus vt se imitarentur, dicens: Discite à me quia mitis sum & humilis corde? Et huic pariter respondendum nouimus, dicentes quòd Paulus vt prudens & probus præceptor, vtrisque, videlicet Ephesiis & Corinthiis cõuenientia tribuit documenta. Nam quia nouerat Ephesios iam in fide fuisse perfectos, ita vt Deum pro modulo possent imitari, idcirco eos hortatus, ait: Imitatores Dei estote sicuti filij charissimi. Imitatur autem Deus veraciter, dum quis simili ac conformi lege actus suos moderatur, qua regitur orbis & per quam ipse rerũ opifex condidit & gubernat vniuersa. Nam cùm ad similitudinem & imaginem Dei factus sit, ideo perfectio & salus eius requirit vt conditorem suum facto operéque referat & imitetur. Sed quia econuerso nouerat Corinthios nondum hunc gradum attigisse, idcirco seipsum

Deus quo modo imitetur ab homine.

imitandum proposuerat illis. Quanquam ibi nō terminauerit sententiam hanc, sed adiecit, Sicuti & ego Christi, quasi præfatis diceret: Quia vt cerno, adhuc carnales estis, & gloriamini in carne ob quod cœlestia capere nō valetis: idcirco quia propter vestram imperfectionē nosco vos Christum imitari non posse, imitamini saltem discipulum eius quem vobis in formam trado, imitamini pariter illum qui pro se lapidātibus exorabat, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Imitamini dico si cupitis & vobis dimitti debita vestra: dicente Domino, Si dimiseritis peccata hominibus, & pater vester dimittet vobis debita vestra. Nihil enim dignius apud homines reperitur, quàm sui authoris imitatorem fieri, & secundum modulum impartitæ mensuræ diuini operis exequutorem esse. Nam cùm aluntur esurientes, vestiuntur nudi, fouentur infirmi, nónne auxilium Domini ministri manus explet? & benignitas serui nónne munus agnoscitur esse Domini? *Act.7.* *Mat.6.*

CONTRAPO. XLIIII.

L*Audat* Paulus *Corinthios discipulos.* *1.Cor.1.*

Arguit Paulus *præfatos tanquam contentiosos.* *Ibidem.*

Si præfatos tanquam laude dignos commēdauerat Apostolus, cur statim eosdem sic durè increpauerat? nō enim laude dignus inuenitur ille, qui increpandus est ob sua scelera. Quibus pariter sic respōdemus dicētes, ꝙ non obstat vt in aliquibus quispiam sit laudandus, & ob aliam causam calumniandus sit & arguēdus. Nam quia nouerat quosdam Corinthiorum taliter tumescentes superbia, vt super alios se extollendos existimarent, idcirco vt præfatos ab huiusmodi curaret languore, tali fuit vsus medicamine, vt sic ab huiusmodi fæce curati, sani redderētur Ecclesię. Vtiq; boni magistri functus fuit officio. Nam à perfectorum incipiens laudibus, discretè corripuit delinquentes, vt bonorum vita proposita, confusi recederent ab erroribus, qui inflati superbia nimis eleuabantur, iuxta illud Chrysostomi, Bonorum vita detrimentum est pessimorum. Vtique bonus chirurgus *1.Cor.1.*

vulnus secandum cernens, sed ægrum conspiciens timidum, diu palpauit, sed subitò percussit: prius enim blandam manum laudis posuit, postmodum ferrum increpationis fixit, vt eiecta à plaga putredine & sanie facilius curaretur vulnus. Sic enim & Galatas facere docuerat dũ
Galat. 6. præfatis scribens, ait: Et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. Quanquam durius sint increpandi hi, qui aliâs correcti se emendare neglexerint, ne membrum penitus desperatum totũ corpus inficiat & corrumpat. Et sic patet quid fuerat dicendum.

CONTRAPO. XLV.

2. Cor. 5. *Mori non vult Paulus, sed superuestiri.*
Philip. 1. *Mori Paulus alibi desiderat.*

Mirum quippe videtur, vt contrarios appetitus in se habuerit Apostolus, vt aliquando mori cupierit, & aliquando non mori. Sed si causam huius oppositę volitionis venari placuerit, proculdubio videbimus nil in ipsa esse contrarij. Nam dum dissolui cupierat, non absolutè mori petiit, quinpotius vt sic corpore mortuus perpetuè cum Christo viueret: nouerat enim mori non esse dicendum qui cum eo perpetuè vitam habet. Scie-
Psal. 83. bat enim melius esse habere vnam diem cum datore vitæ quàm mille sine illo in hac præsenti vita. Nouerat enim per mortem istam temporaneam quam cupierat, vitam se mercari ęternam. Sed illud quod præmiserat in altero, hoc respectu naturę assumptę ab Adã protulerat. Ipsa enim non assueta cœlestibus potius superuestiri cupit quàm vita præsenti expoliari qua viuit: sed homo interior aliter se habens dicit, Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum non manu factam, sed æternam in cœlis. Et sic ex præmissis patet qualiter secundum veterem hominem aliter locutus fuit Apostolus, & aliter secundum interiorem qui inno-
Rom. 6. uatur de die in diem. Et sic patet quid dicendum fuerat ad præmissa.

CONTRAPO. XLVI.

P*Aulus praecepit nos non esse paruulos.* 1.Cor.14.
Paulus nos docuerat esse paruulos. Ibidem.

Si Apostolus monuit pueros nos non esse, cur vt pueri simus statim subiunxit in altero? an forsan pœnituerat se primum dixisse? Idcirco & huic sic dicendum placuit, quòd in prima non illic terminata est sententia, sed illi additum est, sensibus: pariter & alteri additum nouimus, malitia. Nam qui iam maturam ætatem possident & attingunt, si infantilibus & iocalibus delectantur, pueri meritò dicendi sunt: quibus æterna mors pro mercede promittitur ac comminatur, dicente Scriptura, Puer centum annorum morietur. Valde enim absurdum esse iudicamus videre hominem iam ætatis prouectæ sensibus esse puerum. Sed pueros esse malitia & hortamur esse consilio, & pręceptum dari nouimus: qui nisi sic fecerimus, regnum cœlorum minimè adipisci possumus, Saluatore dicente, Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Conuerti autem & effici sicut paruulus, nihil aliud est quàm animam ipsam à vanis sordibus terrenorum affectibus diuertere, & eam congenitæ puritati restituere, vnde conformitatem, dilectionem, & adhærentiam consequi valeat cum æternæ vitæ origine. De malitia verò quam omnino iubemur deponere Petrus locutus ait, Deposita omni malitia & dolo, vt modo geniti infantes lac concupiscite: non enim prænotatus Apostolus vnà cum suo præceptore in allegatis sententiis, pueros ætate fuerant allocuti, sed pueros prouectæ ætatis qui iam attigerant maturos annos. Nam malitia quid aliud est, nisi nocendi amor: pariter & dolus, quid aliud est, nisi aliud agere, aliud simulare. Malitia enim malo semper delectatur alieno, sed dolus cor duplicat. Innocentia verò siue simplicitas opposita malitiæ non gaudet super iniquitate, quinpotius iuxta Apostoli dictum, bonitati congaudet, quam vt sequamur præceptor dedit mandatum, dicens: Estote simplices. Et vt scires quia non de vtcunque simplicibus intendebat, addidit eo in

Marginal notes: Esa.45. — 1.Cor.4. — Mat.18. — 1. Pet.2.

Mat.10. loco, Sicut columbæ, quæ felle carentes nesciunt nocere alicui. Quanquam ad primam aliter respondentes possemus dicere, quòd Apostolus eo in loco idcirco prohibuerat Corinthios non effici pueros sensibus, quia eius intentio fuerat vt proficiẽtes in fide Christi potiora degustarent, quousque ad perfectum deducti valerent di-
Rom.14. scernere inter diem & diem, quem gradum nondum attigerant nisi quàm pauci, de quibus locutus alibi ait, Sapientiam loquimur inter perfectos. Et sic patet quid fuerat dicendum.

CONTRAPO. XLVII.

1.Cor.15. *PAulus plus aliis Apostolis laborauerat.*
Ephes.3. *Paulus minimum Apostolorum se esse dixerat.*

Quomodo minor aliis dicendus est ille, qui abũdantius in Euangelio laborauerat aliis? Et huic quæ nil contradictionis in se continere cernitur, dicendum placuit ad primã, quòd bene stat, vt quis sit alio maior charitate, seu fide, & quòd minus laborauerit in opere. Nam Deus non ad manum, sed ad cor respicere dicitur, & quanto seu quali affectu perfectum sit opus. Idcirco licet Paulus abundantius cæteris laborauerit in commisso sibi ministerio, tamen ex humilitate se esse minimũ aliorũ dixerat: Sic enim fieri didicerat ab illo qui se se-
Mat.10. quentibus mandatum tribuens dixerat, Cùm hæc omnia feceritis, dicite, Serui inutiles sumus. Et alibi primatum respuere docẽs ait, discipulos alloquẽs: Qui voluerit maior inter vos fieri, erit minister vester. Et adhuc seipsum in formam sectandæ humilitatis præbens dixit, Discite à me quia mitis sum & humilis corde, &c. Quanquam possemus dicere, quòd idcirco se minimum esse
Acto.9. Apostolorum existimauerat, quia nouerat se prius superbum extitisse dum Ecclesiam persecutus est. Vel dicamus ideo minimum, quia nouissimus omnium vocatus fuit ad Apostolatum, licet alio respectu maior cæteris forsan posset dici, quia illi à Domino credita fuerat cura omnium Ecclesiarum, vt ipsemet attestatus est alibi. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. XLVIII.

QVi plantat & qui rigat vnum sunt. 1.Cor.3.
Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid. Ibidem.

Si qui plantat & qui rigat nō sunt aliquid, quomodo verum erit, quòd sint vnum, vt in altero præmittitur? Idcirco & huic pariter nouimus dicēdum, quòd sensus secundus non sic intelligendus est, vt qui plantat & rigat non sint aliquid in natura, quia secundum Boetiū, Omne quod est, ideo est, quia vnum numero est: & quod est vnum, illud est aliquid. Sed potius dicendum est, ꝙ illud quod sic est vnum in proposito, nō est aliquid quo ad opus perfectæ geniture, cùm nulla creatura tantæ virtutis aut potestatis esse videatur, vt ex se posſit facere quòd illud quod plantatum & irrigatum est, incrementum suscipiat, augeatur & fructum faciat, licet sit potens disponere aliqualiter ad influxum suscipiendum cœlestem pertinentem ad genituram. Vtique aliunde postmodum venit, vt quod plantatum & irrigatum est, viuat & augeatur. Et si hoc in plantatione naturalis arboris necessarium esse existimatur, quid dicendum in plantatione rationalis arboris, id est, hominis, qui ab Aristo. dictus fuit arbor inuersa? Nam hanc arborem primò in Dei veridario, radicem habere nouimus, licet postmodū per ministeriū denuntiantis verbum, in hominis mente plantetur: quæ sic plantata minimè posset incrementum suscipere sine custodia & irrigatione illius cœlestis agricolæ, qui de huiusmodi arbore locutionem faciens, dixerat: Sicut palmes non potest ex se fructum facere nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Profectò vana & vacua venit æstimanda exterior prædicatio verbi, nisi planta per verbum plantata irrigetur interius sancti spiritus aspersione, qua fœcundatur anima, vt huiusmodi fœtu prius in se concepto, fructum salutis postmodum pariat. Et sic patet quid dicendum. Ioan.15.

CONTRAPO. XLIX.

PEr infamiam incedendum Paulus docuit. 2.Cor.6.
Bonam famam sectari alibì monuit.

Si Apostolus per infamiam incedere docuerat fideles homines, cur alibi ex aduerso bonam famam sectari præceperat Philippense.? Et huic dicendum nouimus, quod non est credendum, quòd tantus Apostolus per illam infamiam incedendum docuerit, quæ bonis moribus opposita cernitur esse, quia hoc econtrariò militaret cõtra illud quod alibi dicitur, Curam habe de bono nomine:
Eccle. 41. sed de illa infamia locutus fuit, qua quis benefaciẽs, habetur contemptui & tanquã infamis & fatuus existimatur apud incredulos ipse verò solo Dei intuitu huiusmo
1. Pet. 2. di conuitia & contumelias patienter tollerat. Hác enim gratiam esse magnam iudicauerat Petrus, dum ait: Hæc enim est gratia si propter Dei cõscientiam sustinet quis
Mat. 5. tristitias iniustè patiens, præceptorem in hoc imitatus, qui tales beatos vocauerat dicens in Euangelio, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Hanc ergo famam bonam si quis in se habuerit, hilariter tolerans quicquid sibi iniustè illatum fuerit, magnum inde emolumentum meriti reportabit à Deo, qui hos patienter sustinentes coronare nouit, vt Iacobus attestatus est:
Iaco. 1. scientes quia prope nos est ille, qui nostra virtus dicitur, & refugiũ, ac adiutor in tribulationib⁹. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. 1.

VNicuique manifestatio spiritus datur ad vtilitatem.
1. Cor. 12. *Donum propheticum Balaam collatum ad perniciem.*
2. Pet. 2. Si ad vtilitatẽ dona spiritus conferuntur homini, & vt illi prosint, cur Prophetiæ donum in perniciem collatum fuit Balaam? Et huic quæ nil prorsus contradictionis in se continere cernitur, placuit dicendum non esse verum quòd bonũ huiusmodi fuerit collatum Prophetę in suam perniciem, quinpotius vt beneuteretur illo, sicuti & Apostolatus dignitas non idcirco Iudæ collata fuerat, vt periret suspendio, sed vt sibi bene esset, ac vt illam exequeretur ad sui & aliorum vtilitatem. Nam iste spiritus cùm sit benignus, suauis, & beneficus, omnibus semper benefacere intendit, sicuti sol qui omnibus

æquanimiter ſuum impartit calorem,ſed accidit vt quis ponens obicem eius declinet radios,& non calefiat. Idcirco ad ſecundam placuit dicendum quòd donum iſtud Propheticum fuerat illi collatum , vt bonum illi eſſet, ſed ipſe infœlix corruptus pecunia à rege Bilac, malè fuit vſus dono,idcirco & illo priuari meruit, tanquam ingratus & malus ſeruus de talento accepto.Nec ſpiritui hoc eſt imputandum,qui(vt pręmiſimus)tribuerat ei donum vt ſibi eſſet vtile, & aliis quibus Prophetare debuerat:cùm non permittat Deus vt ſua dona gratis collata homini vacua ſint & inania, nec patiatur errātem populū abſque correctionis beneficio eſſe. Quod & de ſacramentis idem pariter arbitramur dicendum. Ipſa enim ob hoc inſtituta credūtur, vt gratiam ſemper conferre valeant bene diſpoſito.Sed accidit aliquando, vt obicem ponenti efficiātur ad perniciem, & deuoluatur ad mortem,quod vt vitam tribueret, fuerat inſtitutum.Nec obſtat,quòd non efficiant quod figurant,licet aliquando à miniſtro conferantur malo,cuius vita mala inficere nequit hoc ſacramentum. Et ſic patet quid fuerat ad præmiſſa dicendum.

Balaā cur priuatus dono.

Sacramenta quibus gratiā cōferunt.

CONTRAPO. LI.

Virgam aliquando minatus eſt Paulus. *1.Cor. 4.*
Virgam omnino tolli, præcepit alibi. *Galat.6.*

Mirum videtur,vt virgam quibuſdā minetur Apoſtolus, & illam omnino tolli præceperit Galatis : ſed ſi cauſam ſcrutari velimus,proculdubio agnoſcemus id ſapienter egiſſe Apoſtolum . Nam illis virga vti neceſſe fuerat, qui pœnitentiā reſpuentes nullatenus à ſuis delictis emendari curabant, quinpotius ſanam doctrinam non ſuſtinentes ſuóſque præceptores deridentes illos ſpernebant. Idcirco ne plaga talium non curata medicamine putrefieret , ac per hoc inſanabilis redderetur, virga corrigendos eſſe decreuit.Ipſi enim Corinthij inflati ſuperbia ſuſtinebant quempiam fornicatorem publicum.Nam vbi pœnitentiæ liuor non ſanat ſponte aſſumptus,huic virga neceſſariò adhibenda eſt,& non mi

nus quàm frenum equo, ne morbida facta pecus totum corrumpat ouile. Sed vbi ecõuerso peccator vulnus suũ aperiens medico se curandũ committit humiliter, huic virga adhibenda non est, sed lenitatis spiritu ac clementiæ oleo perungendus est. De quorũ numero credimus fuisse Galatas, quibus omnino virgam tolli iubet Apostolus. Et sic ex prædictis patet, quando virga & quibus causis adhibenda est, & quando tollenda est.

Cui virga non venit adhibẽda.

CONTRAPO. LII.

1. Cor. 2.
1. Cor. 4.

Spiritualis à nemine iudicandus.
Dominus autem iudicat me, ait Paulus.

Si spiritualis tali munere dotandus est, vt à nemine sit iudicandus, cur Paulus iam per gratiam spiritualis effectus nouerat se à Domino iudicãdum? Idcirco & huic placuit respondendum, dicentes, quòd per primam non est excludendus Deus, quem omnium esse iudicem vbique comprobatur & creditur, cùm illi sint omnium corda patentia & aperta: Sed duntaxat quilibet alius homo includendus est, propter id quod isdem Apostolus adiecit in loco prænotato, dicens: Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Quanquam ad primam aliter respondentes possemus dicere confidẽter, quòd neque ab ipso Domino spiritualis iudicandus est, iudicio videlicet punitionis ac dãnationis in die extrema. Hoc autẽ dicimus, si seipsum in hoc tẽpore diiudicauerit homo, puniens in se quod carnale quódve terrenum in se fuerat aliquando. Et hoc est
1. Cor. 11. quod prænotatus Apostolus dixerat alibi, videlicet, Si nos ipsos diiudicauerimus nõ vtiq; diiudicabimur. Modus verò quo spiritualis efficitur homo, vt sit potẽs iudicare omnia, & ipse à nemine iudicetur, talis esse debet, vt totus conuersus ad Deum innouetur interius exteriúsque. Innouetur inquam, vt qui in cœno sordentis nequitiæ incedit, per lachrymarum effusionem ac pœnitentiæ fontem purgetur. Innouet aurium puritatem, quam sibi auditu fidei diuinitus constat fuisse collatam:
Iac. 1. cohibeat linguam suam à malo, quæ confessione fidei

Homo quomodo spiritualis efficiatur.

ſanctificata fuerat. Non ſolùm autem à malis aurem linguámque ſatis eſt caſtigare loquelis, ſi non etiam iuxta Pſalmiſtam, inclinemus aurem noſtram in verba oris Dei, ſi non os noſtrum loquatur ſapientiam & meditatio cordis noſtri prudentiam. Sed & cunctos ſimul interioris exterioríſque hominis noſtri ſenſus, qui in baptiſmo cuncti abluti ſunt, oportet vt mundos ſeruemus, ac bonis operibus inſuper ſemper ornemus. Et ſic patet quid dicendum. *Pſal.77.* *Senſus oportet mũdos ſeruare.*

CONTRAPO. LIII.

Deum nullus hominum videre poteſt. *1. Tim. 6.*
Videbimus eum ſicuti eſt. *1. Ioan. 3*

Si nullus hominũ Deum videre poteſt (vt arcanorum reſerator nouerat) quid videtur aliter ſomniare dicens in altera, quòd viſuri ſumus illum ſicuti eſt? Et huic præter illa quæ nos aliâs dixiſſe recolimus, & illud pariter nouimus adiiciendum, dicentes primam non eſſe alteri cõtrariam. Vtique qui Deum videt per fidem, vti ſibi cœlitus reuelatum eſt, hic ſuper hominem effectus eſt, cui & pariter collatum eſt, vt filius Dei nominetur & ſit. Nam Deus tantæ bonitatis fuerat erga homines, quòd vt illos Deos faceret, ipſe factus ſit homo, vt & ſic per fidem ſui vnigeniti ipſum Deum cerneret quantum ſibi licuerat pro ſtatu iſto. Nec eſt intelligendum quòd Deus corporea contineat membra: nam vbicunque in ſcripturis ſparſim motus animæ in Deum, ſeu humana membra eſſe deſcribuntur, id eſt, caput, capilli, oculi, palpebræ, nares, os, labia, lingua, cor, & cætera huiuſmodi, non carnaliter iuxta hiſtoriam ſed ſpiritualiter intelligenda ſunt. Alteram verò ſententiam quam Apoſtoli Ioannis eſſe nouimus, iam pluries expoſuimus, & qualiter intelligenda ſit iam reliquimus alibi, dicẽtes quòd illi ſoli Deum viſuri ſunt per ſpeciem, qui illum videre meruerunt per fidem dum eſſent in mundo. Profectò Ioannes in Chriſto credentibus locutus eſt dum ait, Videbimus eum ſicuti eſt. Et ſic patet quid ad præmiſſa fuit dicendum. *Membra Dei quæ ſint intelligenda.* *Viſuri Deũ qui.*

CONTRAPO. LIIII.

1.Cor.12. IEsus non potest dici nisi in spiritu sancto.
Act.19. Iesum expreßit voce, spiritum habens phitonicum.

Si Dominus Iesus non nisi in spiritu sancto exprimi potest, quid est quòd spiritus ille nequam ausus fuit dicere, Iesum noui? Et huic, quæ nil prorsus contradictionis in se videtur includere, placuit dicendum, quòd prima non sic intelligẽda est, vt eius sit sensus, quòd homo peccator excludatur per illã quin & ipse ore polluto nomen Iesu nominare queat, quanquam illud non exprimat nisi voce, & non in Spiritusancto. Quia oportet vt ille qui eũ in spiritusancto dicit, factis confiteatur quod profitetur ore, non sicuti illi de quibus dicitur, Confitentur verbis se nosse Deum, factis autem negãt: sed qui in Spiritusancto eum nominant, quod ore profitentur, corde credunt & factis probant. Nam cùm istud sacrum nomen Iesu interpretetur salutem, idcirco non potest ritè exprimi à peccatore & impio, cui salus & pax esse non potest, iuxta illud, Non est pax impiis. Non enim vt salutem accipiat impius, istud sacrum nomen nominat, cui virtus nominis penitus ignota est. Ex quibus concludendum est, quòd nemo potest dicere Dominum Iesum vt salutem consequatur ex sua inuocatione, nisi in se habitantem habeat spiritum sanctum, qui hominem inhabitare dicitur per gratiam. Et sic patet quid ad præmissa fuerat dicendum.

Iesum dicere in spiritu sancto. *Tit. 1.* *Esa.57.* *1.Cor. 12.*

CONTRAPO. LV.

1.Cor.3. IGnis probabit opus cuiuscunque.
Galat.6. Opus suum probet vnusquisque.

Si ab origine opus cuiuslibet erit probãdum, quid est ꝙ Paulus scribit ad Galatas? Huic autem, pręter id quod nos aliâs dixisse recolimus, & illud pariter superaddendum nouimus, dicentes quòd de illo igne intelligenda est prima, quo purgandi sunt omnes prædestinati, dum sunt in hoc mundo, vt postmodum sic purgati, educantur in refrigeriũ. De hoc enim locutus Propheta regius

dixit in Psal. Igne me examinasti: sed & alibi in persona omnium saluādorum ait, Transiuimus per ignem, & eduxisti nos in refrigeriū: sic enim electi ab omni peccatorum fæce purgati, sunt ingressuri cœlum, in quo nihil coinquinatū valet ingredi, vti Ioānes in suis Reuelationibus dixerat. Quanquā & de purgatorij igne posit hęc prima intelligi, vt cōmunem sequamur opinionem: quo igne in alio sæculo purgandi relinquuntur qui ad plenū viuentes purgati non extiterant per pœnitentiā, seu per dolorem sponte assumptum. Sed altera de examine seu discusione conscientię intelligenda est, qua homo opus suū diebus singulis probare habet, vt Deo placeat, quæ vt illi grata sit, & nobis proficua perficienda est, iuxta Pythagoricum dogma, sic eam fieri mandans, vt videlicet cum nox superuenerit, & ad somnum se verterit homo conscientię iudicium statuamus, cogitantes si turpia admiserimus, ea protinus accusare ac emendare nō negligamus, si bona laudare & approbare, Deo maximo gratias referentes. Ratio autem hæc suscipiens peruigil sui ipsius iudex fiat & dicat, Quid hodie feci? Vbi pręuaricaui? Quid fieri oportebat quod non feci? Et si diem se pertransisse diuinis legibus conformem inuenerit, tunc opus suum ritè probatum reddet.

Psal. 16. *Psal. 65.* *Apo. 21.* *Documētum Pythagoræ pulchrū.*

CONTRAPO. LVI.

Maledici regnum Dei non posidebunt. *Maledixerat Paulus Ananiam.*

1. Cor. 6 *Act. 23.*

Si maledicere taliter inuenitur in scripturis prohibitū, vt maledicus non sit ingressurus cœlū, cur Paulus qui hoc esse verum nouerat, maledixit Ananię sacerdoti, dum ex eius iussu percussus in faciem dixerat illi, Percutiet te Deus paries dealbate? Nónne quod ipse docuerat scripto, exēplo firmare debebat? Idcirco & huic pariter respondendum nouimus, dicētes maledicere dupliciter posse accipi in scripturis, quorum alterum tanquam iustum & honestum commendatur vbilibet, alterum verò repudiant sacræ literæ ac vilipendunt tanquam damnosum & vanum: primū enim ex iustitiæ zelo suam trahit

Maledicere duplex.

originem, legis Dei obseruantiam habens pro obiecto, sed alterum ex bullientis iræ impetu procedere dicitur, ac ex maleuolo animo, vindictam duntaxat in homine expetens: primò maledixerat Ananiæ Paulus, quia contra legem iusserat eum percuti. Maledixerat pariter Bariehu, qui tentabat auertere à fide proconsulem illũ. Maledixerat etiam Petrus Simonem magnũ, dum ait illi: Pecunia tua tecũ sit in perditione. Maledixerat longè antea Helias illos duos quinquagenarios eũ capere quærẽtes. Maledicũt pariter quotidie omnes psallentes illos, quos à mandatis Dei declinare cernunt. Et sic de multis quos scriptura cõmemorat. Nec hoc maledicere, contra legẽ Dei esse iudicatur, sed multũ illi conforme. Quia & ipse Deus omnes peruersos pariter continuè maledicit. Quã quam & hanc nouimus esse differentiã inter maledicere ipsius Dei & maledicere hominum: quod enim ille facit iustitiæ examine, hoc facit homo appetitu vindictæ. Sed maledicto maleuolo ac dolo pleno maledixerant scribę & Pharisæi dominũ nostrum Iesum Christũ, dum contra illum sicuti canes rabidi latrantes dicebant: Nóne bene dicimus nos quia dæmonium habes? Et pendentem in cruce blasphemantes ac deridentes aiebant, Vah qui destruis templũ Dei & in triduo reædificas illud. Pariter cæco illuminato maledicentes, eiecerunt eum extra synagogam conuitiis ac contumeliis affectũ. Et sic ex præmissis patet quando maledicere inueniatur licitum & quando illicitum iudicandum sit.

Act. 13. *Act. 8.* *Psal. 118.* *Ioan. 8.* *Mat. 26.* *Mat. 12.*

CONTRAPO. LVII.

ad Tit. 2. *2. Tim. 5.*

ARguendum cum omni imperio mandauit Paulus. Arguendum in patientia, docuerat alibi.

Si cum omni imperio arguẽdum præceperat Apostolus, cur ex aduerso mandauit alteri vt cum omni patientia hoc officio fungeretur? Idcirco & huic quę nil cõ tradictionis sapit, placuit dicendũ, ꝙ vtraque forma, cùm res expostulat, seruanda est ab illo qui aliis præsidet iuxta modulũ. Nam quos de suis ouibus viderit maiori vlcere sauciatos esse, hos duriori ac acerbiori increpatione

debet corrigere, vt cæteris ex hac correctione incutiat timorem: quos verò econuerso minus vlceratos agnouerit, his vtique mansuetior esse debet: cæteris non obstantibus, vt puta complexionibus & naturis diuersis: nõ enim semper prælatus debet rigidus apparere, immo quandoque secundum personas cum quibus agit debet mansuetudinem tenere, & subditos suos benignitate ad bonum inducere, & obsecrando ipsos dulciter corrigere & castigare. Nam & his variis formis aliquãdo vsus fuit Apostolus in suis correptionibus, vt pręfati sumus de virga alibi. Corinthiis enim quos & ceruicosos nouerat atque contentiosos seuerior fuit & durior, sed ad Ephesios in lenitate spiritus se ire promiserat. Quanquam hoc in loco forma varia corripiendi penes corripientes potius quàm penes correptos attendenda est, vti litera liquidò sonat. Nam quia Paulus nouerat Titum esse mansuetum & pauidum, idcirco ne præ nimia pusillanimitate à correptione necessaria cessaret, pręcepit vt cum omni imperio suum exerceret officium. Alterum verò è cõuerso cernens quadam (vt ita dicam) naturali ac animali passione laborantem, ne errantem corripiẽs rueret in præceps, limites exiens rationis, pręcepit illi vt suam mitigans iracundiam cum omni patientia ac cordis lenitate errantes corrigeret. Et sic patet quid dicendum.

Correctio quomodo facienda in subditis.

1. Cor. 4.

CONTRA P O. LVIII.

G*Audete, iterum dico gaudete.* *Philip. 4*
Miseri estote & lugete, alibi. *Iac. 4.*

Si miseros ac lugentes nos esse monuerat Iacobus: quid est quòd doctor gẽtium aliud sentit in altero? Profectò qui plorat & luget, neque gaudere nec consolari potest cùm sit miser & tristis nulliúsque consolationis capax, idcirco & huic, præter id quod nos dixisse aliâs recolimus, & illud superaddendum iudicauimus, dicentes vtrunque à nobis faciendum necessariò esse, loco & tẽpore. Tunc enim gaudere & exultari debemus, dum conscientiam nostram culpis vacuam esse cernimus, habẽtes in illa bonum testimoniũ, sicuti nos docuerat ille,

Quomodo nobis exultandum.

2.Cor.1. qui ait: Nam gloria nostra hæc est, testimonium cõsciẽtiæ nostræ: cuius consilio ex aduerso faciunt, qui forinsecus ad homines quærunt gloriam: hi enim qui sic inani delectantur gloria, intus euacuari à mercede merentur, carentes boni operis fructu, quem nequeũt ex opere reportare. Iacobus verò non fuit Paulo contrarius, dum miseros ac lugentes nos esse monuerat. Profectò dum *Psal.119.* contemplamur nos esse exules & peregrinos à patria, ac constitutos in hac lachrymarum valle, plorandum con- *Apoc.7.* tinuè ac lugendum nobis est, donec illuc perueniamus, vbi absterget Deus omnem lachrymam ab oculis nostris, & vbi non erit amplius neque luctus, neq; clamor, sed nec vllus dolor, quinpotius gaudium inenarrabile ac lætitia incessabilis. Quanquam sit alia causa & nõ minus vtilis nobis quàm præmissa, ob quam continuè dolere ac tristari debemus, & est dum quis cordis intima ingrediens recolit se offendisse suis criminibus tam piũ, clementem ac misericordem patrem Deum suum, ob quod coram illo prostratus fusis lachrymis & gemitibus rogat veniam, dicens humiliter cum Ecclesia: Nostris malis offendimus tuam deus clementiam, effunde nobis desuper remissor indulgentiam. Et sic patet quid fuerat dicendum.

Tristari & gaudere quãdo debemus.

CONTRAPO. LIX.

2. Tim.2 NOli verbis contendere.
ad Tit.1. *Argue eos qui contradicunt.*

Quomodo contradicentes valebit arguere is qui pręsidet, si sibi ne verbis contẽdat interdicitur? An forsan nutibus & signis, surdorum more, id valebit implere? id absurdum est dicere. Idcirco & huic pariter arbitramur dicendum, quòd non absolutè prohibuerat Apostolus verbis contendere illi, qui pastoratus officio præest, cui ex ministerio non tantùm minis & censuris conuenit errantem corrigere populum, sed etiam clamorosis vocibus insultare, dum licet. Quanquam tunc fieri interdixerit Apostolus, dum sic contendere verbis ad nil aliud deseruiret, quam vt tuam sententiam dicto alterius

Contẽdere verbis quãdo licitum.

præferas, & hoc non absque audientium submersione & scandalo, vt primæ adiecit Apostolus, qui in illa sententia potius habuit oculum ad vitam & conuersationem pastoris, quàm ad officium, vt videlicet esset forma & exemplar præfulgidum in castitate, fide, vita, & dilectione sibi subditorum: sic bonam exercendam vitam docens, vt etiam bonam non negligeret famam, sed bona prouideat coram Deo & hominibus quãtum potest, illum timendo, his consulendo. Idcirco pastor debet gregem præcellere per vitæ eminentiam, quia quanta est differentia inter vitam pastoris & vitam pecudum, quia ille homo rationalis, iste verò bestia, tanta debet esse differentia inter pastorem & gregem, & taliter debet vita sua alios pręcellere in moribus, quòd subditi respectu ipsius debeant pecudes apparere. Idcirco in ipso sermone potius vult Apostolus rebus placere quàm verbis, ne videlicet Doctor verbis seruiat, sed verba Doctori. Quanquam ad hanc primam aliter respondentes possemus dicere, quòd idcirco Apostolus prohibuit verbis contendere, ne fidei puritas inficeretur, quæ naturalibus rationibus supernatans semper inuicta permanet, ob quod verborum multiplicitate defendenda non est, nec minus sophisticis rationibus, ne illius meritum è medio tollatur, dicente Gregorio: Fides nõ habet meritum vbi humana ratio præbet experimentum. Et sic patet quid dicendum foret ad ista.

Fides non indiget rationibus naturalibus.

CONTRAPO. LX.

EX operibus legis non iustificatur homo. *Gala. 3.*
Ex operibus legis hominem iustificari legimus. *Iac. 2.*

Nõ enim in huiusmodi subterfugere valemus quin in præmissis contradictio contineatur: sed si verborum seriem contemplari placuerit, ea multum consona videbuntur. Non enim putandũ est, quòd Apostolus Christi Iacobus contrarius fuerit præconi veritatis. Nec altera cum præcisione intelligenda est, vt videlicet eius sit sensus, ꝑ ex solis operibus iustificetur homo, cùm nec sic Iacobus intellexerit, quinpotius ex operibus fide firma-

tis iustificandus est, quæ sic intellecta non erit alteri cō-
Rom.3. traria. Profectò (vt plerunque diximus) fide duntaxat
Deus iustificat hominem, licet in valentibus operari re-
quirãtur pariter & opera, non quia faciunt ad huiusmo-
Opera cur faciē-da. di iustificationem, sed quia à Deo præcepta sunt. Nam
Deus non solùm pro meritis fidei, sed etiam bonorum
operum daturus est fidelibus suis regnum cœlorũ, quia,
vt Chrysostomi verbis vtar, non sola fide opus est, sed &
conuersatione spiritali, vt semel datum spiritum conti-
neamus. Nam & ille in Christo crediderat cui ipse dixit,
Mat.19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata, quæ quidem mã-
datorum obseruantia perfici nequit sine opere, quæ ta-
Opera sine fide vacua. liter fidei annectitur, vt sine illa vacua & inania cernan-
tur opera: quæ si fides non præcesserit non sunt bona di-
cenda, vt aliàs præfati sumus. Quoniam nullus operatur
per dilectionem Dei, nisi prius in Deum credat. Et sic pa-
tet quid fuerat ad præmissa dicendum.

CONTRAPO. LXI.

Gala.6. *ONus suum vnusquisque portabit.*
Ibidem. *Alter alterius onera portate.*

Si vnusquisq; onus suum habet secum portare, cur
ex aduerso mandatur in altero, vt alter alterius onera
portet? Et huic, quæ nil in se cõtradictionis continere vi-
detur, placuit dicendum alia esse onera in quibus vnus-
quisque proprium portat, pro quibus in extremo tempo-
2.Cor.11. re habet recipere prout se in corpore gesserit, quæ si bo-
na extiterint sudantibus hominibus sub oneribus dicet
Mat.11. dominus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati
estis, & ego reficiam vos. Sunt vero & alia onera parti-
cipandæ infirmitatis, in quibus rectè dicis fratri tuo, por-
to tecum, aut porto pro te, vt sic membrum illius effici
Onera nostra Christus fecit leuia. mereamur, qui onera nostra grauia super se portans, ta-
liter illa fecit leuia, vt onus suum postmodum portan-
dum tradens dixerit, Et onus meum leue: præcipiens pa-
riter vt alter alterius deferret onera: quem imitatus A-
Mat.11. postolus dixerat quod in secundo ponitur, subiungens
in prænotato loco, & dicens: Et si præoccupatus fuerit

homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis: & alibi de hoc onere deferendo locutus ait, Si inimicus tuus eſurierit, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. Sit ergo pręmiſſarum concluſio vt prima intelligẽda ſit de onere reddendæ rationis: ſecunda de onere participandæ infirmitatis proximorũ noſtrorum, quos in huiuſmodi portandis oneribus adiuuare debemus, eorum debilitati compatientes. *Onera quæ portanda pro proximo.*

CONTRAPO. LXII.

Q*Vicunque ergo perfecti ſumus.*
Non quòd iam perfectus ſim. *Philip.3.* *Ibidem.*

Si de ſeipſo locutus Apoſtolus nouerat ſe adhuc non eſſe perfectum, cur eo in loco inter perfectos ſeipſum annumerauit? Et huic ſic reſpõdendum iudicauimus, dicentes quòd forſan de illa perfectione locutus fuit in altera, quam ſe habiturum expectabat in patria, *Rom.8.* dum ceſſantibus quæ ex parte ſunt, perficiemur in toto & liberabimur ab omni ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, videntes Deũ ſicuti eſt, quod *1.Ioan.3.* & minimè conſequi poſſumus, dum in hac vita peregrinamur. De hac enim perfectione expectanda locutus ſanctus Ambroſius ait, Impoſsibile eſt vt quis perfectè immaculatus eſſe poſsit in corpore conſtitutus: licet ſit alia perfectio ad quam pro modulo debet tendere vir Chriſtianus, ſi Chriſto capiti tanquam membrum ſe coaptare deſiderat. Et hoc eſt benefacere & mala pati, dum in hoc mundo viuit. Decet enim Chriſtianum hominem, cui paratum eſt regnum omnibus bene facere ac pro inimicis orare, non inquantum ſunt inimici, ſed veluti creaturæ Dei, veluti fratres, & proximi, vt ſic faciẽs, filius Dei mereatur effici. Quanquam aliter reſpondentes ad hanc ſecundam poſſemus dicere, quòd id quod Apoſtolus dixerat, ex humilitate dixit. Nam moris eius ſemper erat, omnium hominum ſe inferiorem iudicare, licet vas electionis Domino conſecratum iam fuiſſet effectus. Nec huic prima contradicit, quæ duntaxat eſt intelligẽda de valentibus diſcernere inter diem & diem. *Heb.5.*

Secus autem de simplicibus, adhuc in fide debilibus cibúmque solidum sumere non valentibus, quos sufferre ac sustinere debemus nos qui hoc perfectionis munere decorati sumus. Idcirco hoc documentum præbens Apostolus dixerat, Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere & non nobis placere. Et sic patet quid ad præmissa fuerat dicendum. *Rom. 15.*

CONTRAPO. LXIII.

I. Tim. 5. SEmper cum Domino erimus ait Paulus.
Apo. 20 *Regnabunt cum Christo 1000. annis.*

Si electi cum Christo perpetuè mansuri sunt (vti Paulus nouerat) cur duntaxat ad annos mille hanc perpetuitatem deduxit Ioãnes? Idcirco & huic sic nouimus respondendum, dicentes hanc esse vmbraticam oppositionem: nam forsan ibi finitus numerus pro infinito positus est, ac si diceremus, regnabunt 1000. annis & adhuc vltra: cùm per numerum istum millenarium non sit perpetuitas exclusa, quæ sæpenumero signatur per millenarium in scripturis, qui & pro annis omnibus huius sęculi poni solet plerunque (scientibus scripturas loquor) millenarius enim numerus solidum reddit quadratum denarij numeri: decem quippe decies ducta fiunt centum, quæ iam figura quadrata est & plana. Et ne surgat in altitudinem & fiat solida, rursum centum decies multiplicatur & fiunt mille. Vel dicamus quòd idcirco millenarius in secunda positus est, quia sicuti in illo tanquam in perfectiori cæteri numeri continentur & terminantur, videlicet vnitatum, denariorum, & centenariorum, ita in Christo, tanquam in creatore & fine omnium, omnes creaturæ continentur & terminantur, cuius regnum dicitur regnum esse omnium sæculorum. Idcirco soli illi appositissimè conuenit millenarius numerus (vt sapientes norunt) cum quo vnam tantùm habere diem melius est super mille istius vitæ. Vel adhuc si placet dicamus, quòd in secunda, pars accipitur pro toto, vti in plerisque locis moris est scripturarum, & sic patet quid dicendum.

Perpetuitas designatur. pro 1000.

1000. Quadratũ numeri Denarij.

Omnes creaturæ terminãtur in Christo.

Psal. 83.

CONTRAPO. LXIIII.

Subiecta omnia fuêre sub Christi pedibus. Psal. 8.
Subiecta omnia nondum videmus illi. Hebr. 2.

Si Christi pedibus ab initio subiecta omnia fuisse nouerat Propheta cum Paulo, quid est quòd infrà, tanquam si illi non fuissent subiecta, aliud dicitur in altera? Et huic primæ sic nouimus dicendum quòd licet de prę sidentia primi hominis videatur prima esse intelligenda, cui tanquam principi Deus subiecit omnia, appositissimè tamen Paulus intellexit de Christo, cui non solùm inquantum est æqualis patri, sed etiam inquantum Genes. 3. homo, collata est omnis potestas à patre: idcirco & eius iudicio omnia intelliguntur fuisse subiecta, licet non- Mat. 28. dum hoc apparuerit, sed reseruetur in fine temporum, dum illi omne genu flectetur: tunc enim quod modo la- Esa. 45. tenter est, manifestum erit, & fiet omnis mundus subdi tus Deo, sicuti Paulus nouerat. Qua in re possemus dice Roma. 3. re & non incongruè, quòd forsan de duplici dominio fit in præmissis mentio: profectò de dominio seu potestate, qua omnem carnem iudicabit in die finali, forsan pri Mat. 25. ma intelligenda est, iuxta illud: Et dedit ei potestatem iudicium facere: sed de dominio fidei sequẽs intelligitur, quod adhuc ad plenum Christus non est consecutus, sed reseruatur quousque ponat omnes inimicos suos scabellum pedum suorum: hoc autem erit, dum fiet vnum oui Psal. 119. le sicut est vnus pastor. Et de isto dominio forsan locutus fuit Propheta dum dixit de Christo, Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos or- Psal. 71. bis terrarum. Licet hoc nondum videamus completum, vt præmisimus. Et sic patet quid dicendum.

CONTRAPO. LXV.

Paulus in Arabiam prius venisse dicitur. Gala. 1.
Paulus in Damascum prius iuisse legitur. Acto. 9.

Mirum quippe videtur vt vnũ dicat Paulus & aliud ex aduerso pronuntiet Lucas: nam (vti litera prima sonat) Paulus de seipso locutus, attestatus est se primò in Arabiam iuisse postquam baptizatus est ab Anania, sed

Lucas asserit præfatum non in Arabiam primùm iuisse, sed statim post acceptam fidem Damascum fuisse profectum ac commoratũ. Idcirco concordantes præmissa placuit dicendum, quòd Lucas ob hoc de Arabia nullam fecit mentionem, quia Paulus forsan nil relatione dignum in illa fecerat, per illud tẽporis spacium quo ibidem moram traxit, impetum magnæ persecutionis declinans, quæ contra se propter Christi euangelium fuerat concitata in Damasco, dum coacti fratres submiserunt illum in sporta. De cuius pressura Lucas nil loqui curauit, sed duntaxat de his fecerat narrationem, quæ Christi euangelio digna fuerant. Nec hoc figuitiei Apostoli imputandum est, quia non sine directione spiritus in Arabiam fuit profectus, vt videlicet quousque persecutionis impetus transiret aliqualiter, vt sic postmodum cõmodius rediret Damascum, perficerétque ad plenum quæ sibi à spiritu suggesta fuerãt. Quę sic intellecta absque vlla contradictione illæsa seruantur.

CONTRAPO. LXVI.

Ephes.2. *IAm non estis hospites & aduenæ.*
1.Petr.2. *Obsecro vos tanquam aduenas.*

Si Paulus Ephesios alloquens, attestatus est illos nõ esse amplius aduenas post conuersionem ad Christum, quid est quòd Petrus ex aduerso rogat quosdam fideles quos & aduenas vocat? profectò & isti, sicuti illi quibus scripserat Paulus, baptismi gratiam fuerant consecuti. Quibus respondendum nouimus, agnoscentes Petrum non fuisse Paulo cõtrarium in huiusmodi, vt quod vnus concesserit alter negauerit. Dicimus ergo, quòd licet præfati aduenæ forent quo ad incolatum mundi, & non minus quàm Ephesij, erant tamen ciues sanctorum & domestici Dei iam effecti, quo ad expectationem spei consecuturæ per fidem vnigeniti filij Dei. Profectò aduena esse dicitur omnis homo, nascendo, viuendo, & hanc terrenam machinam inhabitando, quam compellitur migrare moriendo. Quod & ille nouerat, qui in psal. dixerat, Incola ego sum in terra. Idcirco hunc sensum

Fideles Christ. quomodo ciues sanctorum.

Psal.119.

ſum Petrus ſecutus, vocauit illos quibus ſcripſerat aduenas, obſecrans vt à carnalibus deſideriis ſe abſtinerent, vt & hanc cœleſtem ciuilitatem perpetuò conſequi valerent, cui iã aſcripti fuerant. Quam & adipiſci non poſſe iudicauerat, niſi prius depoſitis his ſordidis veſtimentis pertinentibus ad veterem hominem. Quibus præmiſſis, patet quid fuerat dicendum ad iſtam, quæ in ſe nullam penitus contradictionem continet.

Cœleſtis ciuilitas quãdo adipiſcitur.

CONTRAPO. LXVII.

Factum eſt prælium magnum in cœlo. *Apo. 12.*
Regnum cœlorum, regnum pacis dicitur. *Scriptura.*

Mirũ quippe videtur & difficile auditu, vt aliquãdo bellum cõmiſſum fuerit in illo regno beatitudinis, in quo pax ſumma eſſe dicitur continué. Profectò per antonomaſiam regnum pacis dictum eſt in ſcripturis. Vnde ergo lis & contentio in eo oriri potuit? Idcirco ne præmiſſa inconcuſſa relinquamus, placuit dicendum, quòd ſi fidei oculis ſurſum velimus intendere, clara luce videbimus multum fuiſſe conueniens ac decens iſtud bellum in cœlo committi, vt ſi illi Angelici ſpiritus qui à Conditore omnium cum libertate fuerant conditi, in conditione ſua vellent conſiſtere, illico fœlicitarentur, tanquam victores pugiles in illo bello acerrimo, quod & ſuperbus Lucifer excitauerat contra Dominum. Qui verò inflati prænotato adhæſiſſent principi ruerent ac in præceps darentur, expulſi ab archangelo Michaële, qui fortis in prælio fecit victoriam, illos debellans & vincens in ſanguine agni, propter quem initum fuit iſtud immane bellum: dum videlicet iſti apoſtatici noluerunt illum venerari & accipere in ducem & imperatorem. *Ioan. 1.* Quæ quidẽ pugna initiata in cœlis demum fuit facta in horto voluptatis, quando videlicet protoparens ſerpentis ſuggeſtione tentauit guſtare de fructu ligni vetiti à Deo: Licet poſt iſtud bellum in cœlo commiſſum, & poſt illam victoriam habitam cum Lucifero, *Gene. 3.* taliter roborata ac firmata fuit pax in illo regno, vt nihil aliud ibi ſentiatur, niſi ſumma laus, ſumma

L

tranquillitas & lætitia ac continua gratiarũ actio. Quòd & ille nouerat, qui raptus in spiritu in illam supernam
Apo.7. ciuitatem audiuit lætanter canentes & dicentes, Benedictio & claritas & sapientia ac gratiarum actio, honor, virtus, & gloria omnipotenti Deo in sæcula sæculorum. Amen.

CONTRAPO. LXVIII.

Galat.5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, &c.*
Ephes.6. *Non est nobis colluctatio aduersus sanguinem.*

Si continuam altercationem & pugnã nouerat Paulus esse inter carnem & spiritum, cur nullam esse luctationem contra sanguinem, dixit alibi? Non enim (vt cernimus) datur caro viua sine sanguine, in quo viget concupiscentia fouetúrque. Idcirco & huic, quæ nullam in se patitur contradictionem, placuit dicendũ, non esse credendum quòd doctor gentium sibimetipsi cõtrarius extiterit, qui veritatis præco in scripturis celebratur. Ob quod præmissa concordare curantes nouimus dicendũ, literam secundo loco positam forsan fore defectibilem, cui vt sensum integrum atque perfectum in se cõtineat, addẽdum est illi istud aduerbium, Tantùm, quo sibi addito, sic venit litera intelligenda, videlicet, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, videlicet tantùm, propter id quod statim sequitur, Sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, quasi prefatus diceret, Non enim nobis indictum est bellum, vt tantùm contra hostes quos videmus pugnemus, seu contra vitia ex sanguine & carne insurgentia, sed etiã aduersus dæmones, qui his principantur, contra quos & continuam habemus luctam.

Bellum Christiano indictũ quale.

Nouerat enim Paulus partim esse libertatem in Galatis, partim esse seruitutem. Nam ex parte nouerat illos seruire peccato, & ex parte legi Dei: nondum enim in illis nouerat plenam esse libertatem, quia in illis nondum plena erat æternitas. Nam ex ea parte qua Deo famulabantur, nouerat illos esse liberos, sed ex aduerso ex ea parte qua legi peccati seruiebant, nouerat eos esse

Rom.7.

ſeruos,& ſic exagitari in ſemetipſos. Idcirco carnem & ſanguinem potius miſerandam quàm cauendam deſignauit in altero,dum ait,Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem , id eſt aduerſus hos quos inimicos cernitis ſæuire in vobis: vaſa enim ſunt , alius vtitur illis,organa ſunt,alius tangit, immiſit enim Diabolus in cor Iudæ vt Dominum traderet. Et ſic ſoluuntur præmiſſa abſque vlla contradictione.

CONTRAPO. LXIX.

Claudum quendam egentem ponebant ad portam templi. Act.3.
Nec quiſquam egens erat inter illos,alibi. Act. 4.

Quomodo erat quidã egens inter illos quem ponebant quotidie ad ſpecioſam portam , ſi nullus egens erat inter illos,vt Lucas refert ? Et huic pro reſponſione nouimus dicendum,non eſſe credendum , quòd illi qui ponebant prænotatum claudum ad portam ſpecioſam vt eleemoſinam peteret ab introeuntibus in templum, eſſent de numero fidelium in Chriſto credentium, quibus dum omnia communia eſſent,non eguiſſent neceſſariis vt miniſtrarent claudo.Idem dicendum eſt de cœleſtibus donis:nam cùm illo tempore omnes fideles diuites eſſent in Chriſto, nullus repertus fuit qui de donis cœleſtibus aliquam portiunculam non haberet. Quem ſenſum ſecutus Apoſtolus Deo gratias agens dixerat, ſcribens Corinthiis, Gratias ago Deo meo quia in omnibus diuites facti eſtis in illo,in omni verbo,& in omni ſcientia,ita vt nihil vobis deſit.Nam vt huiuſmodi diuitiis ditaret nos Chriſtus,factus fuit pro nobis egenus, cùm eſſet omnium Dominus.Sed attende quòd non fecit nos diuites terrenarum facultatum,quas potius vilipendio haberi docuerat,non corruptibilibus auro & argẽto ditauit,quę à fure & hoſtibus auferri poſſunt,quin potius donis cœleſtibus nos abundanter ditauit,de quibus donis alibi locutus Apoſtolus, ait Epheſiis , Aſcendens in altum dedit dona hominibus.Hunc ergo intellectum ſecuti, non contradicit prima alteri, quæ de alia egeſtate intelligenda venit.

Fideles in primitiua Eccleſia quales.
1.Cor. 1.
2.Cor. 8.
Ephe.4.

CONTRAPO. LXX.

CHristus non agnoscendus secundum carnem.
2.Cor.5. *Habitu inuentus vt homo, dicitur alibi.*
Phil.2. Si apostolus Philippẽsibus scribens, attestatus est Christum fuisse inuentum carne vestitum, cur dum cum Corinthiis ageret, dixerat eum non agnouisse secundum carnem? Et huic quæ nil prorsus contradictionis in se continere cernitur, placuit dicendum, quòd per primam sententiam non dicit Paulus se non nouisse Christum secundum carnem, qui & alibi de sua incarnatione locutus ait: Cùm venit plenitudo tẽporis, &c. vsque, Factum ex muliere. Et alibi, ipsum ex semine Dauid descendisse tradiderat. Sed statum perfectorum tangens in altera dixerat, Et si illum nouimus secundum carnem, nunc non nouimus: quasi per hoc innueret longè nobilius & excellentius esse notitiam habere de Christo, iam
Mat.4. in patris dextera modo sedentem, quàm illum agnoscere adhuc in carne passibili super terram ambulantem. Vtique sic illum agnoscere, est illum in passionibus na-
Mat.8. turæ laborantem contemplari, sitire videlicet, esurire & dormire ac iter facere peditando. Sed ex aduerso illum agnoscere ab his passionibus literarum, impassibilem
Christum perfectè cognoscere quid sit. ac incorruptibilem continentem naturam, est illum cognoscere iudicaturum esse orbẽ terrarũ in fine tẽporũ, dum electorum corpora iam effecta conformia corpori claritatis suæ, transibunt ad possidẽdũ cœleste regnum.

CONTRAPO. LXXI.

IN seditionibus exhibendum nos Apostolus docuit.
2.Cor. 6. *Seditiones omnino vitandas præcepit alibi.*
1. Cor. 12. Mirum quippe videtur vt illos præceperit seditiones cauere Apostolus, quos iampridem in seditionibus ambulare monuerat. sed si causam scrutari velimus, cur videlicet aliter & aliter se habuerit, proculdubio agnosce-
Finis seditionis duplex. mus id prudenter egisse. Nempe duplicem esse seditionis finem perspicuè cernimus, alterum quippe malum, detestabilem ac perniciosum: alterum verò optimum, fructuosum, ac omni laude dignum iudicantes. Primum

euenire nouimus,dum quis maleuolus excitatus à diabolo, inaniter concitat tumultum in populo,vel potius dicas in ciuibus,vt ſic procurante diabolo,effecti diſcordes adinuicem labantur in rixis & litibus ac inuicem occidant. Profectò, vti Ciceroni placuit, Seditio à diſſenſione ciuium dicta eſt,dum videlicet alij ſeorſum vadunt ad alium:quod & propriè fit, dum populo diſcordante itur ad manus. Hanc ſeditionem quia carnalem ac terrenam eſſe nouerat Paulus, idcirco illam omnino eſſe vitandam mādauit his,quos regnum pacis adepturos nouerat, ſed de laudabili & fructuoſa locutus in altero, hortatus eſt Corinthios illam amplecti & exercere, vt inde fructum fidei pro merito reportare queant. Huius finem talem eſſe nouimus,vt videlicet ſic in ſeditionibus verſi ciues ac armis fidei debellati, derelictis ſuperſtitionibus ac carnalibus deſideriis, vniātur & cōuertantur ad Deum per prædicationis verbum. Hanc ne formidarent fideles in populos concitare Chriſtus admonuit,dum Apoſtolos alloquens,dixerat: Cùm audietis prælia & ſeditiones nolite terreri. Sit ergo ſenſus Apoſtoli, vt fideles ſic in ſeditionibus huiuſmodi exerceantur,& non vereantur populum contra ſe inſurgentem ac conantem quodam tumultu illos à bono reuocare opere, ſed armis fidei protecti patienter ferre calumnias ac conuitia impiorum hominū,ſicuti & prænotatus verbo & exemplo nos inſtruit in ſuis epiſtolis. Et ſic ſeruantur præmiſſa abſque contradictione.

Luc. 21.

2. Cor. 6.

CONTRAPO. LXXII.

P*Aßiones Chriſti in nobis abundare dicuntur.*
Paßiones Chriſti quæ deſunt à Paulo adimplendæ.

1. Cor. 1.
Coloß. 1.

Si Chriſti paſsiones in nobis abundare Apoſtolus dixerat, quid eiuſdem paſsionis adimplendum nouerat,quod deerat? Quomodo enim deeſſe poterat in illo paſsio,qui in cruce pendens & ſpiritum emittens,ait: Conſummatum eſt? Vtique quod iam perfectum eſt de menſura paſsionum, nihil poteſt illi adeſſe, quia (vt Lucas refert) omnia quę de illo ſcripta erant,iam in illo

Ioan. 19.

completa fuerant. Quibus pro responsione nouimus dicendum, quòd non ex arrogantia dixerat Apostolus, Et suppleo quod deerat passionũ Christi in carne mea, quasi passio Christi nõ fuerit sufficiens pro redemptione humani generis, sed ex magno amore erga Christum illud dixerat: non enim vult Apostolus suas esse passiones quas ipse patitur, sed Christi pro cuius nomine illas patiebatur, ac si diceret, quæ ego patior, non mihi sed illi gratias referre debetis: hoc enim contendit Apostolus vt ostendat Christum etiam nunc periclitantẽ pro sua ecclesia per proprium corpus. Nam quod ipse passus est, patitur modo ecclesia. Impletæ enim in illo fuerant passiones istæ, sed in capite restabant & adhuc restant passiones Christi implendæ in membris sui corporis, in quibus se esse sentiens Apostolus dixerat, Vt adimpleam quæ desunt passionum Christi in carne mea, tanquam si diceret, ego adimpleo, hoc est addo mensuram meam in carne mea pro corpore eius quod est ecclesia, vt & tu quicunque es ô homo quisquis hoc audis ad imitationem tanti Apostoli quidquid pateris ab eis, qui non sunt in membris Christi, tuam adderes mensurã, implens quod deerat passionibus Christi. Vtique sic ordinauit diuina prędestinatio, vt & membra corporis mystici simul compaterentur capiti, qui si cõpatimur, illuc ibimus quò Christus pręcessit. Et adhuc Christus illuc pergit quò præcessit. Nã idcirco ille præcessit in capite, vt & tu sequereris in corpore. Profectò (vt Augustinus sentit) recusat esse in corpore, qui odium & persecutionem non vult sustinere cum capite. Et sic ex præmissis patet quid ad hæc fuerat dicendum.

Passiones Apostoli Christi erant dicendæ.

Passiones Apostoli Christi quæ implẽdæ restant.

CONTRAPO. LXXIII.

Act. 9. *Comites Pauli vocem audiuisse referuntur.*

Act. 22. *Comites Pauli vocem audiuisse, dicitur infrá.*

Si Paulus de sua locutus cõuersione, attestatus fuit comites suos vocem Christi sibi apparentis & loquentis non audiuisse, quid est quòd Lucas sentit oppositum, qui in omni eius peregrinatione indiuiduus comes ex-

titerat, ac Apostolicarũ actionũ fidelis scriptor? ait enim hanc narrans historiam, Viri autem qui comitabantur cum illo stabant stupefacti, audientes quidem vocem, &c. Sed si mẽtis aciem velimus erigere, clara luce videbimus duas fuisse voces in ipsa fœlici conuersione, vnã videlicet loquentis Domini, alteram verò Pauli respondentis ad Dominum: quòd enim Euangelista refert, ꝙ socij Pauli vocem audierint, ad illam vocẽ Apostoli est sententia referenda. Nam ob luminis claritatem stupefacti ac contriti comites, ignorabant, admirantes cui sic loqueretur Paulus, dum se vocanti responderet, dicens: Quis es domine? Dum verò ecõuerso dicitur in altero, quòd prefati comites vocem non audierint, ad vocẽ Domini oportet nos habere recursum: non enim diuus Apostolus suam illic terminauit sentẽtiam, dum de comitibus locutus ait, Quòd non audierint vocem, sed illico subiunxit dicens, eius qui loquebatur mecum. Meritò autem hoc factũ fuisse credimus: Paulum enim vocem Domini audire oportebat, sed non suos comites, quoniam crassiores visione magis persuadentur: idcirco illi solùm viderunt lucem, id quod satis erat ad persuadendum illis. Quæ lux non tantum operata est erga illos, quantum fuit operata erga Apostolum, cuius corporeos oculos pariter occæcauerat, vt liberius secretorum cœlestium scrutator efficeretur in raptu, per lumen interioris hominis sibi additum. Profectò (vt aliâs præfati sumus) sensibus corporeis esse desinit qui adhæret perfectissimo, cum quo & vnus efficitur spiritus, vt prænotatus nouerat Apostolus. Et sic ex præmissis patet quid dicendum fuerat.

Paulus cur occæcatus in cõuersione.

1. Cor. 6.

CONTRAPO. LXXIIII.

Statutum est omnibus semel mori. *Heb. 9.*
Lazarum non semel, sed bis mortuum legimus. *Ioan. 11.*

Non semel mortuus ille dicitur, qui post mortẽ adhuc surgens, rursum defunctus est. Sed prius à nobis quęrendum est, quo fauore seu qua lege Lazarus transgressus sit hoc statutum, quod per tot annorũ spatia iam

firmatum fuerat, vt morti videlicet succũbat omnis qui ex Adæ congerie traxit originem: sed si mentis aciem erigere placuerit, nil contradictionis videbitur in præmissis. Vtiq; illud aduerbium SEMEL, non sic accipiendum est in prima, prout aliquãdo consueuit poni, ne videlicet regressum habeat amplius vt rursum fiat. Nam licet surgere à mortuis repuguet naturæ, cui iuxta peripateticum dogma, à priuatione ad habitum nullatenus regressus permittitur, non tamen diuinæ potentiæ hoc repugnare cernitur, quæ naturæ legibus supernatãs nullis vinculis alligatur: hæc enim post primam mortem, si qua accidat, potest de facili quempiam hominum à mortuis reuocare, vitæq; restituere. Nec hoc in iniuriã statuti vertitur, quia necesse est, vt ille qui ab huiusmodi prima morte surrexerat, iterum moriatur, vt postmodum cũ aliis resurgat in die finali, in quo (teste Paulo) omnes homines habent resurgere: quidam autem vt cum Deo æternis potiantur bonis: quidã verò vt sempiternis cruciatibus cum Diabolo deputentur. Sic ergo in proposito accipiẽdum nouimus illud semper, vt pro ineuitabiliter stet, ac si sententiæ sit sensus: Statutũ est, id est, taliter firmatum fuit decretũ moriẽdi, vt nemo hominum (quisquis sit ille) illud subterfugere valeat, quin morte ista, videlicet vltima moriatur. Ad quem sensum locutus fuit Propheta regius in psal. dicens: Quis est homo qui viuet & non videbit mortem? quasi dicat, nemo. Quanquam stante hoc sensu, & hanc secundam aliter exponẽtes possemus dicere, primam mortem Lazari, mortem propriè non esse dicendam, sed potius dormitionem quandam, propter citissimam eius resurrectionem secutam, à domino factam. profectò (vti Ambrosij vtar verbis) nemo tam facilè surgit à somno, quàm Christus suscitat de sepulcro. Ipse enim est vita, salus, & resurrectio nostra. Et sic patet quid ad præmissa fuerat dicendum.

August. — *1. Cor. 15.* — *Mat. 15.* — *Decretũ moriendi firmatũ.* — *Psal. 88.*

CONTRAPO. LXXV.

2. Tim. 2 — *Psal. 102*

D*Eus pro labore coronat certantem.*
Deus in miserationibus coronat hominem.

Si pro labore Deus coronat hominem (vt Paulus nouerat) non ergo in miserationibus illum coronare dicitur: nam quod ex debito confertur, non ex gratia illud dari nouimus. Pariter si in misericordia quempiam coronat, quid pro labore expectandum est? hæc enim (vt cernimus) simul stare nequeunt. Quibus arbitramur dicendum, quòd non obstat, vt quos Deus coronat, coronet in sua miseratione: & eos quos sic coronat, laborare necesse est, dum in coronando huiusmodi certandi ac laborandi facultas adest. Qui si facultatem operandi non inuenerit, coronat intus bonitatem. Stat enim quòd per aliquam necessitatem quis non valeat opere implere quod Deus iubet, amet illum & implet quod iubet, licet in his quos ipse coronare intendit non nisi sua dona coronet, vt Augustinus sentit. Quid enim boni in se continet homo quin illud gratis receperit à Domino? Non igitur de suo tanquam de suo, quis audeat gloriari, dum in certamine coronatur, sed illi tribuendum est, qui sua nimia miseratione nobis gratis concessit, vt non solùm bonum certamen certaremus, sed quòd magis est, opem ferre nobis decreuit, vt tanquam victores in certamine coronaremur: idcirco & certantibus confidenter, ait: Confidite, ego vici mundum: *2.Tim.2.* *Ioan. 16.* supplicium quippe prius nobis debebatur pro culpa, quam sine illo omnes incurrebamus, sed cùm præmium venerit, non nisi sua dona coronabit in nobis vt præmisimus: ipse enim sua nimia victus clementia, nos semper præuenire dignatur, non solùm decorando mentem vt bonum cogitet, sed insuper & decori nostro suam administrando virtutem, vt fructuose laborãtes coronemur illa corona, quam Ioannes Apostolus vnà cum Iacobo coronam vitæ appellant: Petrus verò coronam immarcescibilẽ nominauit. Et quòd sola miseratione nos coronet Deus, euidenter patet per illud quod deposuit Ioannes in suis Reuelationibus, dum locutus de illis senioribus coronatis ait, quòd amouentes coronas de capitibus suis quibus fuerant coronati, deposuerunt illas ante thronum Dei: innuentes hoc indicio non suis meritis, sed Dei munere illas fuisse consecutos: quid enim

Deus semper nos præuenire dicitur in opere.
Apoc.2.
Iac.1.
1.Pet.5.
Apoc.4

boni egit homo, vt ob illud coronari mereatur, aut quæ bona facta eius pręcesserunt, vt nobis gratiam suam daret: nunquid iustitias inuenit, quas ex lege coronare habebat, & non magis delicta quę donaret? Vtique delicta quę donauit, si punire vellet, nõ esset iniustus: quid enim tam iustum sit, quàm peccatorem punire? Pertinet tamẽ ad misericordiam ipsius, peccatorem non punire sed iustificare, & de peccatore iustum facere, ac de impio facere pium. Idcirco nõ debet humana fragilitas se extollere, dum aliquis coronatur à domino, sed omnem honorem & gloriam Deo tribuat, dicátque cum propheta regio, Non nobis domine nõ nobis, sed nomini tuo da gloriam. Et sic patet quid dicendum fuerat.

Extollẽtia semper fugienda. Psal. 113.

CONTRAPO. LXXVI.

Tit. 1. Tit. 3.

Contradicentes arguere præcepit Apostolus. Contentiones deuitare alibi ordinauit.

Si Apostolus discipulum alloquens contradicẽtes doctrinæ domini redarguere mandauit, cur infrà prænotato scribens vt cõtentiones omnino deuitaret & pugnas, præcipit, quod & minimè obseruari potest arguendo contradicentes? Idcirco si causam scrutari velimus, cur videlicet aliter & aliter in allegatis sententiis se habuerit, clara luce videbimus quòd alio sensu in prima alióque in altera locutus est. Nempe in prima formam tradens qualis esse debeatis qui in primatu super alios est, inter cætera quæ ibi enumerat ad huiusmodi officiũ pertinentia, contradicentes pariter redarguere ordinauit. Qui non vno modo intelligendi veniunt. Sunt enim paucissimi qui nobis cõtradicũt lingua, sed plurimi qui malè viuentes, suspectam inter fideles conuersationem habent. Sic tamen modestè & prudenter se debet habere is qui præest, vt seipsum patientiæ atque humilitatis exemplum prębeat, minus de se assumendo quàm offertur. Porrò qui non verbis contendit, siue submisse, siue temperatè, siue granditer dicat, id agit verbis, veritas pateat, veritas placeat, veritas moueat. Si autẽ hoc non potest facere, ita conuersetur in plebe, vt nõ solum præmiũ

Præsidẽtis exemplar.

Præsidẽs quomodo in subditos se habere debeat.

ſibi comparet, ſed etiam præmium habeat aliis exemplum, vt ſit ei quaſi copia dicendi forma viuendi: hæc Auguſtinus ad literã. Dum verò Apoſtolus docuit euitare contentiones & pugnas, hoc ad hæreticos referri voluit, ne videlicet contra illos inaniter contendamus, dum nullum lucrũ fieri expectamus ex illa. Nam quoties quiſque taliter peruerſus fuerit animo, vt quodcũque cõtigerit ſuam decreuit nullatenus mutare ſententiam, contra hunc fruſtra & inaniter fit contentio, cùm ſit ſua peruerſitate damnatus & iudicatus. Vtique quid inter ſaxa ſeminare tentabimus aërem verberantes? Et quòd de hæretico homine hoc in loco locutus fuerit Apoſtolus liqnidò patet, dum ſtatim prænotatæ ſententiæ adiecit, dicens: Hęreticum hominem poſt vnam & ſecũdam correctionem deuita, ſciẽs quoniam peruerſus eſt & peccat cùm ſit à ſeipſo damnatus. *Auguſt.*

CONTRAPO. LXXVII.

MVlieribus docere non permittitur. *1. Tim, 2.*
Mulieribus poteſtas docendi datur. *Titum 2.*

Si Apoſtolus ſcribens diſcipulo interdixerat mulierẽ docere, cur dum alloqueretur alterum, id poſtmodũ conceſsit? vt videlicet bene docentes eſſent mulieres? Hæc enim (vt cernimus) ſenſum in ſe contrarium continent. Idcirco ne in cæcitate erroris remaneamus placuit ad præmiſſa dicendum, quòd per primam ſententiã non excluſerat Apoſtolus ne omnino mulieres docentes eſſent, ſed prohibuit ne id facere auderent in Eccleſia, nedum corã multitudine locuta fuiſſet mulier, magis ad luxuriam irritaret viros, ſed in ſilentio voluit eam docere, non erectã ſed cũ omni ſubiectione, quia propter culpã primæ trãſgreſsionis ſubiecta eſt viro, ſeruitute cõditionis potius quã dilectionis: non ergo cathedram docendi habeat, quæ viro tãquã capiti ſubiecta fuit: cui ſi docere permitteretur hac occaſione accepta, nimis ſuperbiret in virum. Nam quia ſemel locuta eſt, cuncta corrupit & peruertit. Taceat ergo in eccleſia & diſcat in ſilentio quę ab aliis in eccleſia proferuntur ad ædificationem. Licet *Gene. 3.* *Epheſ. 4.* *Gen. 3.*

Per aliam ſententiam tribuatur illi facultas docẽdi adoleſcentulas quaſi filias. Monet enim ſanctus Apoſtolus, vt bene docentes ſint & prudentiam doceant adoleſcẽtulas,vt viros ſuos ament, filios ſuos diligant,prudentes ſint & caſtę,domus curam habẽtes,&c.ſed minimè permiſit Apoſtolus hæc in Eccleſia fieri ſed domi dũtaxat. Quanquam poſſẽmus dicere confidenter, quòd per primam non excluſit Apoſtolus probam & honeſtã mulierem id pariter poſſe exercere in virum, dum ſe offert opportunitas , quod & tunc licitè fieri arbitramur dum ipſa prudentior & ſapientior fuerit viro in cura familiari:quia plerũque euenit vt vir in medio foro & iudiciis exiſtẽs verſetur & commoueatur tanquam quibuſdam fluctibus, ſed ipſa mulier tanquam in quodam philoſophiæ gymnaſio inſtructa, domi ſedẽs orationibus & lectionibus ac aliis bonis operibus facilius vacare poteſt, quàm vir.Idcirco talis mulier virum ſuum poteſt commonefacere aliquando,dummodo ne irritum faciat Apoſtoli documentum , ceruicem videlicet erigens in virum,cùm nõ deceat illam primatum habere in virum. Nec quidquam potentius eſſe nouimus muliere bona ad inſtituendum & informandum virum quodcunque voluerit, dummodo id benignè & reuerenter faciat. Et ſic patet quid dicendum fuit ad præmiſſa.

CONTRAPO. LXXVIII.

Rom.5. *Lex ſubintrauit vt abundaret delictum.*
Rom.7. *Lex bonum facere intendebat omni volenti.*

Si Paulo atteſtante,lex ſubintrauerat vt abundaret delictum,quomodo verum erit quod ex aduerſo dicitur in ſequenti,videlicet quòd lex bonum facere intenderet omni volenti,vt iſdem Paulus dixerat infrá?Præterea ſi legem ſanctam & bonam eſſe dixerat,quomodo per illã delictum potuit abundare,& eſſe cauſa mali,quæ vt bonum faceret omni volenti è cœlis collata fuerat?Idcirco vt & has concordes reddamus,dicẽdum arbitramur ad primam,quòd quando Apoſtolus dixerat,Lex ſubintrauit vt abundaret delictum,non hoc dixit,quaſi lex eſſet

causa delicti, sed per hanc sententiam rei euentum significare voluit. Neque enim lata fuit lex vt abundaret, sed lata quidem, vt minueret & tolleret peccatum. Euenit autem secus non à legis natura, sed ab eorum ignauia & socordia qui legem accepêre. Ipsi enim de suis viribus præsumebant adimplendam iustitiam: idcirco non vitio legis, sed illorũ imputãdum est vt sic abundaret delictũ. Cùm & concupiscẽtia ex prohibitione effecta fuerit ardentior, & peccantibus contra legem præuaricationis crimen accessit. Abundat quippe peccatum in nobis, siue cùm negligimus quod Deus iubet, siue cùm de viribus nostris præsumentes, gratiæ adiutorium non imploramus, & addimus infirmitati nostrę superbiam. Nõ enim vt maius existeret supplicium id actum fuisse credamus, sed vt maior appareret gratia. Ob quod eo in loco Apostolus adiecit, dicens: Vbi abundauit delictum, ibi superabundauit & gratia. Nec dixit simpliciter abundauit, sed adiecit excessum, dicens, superabundauit, quia gratia nõ solùm supplicio liberauit, sed & peccatorum condonationem ac vitam largita est. Superabundauit, inquam, vt nõ solùm morbo liberet, sed & formosum ac fortem, sed & honoratum faceret hominem, aut vt non solùm alat esurientem, sed vt efficiat multarum possessionum dominum, denique & ad maximum prouehat principatum. Neque enim qui laudat beneficium medicinæ, prodesse morbos dicit & vulnera, à quibus illa hominem liberat & sanat: sed quanto maioribus medicina laudibus prædicatur, tanto magis vituperantur vulnera & morbi à quibus liberat, quæ ita laudatur: sic laus & prædicatio gratiæ, vituperatio & damnatio est delictorum. Ex quibus liquidò cernimus, quantum intersit inter gratiam & legem. Hæc enim & additamentum condemnationis facta est, illa autem doni abundantia. Et sic intellectis prę- missis in nullo prorsus contrariantur.

Lex cur collata.

Delictum vnde abundet.

Gratiæ beneficium.

CONTRAPO. LXXIX.

Fides nihil prodesse dicitur. *I. Cor. 13.*
Fide iustificatur homo. *Rom. 3.*

Si Apostolus in illa epistola quæ ad Corinthios prima directa est, locutus de fide etiam in summo habita, iudicauit illam nihil posse prodesse se habenti, cur ex aduerso in altera quam ad Romanos scripserat arbitratus est fidem tantæ virtutis esse, vt per illam homo iustificetur? Et hanc pariter sic esse soluendam iudicamus, dicentes quòd de fide informi locutus fuit Apostolus in prima, quam & communem habemus cum dæmone, quia vt attestatur Iacobus, & ipse credit & contremiscit. Hanc præfatus Apostolus fidem mortuam appellandam esse iudicauit. Sed aliud dicendum est de illa quæ per dilectionem operatur, qua homo iustus ac Deo dignus redditur, capáxque efficitur æternæ beatitudinis. Hac etiam sola, vt lucas sentit in Actibus, mundantur corda hominum vt Deum cognoscere valeant. De hac Christus locutus cum discipulis ait, Si habueritis tãtam fidem sicut granum sinapis, & dicetis huic arbori, eradicare & transplantare in mari, obediet vobis. Idcirco de effectibus huius fidei Augustinus aliquando locutus ait, Nullæ maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla huius mũdi est substantia quàm fides, quæ peccatores homines saluat, cęcos illuminat, infirmos curat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmẽtat, martires coronat, virgines & viduas casto pudore conseruat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat in hæreditatem ęternam, cum sanctis angelis collocat. Et alibi de huiusmodi fide locutus ait, Vbi sana fides non est, ibi nõ potest esse iustitia: quia iustus ex fide viuit. Hieronimus verò de fide locutus ait, Hæc nobis inuisibilia ante oculos ponit, ad hanc ingressi & diaboli & potestatum huius mundi & harum tenebrarum vniuersa deserimus, & Deo cum fiducia proximamus. Et sic soluuntur præmissa absque vlla contradictione: quia prima (vt præmisimus) de fide informi, sed altera de fide perfecta & formata intelligenda est.

Iaco.2. *Galat.5.* *Act.15.* *Luca 17.* *Fidei excellentia.*

CONTRAPŌ. LXXX.

Mat.5. L*Egem soluere non venit Christus.*
Roma.7. *Soluti sumus à lege, dixit Petrus.*

Si Christus dixerat, se non venisse legem soluere, cur Paulus qui præceptori conformis esse debuerat, è regione attestatus est se solutum fuisse à lege vnà cum cęteris in Christo credẽtibus & credituris? qui & præfatos Romanos alloquens dixerat etiam, Non estis sub lege? Et alibi, Qui spiritu ducuntur non sunt sub lege. Præterea si Christus legem soluere non venerat, cur Christianus modò non circunciditur? quibus arbitramur dicendum, quòd ideo Christianus homo non circunciditur, quia id quod eadẽ circuncisione prophetabatur, iã Christus impleuit circuncidens se. Expoliatio enim carnalis generationis quæ in illo facto figurabatur, iam Christi resurrectione adimpleta est. Et quod in nostra resurrectione futurũ erat, sacramẽto baptismi cõmẽdatur. Et si adhuc quæreres si Christus non venit soluere legem, cur Christianus modo nõ obseruat ciborum differentiam? imo propterea id non obseruat Christianus, quia quod illis figuris prophetabatur, iam Christus impleuit, dum corpus suum manducandum suis fidelibus tradidit. Et si quæreres quare Christianus non animalibus immolatis carnis & sanguinis sacrificia offerat Deo, si Christus non venerat legem soluere? imo propterea magis hæc Christianus homo iam offerre non debet, quia ea quæ talibus rerum figuris pręsignabantur, immolatione carnis & sanguinis sui Christus impleuit. Et cùm quęris cur de carne agni Christianus Pascha non celebret, si Christus non venit soluere legẽ? dicimus quòd idcirco Christianus iam sic Pascha non celebrat, quia id quod illa figura prænũtiabat, agnus immaculat⁹ sua passione Christus impleuit. Seruat itaque vir Christianus non carnaliter sed spiritualiter, non in vmbra sed re ipsa ea sacramenta, quæ in lege fuêre præcepta. Nec ob hoc quia ab huiusmodi solutus est, intendit à moralibus declinare, quæ in suo permanent robore quousque finiatur mundus. Nunquid vir Christianus non obseruat modo quod Scriptura dicit, Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est? Nunquid non obseruat quod ibi dicitur, Non accipias nomen Domini Dei tui in vanum? Nunquid

Rom. 6. *Gala. 5.* *Christianus cur nõ circuncidi tur.* *Ciborum differẽtia cur nõ obseruatur.* *Mat. 5.* *Agnus paschalis cur non immolatur.* *Christianus quomodo legẽ seruet.* *Deut. 6.* *Exo. 20.*

non ipſum ſabbatum quod ad intelligendam veram requiem pertinet? Nunquid non obſeruat honorem parentibus? Nunquid temperatſe à fornicatione, aut homicidiis, aut furtis, aut falſis teſtimoniis & huiuſmodi quæ omnia ibi inſcripta erant? Hæc enim ſunt morũ, illa autem quæ ſuperius dicta ſunt ſacramenta promiſſorum: hæc implentur per adiuuantem gratiã, illa verò per redditam veritatem. Vtraque per Chriſtũ, & ille ſemper gratiam donantem, nunc etiam reuelantem & hanc veritatem tunc promittentem, nunc exhibentem: quia lex per Moſen data eſt, gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Denique iſta quæ in rectè viuente conſciẽtia conſeruantur, fide per dilectionem operante cõplentur: illa verò quæ in promittente ſignificationem verſatur rebus redditis tranſierunt, ita & ipſa non ſoluta ſed adimpleta ſunt, quia ea non irrita nec fallacia Chriſtus oſtendit, cùm id quod eorũ ſignificatione promittebãt exhibuit. Nec putandum, quia dixit Chriſtus ſe legẽ ſoluere non veniſſe, quaſi lex ſemiplena iſtis verbis integraretur, ſed vt quod litera iubente, propter ſuperborum præſumptionem non poterat ſuadere gratia. Venit enim Chriſtus (vt præfati ſumus aliàs) non vt illam legem ſolueret quæ æterna eſt, ſed vt illam ad perfectum deduceret. Ipſa enim lex data fuit vt conuinceretur languidus & medicum imploraret: Data inquam, non vt peccatum auferret, ſed vt illud oſtenderet. Minabatur enim pœnã quia iuſtitiam dare non poterat. Impletur ergo à nobis vel quando fiunt quæ ibi præcepta ſunt, vel cùm exhibẽtur quæ ibi prophetata ſunt. Sed de cerimonialibus ſeu iudicialibus locutus eſt ſanctus Apoſtolus in ſequenti, quæ (vt aliàs prætulimus) ferè in totum, aut ſaltem pro maiori parte fuerũt per Chriſtum abolita, ſeu in melius commutata. Et ſic ſoluuntur præmiſſa abſque vlla contradictione.

Ioan. 1. *Mat. 5.* *Lex quid facit in homine.* *Cærimonialia quomodo fuerunt euacuata.*

CONTRAPO. LXXXI.

Rom. 13. *1. Cor. 14.*

Æmulationem vitare mandamur.

Æmulationem ſectari, hortamur alibi.

Si doctor

Si doctor gentium Romanos allocutus, æmulationem vitandam monuit, cur ſcribens Corinthiis æmulari conceſſerat? Dixerat enim illis, Aemulamini prophetare. Nónne & huic pariter reſpondentes arbitramur dicẽdum, quod hæc dictio æmulatio, plures in ſe continet ſenſus? Vtique æmulatio interdum ſumitur pro inuidiæ malignitate, quandoque verò pro amoris immenſitate, quandoque pro zelotipiæ acerbitate. De prima ſapiens locutus ait, Ab æmulantibus te abſconde conſiliũ. Hanc Paulus omnino vitandam monuit, dum Galatas allocutus, inter opera carnis quæ ibi vitanda enumerat, æmulationem pariter fugiendam docuit. Sed de æmulatione accepta pro bona integritate amoris iſdem Paulus locutus cũ Corinthiis dixerat, Aemulamini chariſmata meliora. Sed de altera quæ pro zelotipiæ acerbitate ſumitur, locuti, dicimus eam eſſe trifariam. Nam & ipſa quãdoque pro bono zelo accipienda eſt, & hæc prouenit ex iuſtitia. Quandoque verò ſumitur econtrariò pro zelo malo, & hęc ꝓuenit ex nequitia: quandoq; verò ſumitur pro indiſcreto zelo, & hęc prouenit ex imperitia. De prima Paulus dum de ſeipſo loqueretur dixit, Abundantius ęmulator exiſtens paternarũ mearum traditionũ. Quod etiã & Scriptura docuit, dum ait, Aemulatores eſtote legis. Sic etiã Deus ęmulari dicitur homines hac laudabili & ſancta æmulatione. Idcirco Ioſue de Deo locutus ait, Dominus enim ſanct⁹ & fortis æmulator eſt: & alibi, Dominus Deus tuus, ignis cõſumens Dominus ęmulator. Hac etiam æmulatione populũ errantem æmulatus fuerat ille, qui in pſalm. dixerat, Zelus domus tuę comedit me. Aemulatio verò quæ pro malo zelo ſumitur illa eſt, quando quiſque dolet ſe non eſſe ſimilem peccatoribus in proſperitate mundana, & quando deſiderat & appetit eſſe ſicuti ipſi ſunt. Qua in re, ne ſic æmulemur cautos nos eſſe præcipit ille, qui in ꝓuerbiis locutus ait, Non æmuletur cor tuum peccatores, ſed in timore Domini eſto tota die. Et regius Vates eiuſmodi æmulatorẽ allocutus ait in pſalm. Noli æmulari in malignantibus. Sed de æmulatione proueniente ex indiſcreto zelo lo-

Eccle.37. *Galat.5.* *1.Cor.12.* *1.Ma.11.* *Ioſue 24.* *Deute.4.* *Pſal.68.* *Prou.23.* *Pſal.36.*

cuti, illam esse iudicamus quando quisque nimis seuerè zelat pro diuinę legis custoditione, vel pro religione aut cultu,& huiusmodi aliis. De quorum numero fuerāt
Rom.10. illi de quibus Paulus locutus ait, Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Hoc autem fit quando quisque nimis exasperat alios propter iustitiam. Idcirco vt & hāc etiam euitemus & bonam sectemur, monuit nos
Galat.4. Apostolus scribens ad Galatas, dum ait, Bonum æmulamini in bono semper. Quibus præhabitis, liquidò patet solutio præmissarum, quę nil controuersię in se continebant. Nam prima de illa æmulatione intelligenda est, quæ ex infecta carne prouenit, qua ægrotabant illi, quos
1.Cor.3. Apostolus increpans dixit, Cùm sit inter vos zelus & contentio, nónne carnales estis? Hæc autem cùm sit vitiosa & damnosa, idcirco etiam euitanda est, cùm nil aliud habeat pro obiecto, nisi tristitiam de mundana proximi prosperitate. De hac enim sapiens locutus ait, Non
Eccle.9. zeles gloriam & opes peccatoris. In præmissa verò altera, de illa ęmulatione intelligenda est litera, qua quisque bonum ac sanctum spiritalem profectum æmulatur in proximum, quemadmodum Paulus cupierat, qui scri-
Heb.6. bens Hebræis ait, Cupimus autem vnumquemque vestrûm eandem ostentare solicitudinem ad expletionem spei vsque in finem. De hac etiam Corinthiis scribens
1.Cor.14. ait, Aemulamini spiritalia. Qua in re, si hac tam honesta ac laudabili ęmulatione proximos nostros ęmulati fuerimus, non solùm Pauli discipuli erimus, qui illam per-
2.Cor.11. fectam in se habens dicebat scribens Corinthiis, Aemulor enim vos Dei æmulatione, sed & Dei pariter imitatores ac filij effici merebimur: qui (vt superius præfati
Exo.20. sumus) æmulator iustus dicitur in scripturis. Et sic seruantur p̄missa illæsa ab omni contradictione.

CONTRA PO. LXXXII.

1.Cor.12. DEus est qui operatur omnia in omnibus.
Philip.2. *Operamini cum metu & tremore vestram salutem.*
Si Paulus allocutus Philippēses, monuerat illos vt

cum metu & tremore ſuam operarentur ſalutem, cur ſcribens Corinthiis, dixerat Deum eſſe qui omnia operatur in omnibus? Vtique ſi Deus eſt ille qui omnia operatur in nobis, nequibũt Philippenſes ſuam operari ſalutẽ, quam duntaxat à Deo conferri agnoſcimus, iuxta illud, Dominus dat ſalutem. Nónne his verbis liquidò oſtendit Apoſtolus facultatem liberi arbitrij in nobis eſſe ad operandũ bonũ, licet eam minus valere cõperit abſque Deo? Vtrunque enim dixit in prænotatis ſentẽtiis (ſi bene aduertimus) videlicet & Deũ operari & hominem. Sic enim bonum operatur homo, vt tamen Deus cooperetur illi, ſine cuius adiutorio quid eſſet homo? Operatur enim Deus in nobis, & nos cum illo: nõ enim aufert ſed adiuuat bonæ volũtatis arbitrium, potiſsimùm autẽ in eis qui ex fide gratiam ſuſcipiunt, & non ſuam volũt ſtatuere iuſtitiam. Idcirco & hanc, vt moris noſtri eſt, conciliantes arbitramur dicendum, quòd Paulus per primam ſententiam nõ intendit ſecludere hominem, qui & in bono opere aſſenſum prębere dicitur, ſine quo nullatenus bonũ opus fieret in homine, cùm decreuerit Deus ſic concurrere in opere, vt nolentem non cogat, quamuis trahat volentem, dum bonum faciendum ſpirat in homine, iuxta illud, Miſericordia eius præueniet me. Hæc verò bona ſic cogitata Dei præſidio nequaquã valemus perficere ſine illo, qui ſicut bonũ opus cœpit in nobis, ſic pariter illud deſignetur perficere. Idcirco Paulus vbi ſuprà allocutus Philippenſes dixerat, Qui autem bonum opus cœpit in vobis, perficiet. Et alibi de huiuſmodi perfectione operis locutus ait, Velle adiacet mihi, perficere autẽ nõ inuenio (ſupple in me) neq; ſi res meæ ſecundæ eſſent, niſi tu adiuues me, qui huiuſmodi bonum volentibus auxilium præbes, vt videlicet opus perficiatur. Hæc verò ſic operata Deo coadiutore valent ad vitam, quia non ſolùm à Deo bona radice prodeunt, ſed & à bona voluntate pariter noſtra procedere dicũtur. Idcirco & Dei opera meritò dicenda ſunt, & noſtra: Dei quippe, quia ipſe prior illa ſpirat in homine, deinde ſubſequitur cooperans: noſtra verò quia & nos in ope-

Prou. 2. *Deus cooperatur nobis.* *De⁹ quos adiuuat.* *Deus non cogit hominem in opere.* *Pſal. 58.* *Phil. 2.* *Rom. 7.*

re liberum præstamus assensum. Quanuis ipse Deus tãtæ bonitatis esse videatur erga hominem, vt sua dona in nobis coronare dignetur, tanquam opera nostra, cùm ipse non indigeat bonis nostris. Et hũc sensum secutus fuerat Vates, dum huiusmodi sic coronatum alloquens, ait: Qui coronat te in misericordia & miserationibus. Stat tamẽ in nobis (vt aliâs prętulimus) vt bonum facere eligamus, vt ipse Deus postmodum adiutor noster, quę sua sunt introducat. Decreuit enim ipse non antecedere nostras voluntates, ne in nobis liberum læderetur arbitriũ. Et sic ex prædictis patet quid fuerat dicendum.

Bonitas Dei quã magna est.

Psal.102

Nostrũ est eligere bonum.

CONTRAPO. LXXXIII.

Heb.1.

Apoc.3.

Sedet Christus ad dexteram maiestatis in excelsis.

Vidit Ioannes agnum, id est Christum, stantem in cœlo.

Si Ioannes ille Euangelista qui supra pectus domini in cœna recubuisse fertur, attestatus est se vidisse in cœlo Christum in figura agni stantis, cur Paulus prænotato se opposuerat, asserens Christum non stantẽ sed sedentem ad dexteram in excelsis? Nõ enim qui sedet stare dicitur, nec econuerso, qui stat nõ dicitur sedere. Hæc enim (vt liquidò cernimus) maximam augẽt nobis quęstionis difficultatem. Idcirco Deus precandus est, vt & hanc nobis pacatam ac tranquillam faciat. Dicamus igitur quòd dum Paulus dixerat Iesum sedere ad dexterã maiestatis in excelsis, ostendit illum hominẽ super omnem creaturam. Angelicam videlicet & humanam exaltatũ esse. Ibi enim sedet, regnat, & iudicat sublimatus ad æqualitatem & honorificẽtiã maiestatis, id est patris, qui est maiestas, hoc est maior potestas, qua nulla alia maior est: Ad cuius dexterã filius sedere dicitur, in eadẽ videlicet sede, sicut æqualis, ne si in alia parte sederet, minor esse videretur. Sedet ergo non in paradiso voluptatis, vnde Adam transgressor excidit, sed in excelsis, id est, super omnem creaturã in eminentissimis spiritibus angelicis, qui vocantur thronus Dei. In excelsis inquit, non in loco concludẽs Deũ, sed ostendens ꝙ ipse homo quẽ ipsum Dei verbum suscepit in tẽpore, accepit potestatẽ

Filius sedet ad patris dexteram.

omnimodam iudicantis. Sedere enim (vt aliâs præfati ſumus) iudicãtis eſt: ſedet vtique qui iudicat. Et quia redemptor noſter nunc in cœlo omnia iudicat, & ad extremum dum illi curuabitur omne genu, iudex erit omnium, idcirco in maieſtatis dextera dicitur ſedere. Nec per dexteram Paulus deformauit dominum, ſed ſimilitudinem honoris oſtendit. Ibi enim conſeſſus nil aliud eſſe demonſtratur, niſi honoris æqualitas. Pater enim & filius ambo in dextera ſunt, quia nihil eſt in diuinitate ſiniſtrum. Sedet ergo in dextera filius, quia ipſe habitat in plenitudine diuinitatis: Beatitudo enim patris dextera vocatur. Nam ſi carnaliter acceperimus, quia filius ſedet ad patris dexteram, pater ad ſiniſtram erit. Nunquid fas eſt, vt illos ſic componamus, filium videlicet ad dexteram, patrem autem ad ſiniſtram? ſic igitur præmiſsis intellectis, in nullo prorſus contrariantur.

Pater & filius in dextera ſunt.

CONTRAPO. LXXXIIII.

1. Cor. 4.

Nihil mihi conſcius ſum.

Neque meipſum iudico, ibidem.

Si Paulus Corinthiis ſcribens, dixerat ſe non eſſe iudicem ſuimet, cur eo in loco ac ſi hoc nõ dixiſſet, diiudicauit ſeipſum, dicẽs: Nihil mihi conſcius ſum? Nónne his verbis ſeipſum tanquã iuſtũ exiſtimauit? Qua in re vt morẽ ſequamur noſtrum, hãc pariter conciliantes arbitramur dicendũ hoc non fuiſſe ſuperbiæ neque ſtultitiæ in Paulo, ſed optimæ diſpẽſationis: non enim ſuperbia elatus, ita locutus eſt ſanctus Apoſtolus: ſtultitia enim eſt, ſe conſeruis exiſtimare meliorem. Quod autem ſentẽtiam fert quemadmodum res iubet, non ſuperbiæ eſt, ſed philoſophiæ. Idcirco nõ vt ſe laudet, ſed vt cæteros increpet & modeſtiam perſuadeat locutus eſt diuus Apoſtolus. Præmiſerat enim eo in loco, Mihi autẽ pro minimo eſt vt à vobis iudicer aut ab humano die. Qua in re non incõgruè ſuperaddidit, dicens: Sed neq; meipſum iudico. Nõ enim ſe ſufficere dixerat ad huiuſmodi inueſtigationẽ: Ob quod infrà adiecit, Qui autẽ iudicat me, dominus eſt. Nam pluribus rationibus oſtẽditur in-

certum esse iudicium nostrum: aut quia etiamsi nihil nobis ipsis conscij simus, eius tamen indigemus qui peccata nostra certa ratione corripiat: vel quia multa opera nostra nos latent: vel quia multa aliorum opera nobis bona videntur, quæ non recta fiunt sententia. Proinde sanctus Apostolus cernens quosdam Corinthios hoc temerario iudicio laborare, quæsiuit hunc morbum tollere ab eis, prudenter illos corripiens, ostendens non esse licitum Christiano homini de se sententiam ferre huiusmodi iudicij. Quapropter his verbis non tantùm Corinthios, sed & seipsum quoque hoc priuauit iudicio, quod cognitione sua maius esse attestatus est: subdit enim, Sed neque meipsum iudico. Dum autem protinus subiunxit, Nihil mihi conscius sum, tanquam homo qui peccatum habere potest nescius, locutus est. Quanuis (vt putamus) postquam ipse gratiam Christi fuerat consecutus, sic expurgatus ab actuali & originali fuit, vt cum omni veritate de se locutus dicere posset, Nullius (subaudi mali) mihi conscius sum. Tamen quia nouerat aliud esse iudicium Dei, protinus addidit, Sed non in hoc iustificatus sum. Nouerat enim fuisse scriptum in Psalm. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Dominus autem inquit iudicat me, quasi dicat: Quæ ego facio, nescio vtrum Deo placeant, aut qualiter ea accipiat, qui melius cognoscit quid sit in me, quàm egomet. Quoniam etsi in maximis operibus peccatorum non deliqui, saltem in cogitationibus deliqui & peccaui. Sciebat enim scriptum esse in Psalm. Delicta quis intelligit? Et alibi: Quis gloriabitur mundum se habere cor? Non igitur tanquam se nimis iactans culpandus est sanctus Apostolus dū ait, Nihil mihi conscius sum, quia his verbis, sicuti prudens & sagax præceptor, monuerat vt si quis Corinthiorum inueniretur quòd nil peccasset, dignum fore qui cæterorum vitā examinaret, ostenderet: non ergo iustum se esse putauit, nec sic irreprehensibilem se præbuit, quin redditurus esset rationem veridico iudici. Nec ait, quòd iustis adnumeratus esset, sed quòd à peccatis mundus non esset, ostendit. Etenim alio loco, ait: Qui autē moritur iustifica-

Iudicium humanū incertum multipliciter.

1. Cor. 4.

Psal. 142

Psal. 18.

Prou. 20

tus est à peccato, hoc est, liberatus est. Quòd & si Paulo hæc contingebant, qui iam à Domino vas electionis effectus fuerat, lōgè magis & nobis qui pleni sumus peccatis omnibus. Et sic patet quid fuerat dicendum. *Rom.6.* *Act.9.*

CONTRAPO. LXXXV.

Beati oculi qui vident quæ vos videtis. *Mat. 13.*
Beati qui non viderunt & crediderunt. *Ioan.20.*

Si Christus (Matthæo teste) beatos esse dixerat, qui se carne vestitum viderant, cur hęsitanti discipulo de sua resurrectione à mortuis dixit, Beati qui non viderunt & crediderunt? Nónne de interna ac spirituali visione quę per fidem in anima acquiritur fit mētio in prima? Nam si de externa & corporali visione fieret sermo, nunquid soli discipuli qui eum videntes honorauerunt, beati dicendi sunt, an pariter & Iudæi qui eum deridentes cruci affixerunt? Et licet dulcorosum esset & delectabile, corporeis oculis videre Christum carne vestitum, quia speciosus fuerat præ filiis hominum, gloriosus tamen erat eundem credere Deum ac filium Dei esse, sub illa humanitate latentem. Idcirco & beatus dici meruerat ille qui vice cæterorum & sua interroganti se, dixerat confidenter, Tu es Christus filius Dei viui. Quem gradū nōdum attigerat ille, qui conuersus ad Iesum quæsiuit videre patrem, dicens: Domine ostende nobis patrem. Proculdubio si hos interiores oculos habuisset non fecisset hanc precationem: sciuisset vtique, quòd videns filium, videt & patrē. Non igitur interior oculus sibi sanus fuerat vt patrem videre posset, idcirco tantam lucem respicere nequibat. Oportet enim prius ambulare per fidem, vt quisque postea peruenire mereatur ad speciem. Neq; id p̄stare possunt oculi corporales, qui visibilia duntaxat cernunt, sed spiritales qui sunt lucidiores, ea quæ non vidētur attingunt & contēplantur, subleuati per alas fidei. Decipi quippe possunt hi corporales, sed spiritales minimè, qui ne in vno quidē falluntur, cùm habeant rectum doctrinæ iudiciū: nam & si parietes, & si mœnia & montiū moles, omnia facile prętercurrent. Hi enim quandiu *Psal.44.* *Mat.22.* *Ioan.14.*

vigent in anima rectè vident, rectáque absque velamine aspiciunt: vitiati verò ècontrariò, etiam in rectis hallucinantur. Nec quidem peccare possunt hi corporales, nisi
Mat. 6. prius cæcutient spiritales. Quapropter hunc sensum secutus est ille qui ait in Euãgelio, Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit: hunc enim spiritalem oculum solus dat qui per Prophetam suum dixerat, Dabo eis cor cognoscendi me & aures audientes. Aures autem audiendi, ipsum est donum obediendi,
Mar. 7. vt qui illud habent ad eum veniant, ad quem nemo venit nisi fuerit ei datum à patre ipsius. Qui verò has aures & hos oculos non habent, fiet eis quod scriptum est, vt videntes non videant & audientes non intelligant: audientes quidem & videntes corporis sensu, non audiunt nec vident cordis assensu. Cur autem illi habent has aures & hos oculos, & illi econtrariò non habeant, non est nostrum scire, sed ad illum duntaxat pertinere dignoscitur, qui dat singulis prout vult & quomodo vult. Ad
1. Cor. 12. alteram verò sequentem, quæ primæ nequaquam contrariari cernitur, placuit dicendum, quòd postquam beatus Thomas expurgari meruerat erugine incredulitatis, hos
Iob 20. oculos spiritales accepit à Domino: quapropter dixit, Dominus meus & Deus meus. Nõ enim hoc credidit quod vidit, sed aliud vidit aliud credidit: vidit enim hominem, sed Deum credidit: cernebat quippe atque tangebat carnem viuentem quam viderat morientem, & credebat Deum in carne ipsa latentem: credebat ergo mente quia oculos interiores habebat. Quapropter interiores & nõ exteriores interrogandi sunt, quibus duntaxat Deus attingitur, & si non comprehenditur ab homine dum viator est. Hos ergo requirit Christus, hos mãdat haberi ab homine & non corporales, qui plerunque cæcutiunt & vitiantur videndo. Et sic ex prædictis patet quid ad præmissa dicendum fuerat.

FINIS.

PARISIIS EX CALCOGRAPHIA
Ioannis Sauetier, Anno salutis Christianæ,
1558.

ego homo sum sub potestâte
nstitûtus, habens sub me míli-
s: & dico huic, Vade, & vadit:
álio, Veni, & venit: & seruo
eo, Fac hoc, & facit. Audiens
tem Iesus, mirâtus est: & se-
uentibus se dixit: Amen dico
obis, non inuêni tantam fidem
Israel. Dico autem vobis, quòd
ulti ab ... dênte
nient, & ... Abra-
m, & I... regno
lôrum ... ijciên-
in tén... Ibi erit
... Et di-

Pro Papa. Secreta.

O Blâtis, quæsumus Dómi-
ne, placâre munéribus: &
fámulum tuum N. quem pa...
rem Ecclésiæ tuæ præésse volu...
sti, assídua protectiône gubérna.
Per Dóminum.
Vel cõtra persecutores Ecclesiæ.
Secreta. Prótege nos Dómine.
vt in Dominica præterita, fol. ...
Communio. Mirabântur om-
nes de his, quæ procedêbant de
ore Dei. Postcommunio.
Q Vos tátis, Dómine, largí-
ris vti mystérijs: quæsu-


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm